163

JUGULUM CAUSÆ,

SEU

Nova & expeditiſſima
Ratio, per quam

Papa, ejus imperium, totuſ-
queMiſſæ, Religionis & Ec-
cleſiæ Romanæ appara-
tus, una ruinâ conci-
dere debent.

——*Neque me, ut miretur turba
laboro*
Contentus paucis lectoribus ——

Juxta Exemplar *LONDINENSE*,
Anno 1671.

Digitized by Google

Digitized by Google

16h

ADMONITIO.

ADmonitum velim meum lectorem; priuſquam opus hoc Typographo traderetur, me, de toto operis conſilio conſuluiſſe plurimos eorum ad quos ſcribo, nec quemquam reperiſſe qui in ſumma rei, per mearum chartarum lectionem, non eſſet evictus demonſtratione novæ meæ Rationis, atque firmiter non crederet, non ſolùm illud eſſe Cauſæ Jugulum quod figo, ſed & toto cælo errare qui volunt ruinâ aut infallibilitatis, aut chimericæ ſucceſſionis in primatum & Monarchiam S. Petri, involvi ruinam totius ſyſtematis Papalis, quod conſtat ipſo Papa, ejus imperio, miſsâ, Religione & Eccleſiâ Romana: unum tamen extitiſſe de omnibus qui-

Digitized by Google

buſcum communicavi meas Schedas, virum de Eccleſiaſtico ordine, apprimè doctum & reverendum, qui quanquam pervictus meis argumentis mecum ſentit, non ſolum Poteſtatem Eccleſiaſticam, ſi ultra authoritatem perſuaſionis excurrit, figmentum merè eſſe humanum, ſed & per eam chimericam poteſtatem Papam ſibi ſtruxiſſe ſcalam ad Papatum, ſeu imperium terrenum in Reges & nationes; attamen in eam ſententiam pronior eſt illius chimericæ Poteſtatis everſionem, non tam eſſe Jugulum Cauſæ, quam foret patefactio Regibus & populis iſtius veritatis, quod Papa ſit verus Antichriſtus & filius perditionis, ut à S. Paulo prædicitur & exſcribitur; atque hanc veritatem, imprimis Mundi Monarchis qui

Papam

Digitized by Google

Papam adorant compertam & arreptam ſecum trahere illius ſyſtematis πανωλεθείαν. Et ruinam, ſed apud me conſtat virum doctum ſuâ ſententiâ longius quam quemquam qui in quibuſdam hærent circa meam novam Rationem à vero abire: nam non leve eſt quod ſit magni moliminis, laboris, ſtudii & temporis opus Regibus perſuadere Papam eſſe Antichriſtum: eoque Majoris, diverſis ubique Theologorum judiciis circa perſonam Antichriſti: an idem ſit atque filius perditionis? an debeat eſſe ſeries unius hominis alteri ſuccedentis? an verò debeant plures eſſe Antichriſti, ſeu uno, ſeu diverſis temporibus; denique ulteriuſne aliquis ſit Antichriſtus quam quatenus inficiatur Jeſum Chriſtum veram carnem humanam

induiſſe. Sed, quod plus momenti habet, neque ea perſuaſio quod Papa ſit Antichriſtus depelleret ſacra illa capita ab amore aut veneratione imperii diutina poſſeſſione habiti ſub poppyſmate & pigmento vocabulorum Eccleſiaſtici & ſpiritualis: tum ſuo fulgore, robore & divitiis gratiam conciliantis Religioni, vel futiliſſimæ, ut eſt Alcorani, & cui imperio Papali, authoritas accedit, etiam apud illos Romanenſes qui crederent Papam eſſe Antichriſtum, ab ipſo templo Dei, (hoc eſt ut volunt Eccleſia Romana,) in quo ſedere, ſeu Antichriſtum, ſeu filium perditionis teſtatur ῥητῶς ſanctus Paulus, (niſi εἰς τὸν ναὸν apud S. Paulum ut vult Auguſtinus ſit contra templum, non in templo:) ut jam nequidem perſuaſio altè infixa mentibus

Digitized by Google

tibus Regum, quod Papa ſit Antichriſtus eos exolveret à conſilio perſtandi in Communione capitis Eccleſiæ, utut morbidi & ulceribus obſiti, imo Antichriſti: quin potius in propoſito firmaret non diſcedendi ab Eccleſia Romana, quandiu ei inſidet Antichriſtus: nam hoc potiſſimum argumento permoti Petrus Martyr in Italia per decennium, Paulus Sarpius tota vitâ Venetiis, permanſerunt in Eccleſia Romana, licet inter hæc firmiter crederent, nec diſſimularent inter amicos & fidos, Papam eſſe Antichriſtum. At ne horam unam in obſequio Papæ permaneret Rex, cui ſemel compertum eſſet, (idque ſanè unius horæ ſpatio & reputatione intelligeret) Papam ſub tectorio & fuco poteſtatis Eccleſiaſticæ

 & ſpi-

Digitized by Google

& ſpiritualis retinere terrenum imperium in ipſius territorio. Quid? quod pene ſit impoſſibile abducere Reges à ſententia quam vident non improbari in Pontificiis à plurimis celebrioris notæ inter Proteſtantes, ut fuerunt in Belgio Grotius (ſi tamen Proteſtantibus accenſendus eſt) at in Anglia Laudus, Montacutus & Hamondus, qui arctè tenent & docent in ſuis ſcriptis, Papam alium eſſe ab Antichriſto, imo nullatenus eſſe Antichriſtum ſeu ἀντικείμενος Chriſto: at nemo eſt de Proteſtantium doctoribus, qui non agnoſcat Papam ædificaſſe, & etiamnum retinere imperium terrenum in Reges & nationes, ſed fucatum & oblinitum vocabulis Poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis, ne fraus diſpaleſcat: unde liquidò

conſtat

conſtat longè minori impendio ſtudii, Scripturæ, temporis & admonitionis, Reges abſtrahi à Papa per rationem quam edimus, quam Regibus perſuadendo Papam eſſe Antichriſtum. Namque, cum per illam ſententiam, quæ ponit Papam eſſe Antichriſtum perſtet, & Papa Eccleſiæ Romanæ affigi, ut caput corpori, & illa Eccleſia haberi pro vera Eccleſia, in qua ſit ſalus, altrinſecus ceſſat Eccleſia eſſe & vera Eccleſia, & vitale corpus, cui per novam noſtram rationem caput amputatum eſt. Porro licet varii potius ſint Sermones quam varia ſenſa Proteſtantium de Papa Antichriſto: quibuſdam, utut paucis æquioribus in Pontificios; pluribus ſub cruce agentibus, metu præpeditis, quominus quod mente

mente gerunt ore eloquantur, certum eſt tamen ſaniores in Anglia, Scotia, Germania, Palatinatu, Belgio, haud ægre aſſenſuros decreto in Gallia lato à Patribus Synodi Nationalis Vapincenſis anno 1604. quod eſt triceſimum primum.

"Cum verò Epiſcopus Ro-
" manus erecta ſibi in orbe Chri-
" ſtiano Monarchiâ, ſibi arroget
" Principatum in omnes Eccle-
" ſias & Paſtores, adeo inflatus,
" ut Deum ipſe ſe appellet, (can.
" *Satis* diſt. 96. lib. 1. ſacrarum
" Ceremoniarum capite de be-
" nedictone enſis;) velit adorari
" (Concil. Later. ultim. ſeſſione
" 1, 3, 9. & 10.;) ipſe ſibi tribuat
" omnem poteſtatem in cælo &
" in terra, res Eccleſiaſticas ad
" libitum componat, condat
" articulos fidei, authoritatem

" Scrip-

Digitized by Google

" Scripturæ velit pendere à ſua,
" eamque ad libitum interpre-
" tetur, animarum mercaturam
" exerceat: liberet aſtrictos vo-
" tis & juramentis, novos Dei
" cultus inſtituat; &, quod ad
" civilia attinet, legitimam Ma-
" giſtratuum authoritatem con-
" culcet, dans, adimens &
" transferens regna; credimus &
" aſſerimus eum eſſe verum il-
" lum & Germanum Antichri-
" ſtum, filium perditionis, præ-
" dictum in verbo Dei, mere-
" tricem purpuratam, inſiden-
" tem ſeptem montibus, in mag-
" na civitate, obtinentem regnum
" in Reges terræ; & expectamus
" donec Deus, prout promiſit, &
" jam cœpit eum fractum & vi-
" ctum ſpiritu ore ſui, tandem
" deleat fulgore adventus ſui.

At neque in Gallia ſolum ſed ubique,

Digitized by Google

ubique, reformatorum in omni ſeculo eadem vox fuit Papam Romanum verum eſſe & genuinum illum Antichriſtum in Apocalypſi deſcriptum. Quo nomine nunquam ſatis amare poſſum felicem illum, tum regni, tum Eccleſiæ ſtatum ſub Regina Elizabetha; cum viri nobiles & generoſi non magis ſtrenuè & fortiter ad depellenda Hiſpanorum arma quam viri orthodoxi & eruditi, Grindalli, Juelli, Davenantii, Abbotii, Uſſerii, Carletoni, Halli & Witakeri, ad debellandum Papam ſe geſſerunt; quique omnes uno conſenſu & ore illum Antichriſtum & eſſe probarunt & ejicere penitus de regno & pectoribus hominum omnem dederunt operam: unde magis 'endum, cum radicitus videretur

retur evulſus Papa ex ſolo Anglicano, atque ſuperiori ſeculo cimeriæ tenebræ Papiſmi ex Anglia pulſæ eſſent per claram Evangelii Lucem, quæ nihil uſquam, nec caliginis, nec fæcis Romanenſis reliquit in Anglia, quale eſt æquior opinio de Papa quam de Antichriſto & filio perditionis; attamen, hoc demum ſeculo emerſiſſe aliquot tutelares Papæ genios inter primarios Eccleſiæ Anglicanæ viros Archiepiſcopum Laudum, Montacutum, Hamondum, alioſque, qui, deſciſcentes à puritate priorum reformatorum adeoque ſtudentes ſe amiciores Papæ probare, pertinaciter ore & in ſcriptis ſuis pertenderent, quæcunque in Apocalypſi intelliguntur à defæcatioris reformationis vindicibus de Papa Antichriſto,

chriſto, aut dicuntur à S. Paulo de filio perditionis, nihil ad Papam pertinere: tum, quo honeſtius in gratiam cum Pontificiis redirent, eum titulum Antichriſti qui in neminem quam in Papam tam aptè cadit, in ſacram Puritanorum gentem & Calvini ſectatores & æmulos, gravi ſane crimine (quod fecit Epiſcopus in Hibernia non ita pridem) transferrent, eoque graviori quod natio illa, ſeu Calviniana, ſeu Puritanica, nulli ordini virorum in Anglia, pietate in Deum, fide in Regem, vitæque caſtigatæ ſanctitate cedat. Sanè quiſquis verba Canonis Patrum Vapincenſium perpenderit, non dubitaverit quin omnes notæ Antichriſti ibi propoſitæ in Papam cadant, ſaltem in eum, qui in extremis ſeculorum

deficit

Digitized by Google

deficit à doctrina Chriſti, ut cum matrimonium prohibet, & diſtinctionem ciborum jubet: quæ duo κριτήρια ſic in Papam quadrant, ut utraque putares eſſe vera, aut utraque putares eſſe falſa: verum de Antichriſto hactenus dictum ſatis. Unum tamen vereor, nedum operam navo diruendo Papæ imperio, malè conſulam rebus Eccleſiarum reformatarum: cum enim videam Reipublicæ Batavorum firmiſſimo propugnaculo Religionis reformatæ excidium & ruinam intentari à Potentiſſimo Rege, tum agmina Jeſuitarum, miſſionariorum & Papæ emiſſariorum in dies in Angliam clam confluere, atque in familias nobiliores irrepere, tum ſe in conſilia regni ſanctiora inſinuare, non difficile eſt ario-

lari

lari quantum inde impendeat periculi & Eccleſiæ & regno; ut niſi maturè proſpectum fuerit à Sapientiſſimo Rege & regni Ephoris, futurum ſit, dum lis de lite ducitur circa futilia, ſaltem non neceſſaria, ut Papa magnam in Anglia & ſementem & meſſem faciat per ſuas locuſtas ex abyſſo prodeuntes; quorum conſiliis clandeſtinis & artibus veteratoriis per cuniculos molitur ſubvertere res noſtras, vitam, fidem, & Religionem, funeſtiori ſucceſſu quam ſi aperto Marte & Claſſibus; ut tentatum ab illo anno 1588. id ageret, Avertat Deus hoc malum.

At Vir Nobiliſſimus & longè illuſtris de gente laica, atque de illorum choro ad quos ſcribo, & cui quoque noſtra nova

Ratio maximè probatur, & videtur illam quam edimus Rationem, non ſolum novam, ſed & certam & expeditiſſimam eſſe, per quam Papæ totique Romanenſi apparatui excidium afferatur; Vir inquam ille illuſtris voluiſſet me in lemmate libri abſtinuiſſe vocabulo *unica*, quo videor fidentius pronunciare per hanc ſolam Rationem quam exhibeo, nec per aliam quamcunque, Papam unquam ruiturum; quæ cenſura, mihi cauſa fuit eam vocem omittendi in poſteriori titulo, quem huic Admonitioni præfigo, potius ut morem geram viro nobiliſſimo, quam quod mutem ſententiam de Ratione mea, quaſi non eſſet unica Ratio tollendi è mundo Papam & totum ſyſtema Romanenſe; planè enim

imbibi, & illam ſolam, & unicam, (vel & ſolitariam) eſſe Rationem; atque ut me docuit Paulus Sarpius, illum quem attrecto corporis Romanenſis morbum, eſſe *noli me tangere*, qui vel primoribus digitis tactûs, vitam & Papæ & toti Romanenſi apparatui auferre debeat, quemadmodum doceo capite decimo tertio hujus opellæ.

Nec finis eſt aliquid deſiderandi in nova noſtra Ratione; nam, non ita pridem Vir emunctæ naris & qui per omnia commendat & laudat novam noſtram Rationem, affirmat illam quam retego veritatem, de illarum eſſe numero quæ profundè demerſæ in puteo Democriti, nunquam inde eximentur, ut lucem conſpiciant; Papam ſecurum eſſe ruinæ quæ impendeat

ſuo

Digitized by Google

ſuo imperio, ſuæ Religioni & Eccleſiæ per ruinam Poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſic efflictim amatæ & retentæ à Proteſtantium Antiſtitibus, ut potius clava è manibus Herculis eriperetur quam paterentur de ſacro ordine viri hunc gladium Poteſtatis ſibi extorqueri: ac proinde fruſtra me hac ſpe lactari & duci, ut terrarum Domini qui Papæ veſtigia lambunt unquam exolvantur hoc figmento humano & fraude quæ Proteſtantium Paſtoribus non eſt fraus, ſed res vera, bona, utilis & ſancta; verùm, quanquam, cùm primum animo agitavi de hoc argumento, quod præ manibus habeo, ſcribere, prævideram evenire poſſe, ut eo nomine ſucceſſus deeſſet novæ noſtræ Rationi; attamen non deſpondi animo fu-

turum ut illi Rationi, ratio, eadem, utilitas, idem proſper eventus, qualem nunc mihi ſpondeo, conſtet; etiam relictâ Eccleſiaſtico ordini ſua poteſtate, imo, commendatâ, probatâ & laudatâ, ut re tam ſancta quam eſt ipſa pietas: ſiquidem capite ſecundo, quod eſt iſtius præjudicii depulſio, demonſtro, nihil inde decedere de novæ noſtræ Rationis & veritate, & facilitate eam expediendi; atque perinde eſſe ad impletionem myſterii iniquitatis, & fabricam imperii terreni Papalis, pompâ, divitiis, & robore illuſtris, quo Papa conciliat authoritatem futulibus quibuſque Romanenſibus doctrinis: perinde inquam eſſe ad ædificationem iſtius imperii, & retinendos in obſequio Papæ Reges & popu-

populos, eoſque circumſcribendos, ſive Papa illud imperium obducat mendacio, ſive veritate fucet: eadem & pari fraude per tectorium vel hujus vel illius, manente & circumſcribente Reges & populos.

Antequam finio debeo examini ſubjicere aliquot ſtricturas viri reverendi (cui ſepoſui Epiſtolam,) in opus meum, ut infirmet quod ubique dico, ad caſum Papalis imperii, pompâ, robore & divitiis fulgentis, quibus authoritas conciliatur Romanenſi Religioni, hanc cadere debere; affert exemplum Græcorum & Henrici VIII. Angliæ Regis; hoc retinente Religionem Romanam poſt abactum Papale imperium; illis non abeuntibus à Romanenſibus erroribus quibuſdam; quibus tamen

men nulla authoritas accedit ab imperio Papali: ſed utrique objectioni puto me feciſſe ſatis capitibus 18 & 19.

Non officit mihi quod reponit de Concilio Conſtantienſi abrogante authoritatem Papæ, nihil delibando de Religione Papali, quin potius impietatis colophonem addendo cæteris Romanenſibus doctrinis, quæ de Papa non loquuntur, per decretum quo calix Euchariſticus laicis adimitur. Nam pernego id Concilii, Papale imperium aut evertiſſe aut debilitaſſe: tentaviſſe quidem Canone Papam Concilio ſubjicere, ſed irrito conatu: cum ſoluto Concilio longè major eſſet Papæ authoritas quam ante Concilium fuerat. Namque Patres Concilii Florentini & Tridentini, nihil

morati decretum Concilii Conſtantienſis, longè ſupra Concilium Papam extulerunt: quid? quod Martinus Quintus poſt miſſionem Patrum, non ſe geſſit ut virum mancipatum dictatui illorum, aut ullius Synodi, cum ſcribens ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ſe vocat arbitrum imperii cæleſtis, Chriſtum Domini, Dominum univerſi orbis, Patrem Regum, Lumen mundi.

Certè uſque adeo hoc ſeculo, hinc Papale imperium erat robore validum, illinc verò exigua authoritas erat Concilii, aut Conſtantienſis, aut Baſilienſis, ſubjicientis Papam Concilio; Baſilienſis imprimis Eugenium exauctorantis, & in ejus locum Amedeum qui ſe Felicem V. vocavit, ſubſtituentis; ut non ſolum nemo

Patrum Tridentinorum auderet illas Synodos legitimis accenſere ; aut Felicem pro vero Papa agnoſcere, ſed & ab Eugenii potiſſimum authoritate & ſui Concilii Florentini aſtrueretur Papæ Monarchia univerſalis, ut decreta eſt in literis Unionis: ut jam, ſi quoquam argumento probare vellem, ſola Papæ authoritate conſtare authoritatem Conciliorum, Eccleſiæ & doctrinarum Romanenſium, id mihi aſſumerem, quod Vir reverendus protulit ut contrarium aſtrueret.

Quod dicit non magis Tranſubſtantiationi Papiſtarum quam conſubſtantiationi Lutheranorum accedere authoritatem ab imperio aliquo pompâ, robore & divitiis illuſtri, non multum habet virium, nego enim parem eſſe

eſſe rationem dogmatis horum & illorum. Non credunt Lutherani, ulla infallibili (præterquam Scripturæ) authoritate inniti ſuam conſubſtantiationem, ad modum Pontificiorum; quorum plerique accenſent ſuam Tranſubſtantiationem traditionibus non ſcriptis, quibus non ulterius gratia & authoritas accedunt quam quatenus hanc & illam habent à Papa & Eccleſia Romana, hoc eſt, ut doceo ab imperio Papæ terreno, illuſtri & magnifico; vocabulo Eccleſiæ ad fucum faciendum obducto, ut jam concidente ſeu Eccleſiæ Romanæ ſeu Imperii Papalis (nam eadem res eſt) authoritate, eadem ruinâ cadere debeat Tranſubſtantiatio, quod de conſubſtantiatione Lutheranorum dici nequit.

Digitized by Google

Profectò ſi (quod luculenter probavi,) authoritate Eccleſiæ Romanæ intelligenda eſt ſolius Papæ authoritas, & nomine Eccleſiæ Romanæ intelligendum eſt Papale imperium in Reges & nationes, robore, pompâ, & divitiis illuſtre: tum ſi non ulterius ab his & illis ſuſpicitur & colitur illud imperium, quam quatenus obductum & fucatum eſt vocabulis, Eccleſiæ, Poteſtatis & Monarchiæ Eccleſiaſticæ & ſpiritualis: ſi denique quod volunt doctores Romanenſes, non ulterius Scriptura habet authoritatem quam quatenus à Papa probatur: tam neceſſaria conſecutione ſequetur Reges & populos exolutos illa fraude vocabulorum quibus Papa ſuum imperium fucat & probat, ſtatim id imperii everſuros,

& con-

& concidente imperio eâdem ruinâ involutum iri fidem, Religionem & Eccleſiam Romanenſem: tum Sacræ Scripturæ ſuam authoritatem redituram; ac proinde omnem authoritatem Romanenſium doctrinarum perituram: tam inquam neceſſariâ conſecutione hæc ſequentur & evenient, quam certum eſt orto ſole nulla non objecta, ſe datura in conſpectum oculatorum: cui conſecutioni naturali, fidem aſtruit tota cohors Romanenſium Doctorum, imprimis Jeſuitarum: namque quiſquis cum Andradio ait, *fide Papæ noſtra continetur, & ex ejus unius authoritate noſtra ſalus pendet*; & cum Gretzero; *non recipimus pro verbo Dei, niſi quod definivit Papa in cathedra Petri*, hoc ipſo dicit diruto Papa ejuſque imperio,

perio, fidem Romanenſem omni ſua authoritate excidere, ac proinde Tranſubſtantiationem: quod perinde de conſubſtantiatione dici non poteſt, quam Lutherani volunt ſolâ Scripturæ authoritate niti.

Sed ſubit me admiratio, unde fiat quod rationis compos, nec præjudiciis abreptus, non agnoſcat, ut ad detractionem larvæ Poteſtatis Eccleſiaſticæ, quâ, ut palam facio capite decimo Papa obducit imperium terrenum hoc ſtatim ruere debet, ſic ad caſum iſtius imperii non diu uſurpatum iri in toto, ſeu Papali, ſeu Romano imperio cultum linguâ ignotâ, ac proinde nullo in pretio futuras doctrinas Romanenſes quæ ſub hoc Barbaro involucro probantur: nam cum lingua Latina ſit Pa-

palis imperii firmamentum & ſervitutis authoramentum, tum tectorium & velum, quo vera, falſa, futilia in Canone miſſæ teguntur & fugiunt cognitionem Regum & populorum, & quo ſervitus ſe infert ſub vocabulo libertatis, & ignorantia, imo impietas ſub vocibus ſanctitatis & docilitatis fidei Chriſtianæ, planè conficitur, ut ad caſum imperii Papalis cadere debet cultus ille Barbarus, ſic ad illius Barbari cultûs ruinam, ruere debere totum illud ſyſtema Romanenſe, cui authoritatem & gratiam conciliat Barbara lingua, ſub cujus velo doctrinæ Romanenſes, ut imagines Bruti & Caſſii in funere Juniæ apud Tacitum, eo magis præfulgent, quia non viſuntur.

Vellicat quod dixi de natura

Eccleſiæ, quod extra notionem Eccleſiæ, cum fideles in unum locum coeunt ad audiendum & prædicandum verbum; ad danda & participanda Sacramenta, & vacandum precibus, cujus Eccleſiæ ſolus Chriſtus eſt caput & Epiſcopus, omnis cœtus Paſtorum, Epiſcoporum, ſeniorum, Theologorum, congregatorum ad ordinandas res Eccleſiæ, ſit perinde cœtus Politicus, atque cœtus mercatorum, fabrorum, Medicorum, res ſuas diſpungentium communi jure, cujus legibus, conſtitutionibus, decretis, cenſuris, vis non accedit ab earum bonitate, æquitate, juſtitia, ſed à voluntate decernentium & majori numero; quorum hominum in cœtum aut Synodum coactorum, tum legum, conſtitutionum, cen-

Digitized by Google

ſurarum latarum, Chriſtus quâ mediator non eſt lator, Epiſcopus vel rector & gubernator, ſed Rex, & Magiſtratus, vel diſcipli-na confœderata. Tum confundit Vir reverendus actus functionis ſacræ in cœtu fidelium, cum actibus Juriſdictionis in Synodo, Conſiſtorio & convocatione cleri, non alio jure quam Communi (licet Divino) utentibus. Certè cum jubet S. Paulus ut omnia in Eccleſia ordinatè peragantur, de eo ordine loquitur qui uſurpatur in omni ſocietate & qui locum habuit in Synagoga, in qua ſacerdos vi functionis ſacræ jus Dei declarabat, legem Dei exponebat, tingebat, mactabat, ſacrificabat; at leges ferebat, ſanciebat, imperabat, vetabat, puniebat jure Communi

muni Judicibus & Principibus populi, etiam in ſacris, ut recte obſervat Toſtatus & Petrus de Marca ex Maimonide, opere de concordia Imperii & ſacerdotii; ubi vult parem rationem eſſe aut eſſe debere ſub œconomia Evangelica. Sed de hiſce fuſius in opere ipſo.

Porro, ut finem tandem imponam huic benè longæ Admonitioni, confido, niſi majorem mei quam par eſt fiduciam habeam, ut ſuæ quiſque inventioni favet, me longè utiliſſimam veritatem à nemine hactenus patefactam, hoc opere evulgaſſe: &, ſi in exequenda hac cauſa, laboravi infirmitate ingenii, orationis & eruditionis, me tamen iſtius cauſæ Jugulum vidiſſe & preſſiſſe; & ſi non jugulavi Papam, ſaltem locum mon-

Digitized by Google

monſtraviſſe in quo ſolummodo eſt penetrabilis & mortalis. Altrinſecus in hoc confirmatus ſum illud non eſſe (quod Plinius Junior dicebat de Regulo) Cauſæ Jugulum, in quod viri Clariſſimi Larocca & Claudius inciderunt, ſi non elegerunt, quo impetito, debellarent Papam, & eâdem ruinâ, totum apparatum Romanenſem everterent, diruerent: quanquam viri reverendi longè abſunt à malis oratoribus de quibus loquitur Lucianus, quibus perinde eſt accipere, aut pro fronte ſuram, aut pro ſura verticem: quia fieri poteſt, ſi Tranſubſtantiatio eſt talus, ut Papa ſeu alter Achilles vulnere ex ſagitta in eam partem adacta ab

altero Paride ut eſt Claudius, ſic ruat & pereat, ut mea nova Ratione non ſit opus: quem felicem ſucceſſum illi ardentibus votis exopto.

Hic

Digitized by Google

HIc locus eſſet ſubmonendi lectorem de Erratis in dictione, ſeu meis, ſeu Typographi, quæ oculos meos fugerunt; ut ſunt in Epiſtolis pag. 53. l. 4. D*onzel* pro *Denzel* & p. 197. in titulo, ubi lege Ludovico Heraldo S. S. Theologiæ Doctori, Eccleſiæ, &c. Et p. 288. l. 8. *ſentiunt* pro *ſentiant*: nam eâdem paginâ l. 22. legendum, *que juſqu'a ce* & l. 24. delendum, *il croira*, & legendum, *je croiray*. In Admonitione. p. 7. l. 2. *lege* exolveret conſilio, & p. 13. l. 8. *quale* lege *qualis*. Sed pleraque indicavi & correxi ad calcem Epiſtolarum & ipſius operis, quod ſpero iteratâ & emaculatiore editione viſurum lucem.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUGULUM CAUSÆ.

CAPUT I.

Titulus Libri explicatiùs proponitur, & ejus veritas aſtruitur.

COnſilium eſt, hoc Opuſculo monſtrare viam longé breviorem ad evertendum Papam & ejus imperium, eâdemque ruinâ involvendum, totum ſyſtema doctrinarum Romanenſium, quæ ſub umbra illius imperii florentis ſecuré conquieſcunt, quàm quæ hactenus trita fuit à Proteſtantibus. Conſtitutum eſt oſtendere, & quaſi digito indicare, quodnam ſit Jugulum Cauſæ, atque ſufficere Proteſtantium Antiſtibus, arma decretoria, quibus id juguli petant; tum uno, nec repetito ictu, & Papæ & toti Romano apparatui, atque Romanæ, ſeu Eccleſiæ, ſeu Religoni vitam eripiant; tum imperium Papale ad terram dent & diruant, ſine ulla ſpe reditûs & redhibitionis: unde mihi certa eſt fiducia fore, ut horâ unâ plus proficiant, inſiſtendo rationi à me propoſitæ, quàm hactenus uno ſeculo præſtiterunt, ſeque exſolvant labore operoſo & in orbem acto deſudandi circa deliramenta Romanenſium doctrinarum confutanda, de quibus libri & tractatus à milleſimo quoque Romanenſium non attinguntur, nec niſi à Proteſtantibus, aut emuntur, aut leguntur: nec inde hi & illi tam diſcunt vivere quàm diſputare: hæcce ut liquidius

 quidius

quidiùs palam faciam, ſubjiciam aliquot corollaria, quibus totus conſpectus hujus diſſertatiunculæ exhibetur, quorum probatione conſtat veritas tituli quam præſe fert.

1. Primùm edoceo; quod Doctrinæ Papales, & totus Romanæ Eccleſiæ, tum Hierarchiæ apparatus, Traditiones, Ceremoniæ, Epiſtolæ, decreta, Scripta, acta, miracula, legendæ, indulgentiæ, quibus ſyſtema, ſeu religionis, ſeu Eccleſiæ Romanæ conflatum eſt futilitate & abſurditate, provocare ipſum Mahumetiſmum.

2. Quod (quemadmodum uſu venit, Mahumetiſmo) totus hic, ſeu Papalis, ſeu Romanenſis apparatus à Gregorio VII. ad noſtra tempora, ſtetit, duravitque immotus (licèt ſæpe laceſſitus & impetitus) propter robur & authoritatem imperii Papalis, terreni, Divitiis, pompa & fulgore illuſtris & florentis, quod ſibi Papa in Reges & nationes ædificavit, ejuſdem plané naturæ, quæ fuit Conſtantini Magni; cujus, ut ait Bernardus, Papa eſt ſuceſſor.

3. Quod veluti concideret Alcoranus & totum ſyſtema Doctrinæ Mahumedicæ, ſi imperium & Turcicum & Perſicum ruerent; ſic plané cenſendum deliramenta illa Doctrinarum Romanenſium, à quibus perpetuo litigio jure & meritò diſſident Proteſtantes, ut Sacrificium miſſæ, Tranſubſtantiatio, purgatorium, cultus imaginum, ſynaxis linguâ ignotâ, ruitura, ſaltem nullo pretio futura, ſi imperium quod tenet Papa in Reges & populos

Digitized by Google

los everteretur; &, ſi, quemadmodum fecit Rex Angliæ, cæteri Reges qui ejus imperio parent ab eo deſciſcerent.

4. Quod nunquam erit animus,neque mens Regibus & Principibus, Papalis imperii excutere jugum, quandiu in ea ſententia quam alté imbiberunt perſtabunt, Illud imperium Papæ in Reges & terrarum Dominos non eſſe terrenum, nec naturâ ſuâ paria faciens, cum eo, quod ipſi in ſuos ſubditos tenent; ſed ſpirituale & Eccleſiaſticum eſſe, ad cujus clavum Papa jure & præcepto Divino ſedeat ſummus rector, gubernator & Epiſcopus.

5. Sed, ſi ſemel Reges & Principes qui parent imperio Papæ eo errore exolverentur, firmiter & arcté illud tenentes, Papam ſub fuco, pigmento & tectorio Imperii Spiritualis & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, in Regum capita, regna, & negotia ſibi ſtruxiſſe, & etiamnum retinere imperium terrenum, conſimile illi quod ſibi paraverant Auguſtus & Conſtantinus in Italiam, Hiſpaniam, & Galliam; & compertum haberent ſe hactenus larvato & ſcenico Imperatori fidem præſtitiſſe, haud dubium, quin impatientes conſortis ſe ab ejus imperio ſubducerent, eumque juberent Romæ, non Pariſiis rem habere.

6. Atque ſic everſo imperio terreno Papæ, divitiis florente & fulgore coruſcante & illuſtri, quo oculi, non tantum Romanenſis plebis, ſed & virorum qui ſunt altioris intellectûs de clero Romano, & quos meliore luto formavit natura, ſunt excæcati, nec minus

Digitized by Google

præjudiciis abrepti,ut ſunt Godellus Epiſcopus & Arnaldus Sorboniſta, fugiat neceſſum ratio eum qui ulterius in ea ſententia foret, totum Romanenſium doctrinarum complexum non ruiturum ad caſum & exidium iſtius Papalis imperii.

7. Cum hæc ita ſint, quis non exiſtimet tempus, melioribus rebus conceſſum viris literatis à bono Deo, inutiliter conſumi? quin ſunem litium & contentionum duci in perpetuum, in labore refellendi & confutandi per partes, (quod faciunt Romani nominis & religionis hoſtes) errores Romanenſes, ut ſunt tranſubſtantiatio, invocatio ſanctorum, cultus imaginum, & ejuſmodi deliramenta & ſardi venales; cum nulla mens ſana non credat aut ultrò non fateatur Romanenſes Doctrinas accipere pretium à robore & fulgore imperii Papalis. Nunquam terrarum Domini accomodaſſent aures vacivas, hiſce Rommanenſibus deliramentis, niſi eorum oculi prius excæcati fuiſſent ejus ſplendore, & ad tantam lucem caligaſſent: nec ea caligine diu detenti fuiſſent, niſi horror imperii cæleſtis, Eccleſiaſtici & Spiritualis θεῖόν τι præ ſe ferentis, quale firmiter credunt eſſe imperium Papale, eos obſediſſet.

8. Quis, inquam, non videat, jugulum & arcem cauſæ, in quam debeant Doctores Proteſtantium invadere, eſſe larvam illam quæ fucum facit imperii Spiritualis & Eccleſiaſtici, terrarum Dominis qui Papæ nomen dederunt; & fruſtra ſperari aliâ viâ mulierem inſiden-

inſidentem ſepticolli Urbi, de ſolio ſuo deturbari poſſe, quàm inſtillando iſtis Unctis Domini Papam ſub hac larva eorum capitibus inſultare, quemadmodum fulgore imperii terreni conciliat authoritatem Doctrinis quibuſque futilibus apud fatuam plebem; apud quam omne ignotum eſt pro magnifico, & omne magnificum pro bono, vero, & Juſto.

Nam & apud Reges & mundi Monarchas imperium majus & illuſtrius ſuo, ut eſt Papale, venerationem parit, & cum veneratione imperii coruſcantis, intenditur cultus qui exhibetur Eccleſiæ Romanæ, ejus religioni Doctrinis & traditionibus, quæ ab eo imperio Papali, ſplendorem & authoritatem accipiunt. Nam rem ita eſſe hinc liquet; quod cum Epiſcopi Romani, aut nullum, aut exiguum eſſet imperium, ſaltem longè ſplendore & pompâ infra mundana imperia fulgeret in orbe Chriſtiano; ut nullus erat reſpectus aut parvus, ut loquitur Æneas Sylvius ad Eccleſiam Romanam; hoc eſt, ad Papam ejuſque imperium: ita ſanè fuit exiguus reſpectus ad eam Religionem & Doctrinas, quas Epiſcopus Romanus ſua authoritate commendaret. Verùm quidem eſt per eum fucum & larvam vocabulorum *Eccleſiaſtici* & *Spiritualis*, Papam fucare & probare ſuum imperium terrenum majus quoquam Chriſtianorum Monarcharum. At id non obſtat quominus ille fucus, & illud imperium, non ſibi mutuas operas, gratiam & authoritatem tradant, ut imperium Papæ terrenum majus imperio Regum,

 habeat

Digitized by Google

habeat authoritatem apud illos à fuco vocabulorum quo obducitur; quibus tamen amotis, plané concideret & rueret illud Papale imperium: at viciſſim nullius eſſet authoritatis Papale; imperium, ſi duntaxat eſſet ſuburbicarium, quantumvis perinde fuco vocabulorum *Eccleſiaſtici* & *Spiritualis* obductum. Ut jam mundi Monarchæ, non revererentur θεῖόν τι in imperio Papali, ſi illud imperium anguſtis finibus concluderetur, utut tam fucatum & perſonatum eſſet quàm id quod majus eſt & longé latéque porrigitur. Quæ reputatio eſt Achillæum argumentum, probans parem & eandem eſſe rationem, Papæ totiuſque Romanenſis apparatûs, Eccleſiæ, Religionis, Doctrinarum, quæ imaginum, quibus authoritas accedit & veneratio defertur propter locum excelſum in quo locantur, propterque aurum, argentum, purpuram, quibus fulgent, ornantur & obteguntur: ac proinde, ut ſubmota imagine ſuâ capſulâ & loco excelſo, atque ſuis ornamentis exutâ, concidit cultus imaginis; ita cum imperio Papali diruto, unà ruere debere Papam ejuſque Eccleſiam, Religionem, & Doctrinas.

Profectò niſi Deus doceat viros ſanctos hanc viam quam trado eſſe Jugulum, ſeu locum ubi Roma eſt penetrabilis; auguror, quicquid præterea in eam moliuntur futurum vexationem non expugnationem: nam ipſa vexatione (ut arbor quæ non eſt ſolida & fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat) multò firmiùs & vegetiùs ſtat hodie, ſtabitque impe-

Digitized by Google

imperium Papale, licet acciſum tertiâ ſui parte per Lutheri, Zuinglii, & Calvini prædicationem, quàm ſtetit ante. Cum enim antea corpus Eccleſiæ Romanæ plus vitiis intercutibus laboraret quam hodie, & inſuper ſæviret in propria viſcera, nunc ab hoſtibus externis pulſatum, ſed animis & viribus unitum majori cum robore propulſat injuriam quancunque externam à Proteſtantibus illatam: tantoque firmius ſtat hodie Papale imperium, quod hæc deliramenta Romanenſium doctrinarum, licet potiſſimam ſuam authoritatem deberent tempore Lutheri (& ut hodie uſu venit) fulgori imperii Papalis longé florentiſſimi; attamen nullo fuco probabilitatis & ſimilitudinis veri & boni obducta eſſent per artes aut Concilii Tridentini aut Baroniorum & Bellarminorum, nullaque extaret norma fidei Romanæ, qualem poſtmodum Synodus illa feralis nobis exhibuit, quam populi ſequerentur: cum ante Concilium Tridentinum non alio vinculo alligarentur Papæ, quàm quod eſt ſubditorum, qui obnoxia capita ſubjiciunt ſuo Domino, atque imperium ejus Divitiis & pompâ illuſtre ſuſpiciunt, cujuſque, aut terrore, aut amore in obſequio & fide continentur.

Unde non mirum ſit tempore Lutheri, tanta & tam magna facta fuerit in religione mutatio deſciſcentibus populis turmatim, non tam ab imperio Papali quam à fide, quæ cum nullibi ſcripta aut certa eſſet, ſimul ac illa (quajiſcunque tum ore tenus circumferebatur) à

Digitized by Google

Luthero vivis, aut potius fœdis ſuis coloribus evulgata fuit, tam abſurda, tam inficeta viſa eſt, tantumque aut cachinnum, aut odium & horrorem concitavit ubique apud ipſos communionis Romanæ Reges, plebemque; ut non tam mirum fuerit, partem magnam populorum acciſam fuiſſe Papali imperio, quam non omnes & Principes & populos de Papæ imperio ab eo deſciviſſe. Potuit tunc temporis ſola confutatio errorum, Papalium à primis illis reformatoribus inſtituta, Papam exuere tertia imperii ſui parte; at nunc ſi reviviſcerent, haud credo parem exitum futurum conſimilibus auſis; nec puto nunc magnam ſperandam defectionem à Papa per patefactionem & detectionem errorum Papalium in Doctrina fidei, ut eſt Tranſubſtantiatio, purgatorum, cultus imaginum, niſi horum errorum agmen ducat fraus latens ſub vocabulis Poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis: quo fuco & tectorio, Papa jam per plura ſecula incruſtavit ſuum imperium terrenum, & populorum immenſam turbam pellexit ad ſe, & in ſua religione & obſequio continuit.

Hujuſce ſolius fraudis detectione, firmiter credo & pertendo Romam ruituram: quo magis glorior & gaudeo me inveniſſe rationem in compendium mittendi tot lucubrationes, labores & volumina, quibus viri ingenio acri, judicio ſubacto, Doctrinâ reconditâ, nati ad pia, ſeria & utilia, miſeré conterunt tempus, fimum gladio aut ſceptro fodiant, & lenti infundunt unguentum; hoc eſt objiciunt intel-

intellectum ad purgandum Augiæ ſtabulum: Porro, quod credam, illius fraudis detectionem locum eſſe lethalem Romanenſi, tum imperio, tum religioni, has cauſas habeo.

1. Primò quia ante Concilium Tridentinum populi Romanenſis communionis, non tam Papæ aut Eccleſiæ Romanæ, religioni aut fidei, quæ nulla extabat, quàm imperio eoque terreno abhærebant; nec iſti imperio parebant, niſi ſub ſpecie Monarchiæ ſpiritualis & Eccleſiaſticæ.

2. Cum fluctuaret populorum fides, nec uſquam fidei norma compareret, quam ſequerentur (niſi ſacra Scriptura credendorum eſſet regula) facile fuit ad quamcunque fidem (multò magis re & ſpecie veram, & piam,) qualis fuit Lutheri, adducere, & à Papa abducere.

3. Cumque ante Concilium Tridentinum, fides quæ ore vulgi ferebatur, futilis & abſurda eſſet, tamque extravagans quam Extravagans Bonifacii VIII, necdum à quoquam, aut Concilio quod generale vocant comprobata, aut Jeſuita & Miſſionario ementitis coloribus veri & boni fucata, pronus fuit tranſitus ad eam quæ in negotio ſalutis, aut ſaniora, aut certiora doceret.

4. At nunc Concilio Tridentino ſuppeditante certam normam fidei, quam per omnes artes ſubdolas, abditos ſenſus & verſatiles, Patres Tridentini commodiorem & acceptiorem vulgo reddiderunt: tum Baronio, Bellarmino, & numeroſa turba Romanenſium, illam

Digitized by Google

lam per picta tectoria Sophiſmatum probantibus fatuæ plebi; imo & ulteriorem veri inquiſitionem interdicentibus, melioribus ingeniis, quibus nova, tuta & præſentia, & commoda eaque magnifica, plus arrident, quam vetera, ſed periculoſa.

Porro cum ad inquiſitionem veri, mos ſit in foro civili, ut utraque pars ſibi invicem ſufficiat litis inſtrumenta; hic inter Pontificios & in Eccleſia Romana, contrarium uſurpatur: quippe ſolenne eſt Pontificiis Doctoribus, jubere quidem & hortari noſtros, ut conſulant documenta litis, qualia ipſi edunt: at ſedulò cavent & dehortantur ſuam plebem, ne attingant & legant Proteſtantium libros, à quibus ſtatus litis candidé profertur & exhibetur: nempe quia tacitè verentur, ne lectione horum ipſa veritas diſpaleſcat. Rem ita eſſe teſtatur Sorboniſtarum anteſignanus Antonius Arnaldus, nupero libro, eoque ſpiſſo, adverſus reverendum Claudium lib. 11. pag. 161.

“ Ils ne ſe plaindront pas qu'on detourne
“ les Catholiques de la lecture des Livres de
“ leurs miniſtres, parce qu'ils ſcavent que les
“ Catholiques étant attachez à leur Doctrine
“ par la creance qu'ils ont au temoignage de
“ l'Egliſe, doivent juger qu'ils nont pas beſoin
“ de ces examens, que la foibleſſe de pluſieurs
“ eſprits leur peût rendre dangereux. Et ils
“ n'en concluront pas que les Calviniſtes doi-
“ vent auſſi ſe diſpenſer de lire ceux des Ca-
“ tholiques, parce que la raiſon leur fait

“ voir,

" voir, que ces examens ſont neceſſaires à
" ceux qui ſe rendent juges de la Doctrine
" de l'Egliſe, & qui etabliſſent leur foy ſur
" leur propre lumiere, & ſur la recherche
" qu'ils pretendent avoir faite del à verité; &
" que par conſequent, on à droit de leur de-
" mander, qu'ils liſent toutes les pieces du
" procez, dont ils s'etabliſſent juges, & qu'ils
" ne forment pas leur deciſion ſur le rapport
" d'une des parties.

Rebus ad hunc modum ſtantibus, videtur humanitùs impoſſibile, ut per prædicationem novorum Lutherorum, Zuingliorum, & Calvinorum, integræ nationes deinceps pertrahantur & pervincantur, ad ſe aggregandum ad reformatorum coetus, & ſe à Papa abſcindant: licet non negaverim, plures privatæ ſortis homines poſt primam illam defectionem à Papa per eam prædicationem ab eo deſciviſſe, non tamen magno Papæ diſpendio; cum per defectionem ſubinde noſtrorum ad eum, illud abundé reſarciant diſpendium.

5. Cum ergo hodie propter has cauſas & per has artes, imperium Papale terrenum ſit longé firmum & in ſolido locatum, tametſi arctioribus cancellis & limitibus concluſum quam fuit ante Lutherum; non eſt per tot volumina à noſtris edita, & quæ quotidie publici juris fiunt ad confutanda deliramenta Romanenſium Doctrinarum, is expectandus ſucceſſus qui ſit operæ pretium; ſed aliâ viâ & ratione aggrediendum eſt opus

Papam

Digitized by Google

Papam ſuo ſolio deturbandi: nempe unico illo errore imperii Eccleſiaſtici & Spiritualis, quo Papa infucat ſuum imperium terrenum, & conciliat authoritatem & Romanæ & Tridentinæ fidei: exolvendi ſunt Reges & Potentes, ut levato velo poteſtatis chimericæ, Papa ſe prodat illis imperii Dominum, ſed Dominum ſuum, aut ſaltem in imperio ſocium, mirenturque patientiam ſuam, conſorte imperii tam diu tolerato, atque inde acribus igniculis fodiantur & accendantur ad æmulum & Comparem ſubruendum,& de ſolio pellendum.

Jam amoto, hoc, aut Æmulo aut Domino, non amplius video, quis uſus, quòdve firmamentum ſupererit ſcenico Imperatori, omni nudato authoritate, ſuccolandæ & ſupportandæ Doctrinæ & religioni Papali; quæ ut non à ſacra Scriptura, ita non amplius ab eo Imperatore conciliatur: omnia tum plana, expedita & facilia erunt Proteſtantibus Doctoribus: Et mirum, ni ſolo halitu, tota compages Romanenſis, ut ſtrues chartarum luſoriarum, cadat, & diſſlentur omnes Papales Doctrinæ, Religio, Monachorum mandræ, nullis poſthac retinaculis Papæ alligatæ; totuſque denique miſſificandi apparatus, dejiciatur & diſturbetur, tum cruces & imagines confringantur, nec renuent & obſtabunt ruenti Papæ terrarum Domini, ægré attendentes ad materiam de religione, de fide, de juſtitia, de reddendo cuique quod ſuum eſt, & de temperantia & continentia ſervandis, quibus omnis

omnis ejuſmodi oratio ingrata eſt, ut fuit Felici in actis Apoſtolorum, ſed avidè & pronis auribus arripientibus omnia conſilia, à quovis, ſive Turca ſive Proteſtante ſuffecta, quæ faciunt ad imperium porrigendum, Poteſtatem intendendam, atque æmulum & conſortem ſubruendum.

CAPUT. II.

Depulſio Præjudicii.

NE autem in limine lector præjudicio deterreatur à lectione opuſculi mei, & à fructu percipiendo, quem ſpero cum bono Deo acceſſurum ex noſtra diſſertatiuncula, eo quod non ſequius ſentiam de juriſdictione ſpirituali, quam de toto Romanenſis & Papalis religionis ſyſtemate: & de utroque cenſeam & pronunciem, eſſe humani cerebri figmentum, quin Papam ſub hac larva & pigmento ſuum Romanum imperium ſtruxiſſe in Reges & Principes: Juriſdictionem Eccleſiaſticam fuiſſe equum ephippiatum, per aliquot ſecula curatiùs ante adornatum ab equiſonibus, ſeu architectis myſterii iniquitatis, quam Papa in ejus tergum inſiliret, & priuſquam hic Bucephalus poteſtatis Eccleſiaſticæ ſponte genua ſubmitteret excepturus Papam. Namque firmiter imbibi, *iniquitatem* de qua St. Paulus capite ſecundo 2. ad Theſſalonicenſes mentionem facit, eſſe imperium illud terrenum, quod ſibi Papa ædificavit in Reges & Principes:

myſte-

Myſterium verò larvam eſſe illam poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis, per quam & ſub qua præbuit ſe hactenus terrarum Dominis & populis totius Eccleſiæ Catholicæ caput & Monarcham.

Ne, inquam, hiſce præjudiciis abducantur lectores à legenda mea diſſertatiuncula, noverint, licèt poteſtas Eccleſiaſtica habita & retenta ſeparatim à viris Eccleſiaſticis, tam lex Divina eſſet quam ſacrum Evangelium, nihil quicquam obſtare, quominus, quemadmodum in multis impietas ſub fuco pietatis latet, ſic Papa ſub involucro ejuſmodi poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis imperium terrenum retinuerit in Reges & Principes, florens Divitiis, & pompâ coruſcans, neque quicquam impedire, quominus Papa Romanenſibus dogmatibus per id tectorii & pigmenti; & authoritatem & venerationem conciliaverit: nam mordicus pertendo, non niſi fuco illo deterſo & mangonio amoto, poſſe tum Papam tum totum Doctrinarum Romanenſium ſyſtema ſua authoritate excidere, & fidem amittere apud Pontificiam plebem & ejus Dominos & Principes; ut jam perinde ſit ad efficiendum & præſtandum, ut poteſtas Eccleſiaſtica ſit myſterium quo iniquitas Papæ cumulatur, ſive ſit res bona ſuâ naturâ, tum licita & imperata à Deo, ut Pontificii conſtanter volunt; ſive non ſit, ut Proteſtantium nonnulli agnoſcunt.

Quid? quod poteſtas Eccleſiaſtica, ut à Proteſtantibus retinetur, flos flagrans & roſa ſit, factâ ejus collatione ad Pontificiam. Etenim

nim plerique Proteſtantes, innoxiam poteſtatem Eccleſiaſticam aſtruunt & aſſerunt, quæ corpori Eccleſiæ potius affigitur quam Epiſcopis & Paſtoribus; & quæ ex æquo congruit omnibus de ordine Eccleſiaſtico, nec minus Presbyteris quam Epiſcopis, ut qui omnem Epiſcopalem ὑπεροχὴν & προστασίαν damnent, & ſi qui non damnant ut in Anglia, non ultra Epiſcopi diœceſim aut provinciam porrigant. At Pontificii eam poteſtatem Eccleſiaſticam, (vel pié retentam & habitam, vel ſaltem bono Conſilio à Proteſtantibus) plané corruperunt, dum eam, ut loquuntur, originaliter & in primo ſubjecto Papæ affigunt, cæteris verò de clero, imprimis Epiſcopis, non niſi miniſterialiter: ut jam non debeat quemquam bonorum virorum offendere, quod ſtatuam eam poteſtatem Eccleſiaſticam, prout à Pontificiis habetur, retinetur & exercetur, eſſe larvam, fucum, & tectorium (in ſumma, eſſe myſterium) quo iniquitas apud ſanctum Paulum obducitur.

Cæterum nolim quemquam ſequius de me opinari, quaſi iniquior eſſem in totum ordinem Eccleſiaſticum; nam contrà, is ſum qui putem, non tantum æquum eſſe, ut Epiſcopi & Paſtores in ſupremis Regis & regni conſiſtoriis & conſeſſibus prima occupent ſubſellia, ſed & ut totus ordo ſacerdotalis, ut de jure Divino & humano, imo naturæ & gentium ad eum pertinet, habeat ſtationem inter allegatos ad publicos conventus ſenatores, maximamque factam injuriam à Magiſtratu refor-

mato

mato viris Eccleſiaſticiis, quibus cum cæteris hominum ordinibus, ſunt uxor, liberi & fundus, adeoque eadem civica libertas debetur, diminuendo eorum caput jure civitatis, & ſpoliando eos poteſtate civili & Politica; cum tamen ad eam ſint magis idonei, quo magis prudentiâ, Doctrinâ, pietate & rerum uſu cæteris anteſtant hominum ordinibus. Ex tanta injuria, non dubito arreptam occaſionem à ſacra illo ordine, cum ſe exutum videret poteſtate reali, ſibi aſſumendi poteſtatem vanam & Chimericam, qualis eſt quæ perperam dicitur Eccleſiaſtica.

Porrò, non abſunt ſenſa mea circa poteſtatem Eccleſiaſticam à ſententia virorum Doctorum, de omni tempore, religione, natione, Pontificiorum, Proteſtantium, Italorum Germanorum, Gallorum, Anglorum & Belgarum; ut fuerunt Toſtatus, Richerius, Petrus de Marca, Petrus Martyr, Bullingerus, Muſculus, Gualterus, Vedelius, Rivetus, Hookerus, Baxterus, Grotius, Seldemus, Juſtellus. Salmaſius, Voſſius, Stilling-Fleet, Hales, &c. qui ὁμοθυμαδὸν crediderunt præter poteſtatem verbi in Miniſterio Evangelico, non aliam dari in Eeclesia poteſtatem quam Magiſtratûs *ut* (quod
Cauſa 23 qu. 5 c. 20 ait Iſidorus) *non prævalet ſacerdos efficere per Doctrinæ ſermonem, Poteſtas ſecularis hoc impleat per diſciplinæ terrorem.*

Petrus Martyr plus tribuit Magiſtratui in regimine Eccleſiæ quam æquum putem: ille enim non tantum ſubjicit juriſdictionem Paſtorum Magiſtratui, ſed & functionem ſacram.

cram. Cæterum illud ubique tenet, Eccleſiam ſubjici Magiſtratui, non Eccleſiaſticâ ſed Politicâ ſubjectione, neque enim aut Eccleſia, aut Paſtor Evangelicus, non homo Chriſtianus, fidelis, non ipſa functio ſacra religioniſque profeſſio ſubjiciuntur quà tales Magiſtratui, ſed ſoli Chriſto. Rivetus in decalogum. *Procuratio cultûs Divini imprimis Magiſtratui demandata eſt, adminiſtratio reipublicæ in ſecundis curis eſſe debet,* & in Pſal. 110. *In regno Chriſti non habet locum coactio, ſed tantum directio; non enim vi coguntur homines ad obedientiam Chriſto præſtandam, ſed habet populum collectum verbo, non coactum gladio.*

Richardus Hookerus Polit. Eccleſ. lib. 8. *Rex eſt caput Eccleſiæ, quatenus Eccleſia eſt corpus politicum, neque enim ejuſmodi Eccleſia, aliud caput habet præter Chriſtum.* Verba cedro digna, quibus paucis ſtatuitur, quatenus Rex eſt caput Eccleſiæ: vult enim Hookerus parem eſſe rationem Eccleſiæ, Synodi, &c. quæ Collegii Medicorum, quorum Rex non eſt caput quâ ſunt Medici, ſed quâ ſunt cives, ſubditi, mariti, Patres; & quatenus ſi quando coguntur in coetum aut Collegium ſunt corpus Politicum.

Et ibid. pag. 211. *Duo genera adverſariorum militant contra ſupremam Regum poteſtatem circa ſacra: quidam enim pertendunt poteſtatem in Cauſis Eccleſiaſticis per totum terrarum orbem jure Divino pertinere ad Papam: alii, eam poteſtatem in unaquaque Eccleſia nationali ad clerum in coetum coactum. Nos qui hos & illos juxta*

B *oppugna-*

Digitized by Google

oppugnamus,aſſerimus eam poteſtatem unicuique Regi intra dominium ſuum deberi. Quibus verbis, omnem poteſtatem quæ non eſt ſacerdotii, ſeu miniſterii Evangelici, quæque tam perperam dicitur Eccleſiaſtica, quam poteſtas Collegii medicorum diceretur Medica, abjudicat à Clero.

Mareſius & Baxterus aiunt, poteſtatem Eccleſiæ eſſe de natura poteſtatis Medicorum in ægros.

Stillingfleet ait tract. de Excom. p.30. *Vim & virtutem excommunicationis in foro humano à civili poteſtate emanare, neque dari proprium effectum illius quod non fluat à Sanctione Magiſtratûs.* Atque abſurdé quæri an Magiſtratus poſſit excommunicari à Paſtore Evangelico, cum non ulterius valeat in foro humano ſententia, quàm quatenus rata habetur à Magiſtratu: ibidem ait, ad Magiſtratum pertinere jus recipiendi appellationes ubi cenſuræ ſunt injuſtæ: pag. 23. non aliam admittit excommunicationem quam quæ fit à coetu. Irenici pag.127. *ubi Eccleſia in corpus reipublicæ Chriſtianæ coiit, tum ejus ſumma authoritas ad eum pertinet ad quem reipublicæ authoritas.* In ea ſententia fuit Hales Ethonienſis, & graviſſimus author libri Anglici, quo aurum non eſt pretioſius, cui titulus eſt *Epiſcopal Inheritance,* ſeu Epiſcopalis Hæreditas; eòque majoris authoritatis, quod partibus Hierarchicorum Anglorum fuerit addictiſſimus &, προεδρίας Epiſcopalis de jure Divino vindex acerrimus: verba ejus ſunt.

Dogma

Digitized by Google

Dogma eſt Pontificium, Regimen Eccleſiaſticum eſt diſtinctum à Politico. Quod Bellarminus tuetur tanquam rem conceſſam & admiſſam ab utraque parte, eo ſolum conſilio ut Papalem hierarchiam ſupra Reges & Principes extolleret & clerum eximeret à ſeculari poteſtate: Calvinus idem affirmat, Inſt. lib. 4. cap. 11. §. 1. &c. Sed pace eorum dixerim, craſſum hunc errorem eſſe exiſtimo, licet id dogmatis ſit vulgare idolum quod quiſque animo ſibi figuravit, non aliam ob rationem, quam quia in regno noſtro & forſan in pleriſque aliis regnis, diviſæ ſunt Curiæ juridicæ, civiles ab Eccleſiaſticis; quem quidem non credo fuiſſe antiquum morem. Mox exemplo Eccleſiæ Judaicæ & authoritate Bertrami & Sigonii docet, Juriſdictionem Eccleſiæ non differre quicquam à Juriſdictione civili, & implet plures paginas, ut probet duas Juriſdictiones collaterales eſſe inſociabiles, pluribus aſtruens quod Muſculus loco de Magiſtratibus paucis affirmat; *Ipſa gubernationis ratio & natura ferre nequit, ut duæ ſint in eodem populo poteſtates authenticæ, duæ diverſæ legiſlationis & dominationes, niſi per ſubordinationem, perinde ac duobus in uno corpore non poteſt eſſe locus capitibus.*

Hales, Ethonenſis ſocius, Paulò rigidior eſt ſuis ſymmyſtis, dum omnem poteſtatem & ὑπεροχὴν abjudicat à clero, non tantum Epiſcopi in Presbyteros, ſed & horum & illius in Eccleſiam, & gentem laicam; qua in re non multum abeſt à Gregorio Nazianzeno, qui omnem προεδρίαν in Eccleſia, vult non differre

à tyrannide: Verba ejus ſunt tractatu de Schiſmate.

"Ipſi ſe decipiunt, alioſque qui volunt nobis perſuadere quod Epiſcopi per Chriſti inſtitutionem habeant aliquam ſuperioritatem in cæteros homines præter eam quæ requirit reverentiam: aut Epiſcopum eſſe ſuperiorem alio jure & ordine quàm poſitivo & per communem Chriſtianorum conſenſum. Credimus illi qui dixit nobis quod in Chriſto, non altus, non infimus ſit; quod in honore deferendo unuſquiſque debeat alium præferre: quod effatum præcidit profectò omnem vendicationem præeminentiæ: natura & religio in eo conſentiunt, ut neutra ſociet operam in arte ſcutariorum imaginum, hæc omnia oriuntur à mutuo conſenſu. Quocirca hic abuſus Chriſtianiſmi qui cum ambitioni mancipet, vitium eſt, cui non ſuppetit nomen infamiæ & dedecoris extra ordinem & modum aliorum nominum, nam non eſt præſtò mihi ordinarium, ne tranſcendentem adeo labem ſumatis pro triviali & vulgari vitio.

Quocirca velim obnixè rogatam totam nationem Proteſtantium, cum qua communionem colo, cujus fidei orthodoxæ, ſanæ & pietati citra fucum habitæ, immori propediem debeo & aveo, ne alïorſum, neve in ſequiorem partem accipiat quod ubique exagitem poteſtatem Eccleſiaſticam, tanquam humanum figmentum & larvam, ſub qua & per quam Papa hactenus ſibi obnoxios & mancipatos

patos habuit Principes & populos, quod pertendam per eam ſcalam ad id culmen conſcendiſſe quod nunc inſidet, & de ea ſcala fabricatum fuiſſe ſolium longè firmiſſimum, & proh dolor! duraturum quoad Deus hanc bonam mentem inſtillet terrarum Dominis, hanc poteſtatis larvam detrahere huic ſcenico & perſonato Regi. Denique, eſt quod ſanctam gentem rogem, ne in crimen detorqueat, quod conſtanter & ubique affirmem, Epiſcopum Romanum implevisse Prophetiam (quam Sanctus Paulus de tripode Evangelico fudit) primùm *iniquitate*, dum per omne nefas occupat imperium terrenum Romanorum Imperatorum, & invadit in jura & Juriſdictionem Regum & Principum mundi, dein *Myſterio*, quatenus ſub larva & pigmento Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, cujus promus & condus eſt Papa, hocce imperium Romanis Imperatoribus ereptum, poſſidet. Nam ſi hæc ſtatuere, credere, & hanc mentem verbis Apoſtoli affigere, crimen eſt; abſit ut iſtius criminis unquam expers ſim; neque enim unquam dimoveri patiar à dogmate, quod maturo, & ſubacto judicio imbibi, quodque planè confido, cum veritate Divina concordare. Sed, utut ſit, ſim nocens, aut innocens, levior erit apud fratres culpa hominis verba facientis de Juriſdictione Eccleſiaſtica, non ut habetur à Proteſtantibus, ſed ut à Pontificiis retinetur, nec quicquam hic aſſerentis de fuco & tectorio Poteſtatis Eccleſiaſticæ, quo ſolo, Papa obduxit ſuum imperium

Digitized by Google

rium terrenum in Reges & populos; obnoxios ſibi habuit, illiſque ſuam Religionem, unà cum imperio probavit; quod non prius agnitum fuerit à quatuor Paſtoribus Eccleſiæ Pariſienſis, in ſua Epiſtola ad Ludovicum XIII. licet in tranſitu tantùm; nec in eo quemadmodum nos jugulum cauſæ Romanenſis conſtituentibus. *Nous eſperons qu'un jour Dieu vous ouvrira les yeux pour appercevoir que ſous ce nom ſpecieux d'Egliſe Romaine, le Pape s'eſtablit une Monarchie temporelle.*

Spes eſt fore (inquiunt,) *ut Deus tibi aliquando aperiat oculos ad percipiendum, Papam ſub ſpecioſo nomine Eccleſiæ Romanæ Monarchiam temporalem ſibi in terris ædificaviſſe.*

Et Reverendus Petrus Molinæus, magnæ olim in Gallia authoritatis, teſte illuſtri * Grotio, ſic loquitur in ſuo Vate pag. 461. *Reſtituta eſt imperii Romani dignitas ſub alio titulo, nempe Hierarchiæ & poteſtatis Spiritualis.* Totuſque ejus liber de Monarchia temporali Pontificis Romani, docet, eatenus Reges ejus jugum ferre, quia fucatum eſt vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis, alioquin excuſſuros, ſi ſemel hanc larvam Papæ detraherent.

Huic veritati aſtipulati ſunt etiam Romanenſes, tum de clero viri, tum de laicis; in his Carolus Molinæus, Guillelmus Ranchinus author Reviſionis Concilii Tridentini, & Stephanus Paſquierius. Hic (lib. 3. cap. 3.) in ſuis inquiſitionibus ait jam longé ante tempora Gregorii VII. Papam mente & conſilio agitaviſſe imperium Monarchicum, *Rome au milieu de*

* Hugo Grotius oratione olim Amſtelodami habita pag. 461. *Molinæus celebris in Gallia & primi nominis* & pag. 468. *Si ex Anglia trajicimus in Galliam neminem reperire eſt majore authoritate quam Molinæum. Et* p. 494. *præter quam quod Regis Magnæ Britanniæ Electoris Friderici & Molinæi in Gallia ſententia ſit.* Lib. 4. Hiſt.

ſes

ſes ruines, couvoit de longue main un eſtat Monarchique.

De clero Petrus Sarpius narrat de Juriſdictione Eccleſiaſtica, eâ imprimis quam Papa exercet in Reges & terrarum Dominos, ideò imperatum altum ſilentium in Concilio Tridentino, quod juxta terrenam & civilem poſita, plané aut eadem, aut conſimilis videretur; unde nimis pellucebat quod reticendum erat, de injuſta occupatione Monarchiæ temporalis à Papa in alieno territorio, ſub ſpecie & involucro Religionis & Juriſdictionis ſpiritualis. Sed huic rei debemus caput integrum ſeparatum.

Antonius de Dominis (ſi tamen Pontificius) in conſilio de profectione ſua, *Eccleſia ſub Romano Pontifice non eſt amplius Eccleſia, ſed reſpublica quædam humana ſub Papæ Monarchia tota temporali.*

Ipſi canoniſtæ & Paparum adulatores, Bozius, Turrecramata, Baronius, Bellarminus, Spondanus, eandem veritatem non ſolum agnoſcunt, ſed & tuentur, cum imperium Regum & Principum ſubjiciunt Papæ imperio, ut ſubalternum ſummo. * Joſephi Stephani verba ſunt, *Principes quamprimum Chriſtiani effecti ſunt, & legitimum imperium per ſacerdotum inaugurationem ſuſceperunt, non jam abſolutè gubernant, ſed unà cum Chriſto imperii habenas gerunt; ideſt, unà cum ſacerdotibus ditiones ſibi ſubjectas tenent.* Sic loquitur Salmero, *Tam ſacerdotalis quàm Regia poteſtas, collocata eſt Eccleſiæ Paſtoribus, ut ſic regnet Chriſtus in æternum.*

* Joſeph Stephani Canonicus Dr. de poteſtate coactiva quam Romanus Pontifex exercet in regna ſecularia.

Tom. 13. Diſp. 12. de Eccleſia.

Digitized by Google

num. Thomas 2. part. qu. 60. Art. 6. ait, poteſtatem ſecularem ſubjici ſpirituali, ut corpus animæ, ac proinde non eſſe uſurpatum judicium quando Prælatus temporalibus ſe immiſcet.

Eberardus Salzburgenſis, tempore Frederici, oratione habita Ratisbonæ in conventu Principum & Epiſcoporum Germanorum, loquens de Gregorio VII. dicebat, *Jam ſunt* 175. *anni elapſi poſtquam Gregorius ſeptimus, prima fundamenta jecit imperii ſub ſpecie Religionis*, atque illud vocat imperium Antichriſti: nam eatenus eſt Antichriſtus, quia terrenum, & in Reges & nationes extructum, ut ſequenti capite videbitur.

Unde ſubit mirari, quòd Reges & terrarum Domini uſque adeo inſaniant circa cultum iſtius idoli, ſeu Papæ, per quem precariò duntaxat regnant, & cujus arcanum imperii ſemper fuit, ut Reges eſſent aut nomine tenus Reges, aut (ut loquitur Tacitus in vita Agricolæ) inſtrumenta ſervitutis. Baxterus refert cujuſdam dictum cedro dignum, mirari quod Reges tantopere ſolliciti eſſent de Papa habendo & uno Papa, cum, ſi libera eſſet Papæ optio, omnis Regum natio aquâ & igni interdiceretur, & ut dicebat Gregorius VII. fieri debere, non alius ſub cælo nomen eſſet Regium, præter nomen Papæ.

CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT III.

Imperium à Papa habitum jam per plura ſecula in Reges & nationes eſt merè terrenum, & ejuſdem naturæ atque imperium Regum in ſuos ſubditos, quanquam ad fucum faciendum illud retinuerit hactenus ſub nomine Eccleſiæ Catholicæ & vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis.

PApam ſucceſſiſſe Imperatori occidentis, adeoque ejus imperio terreno in Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam & Belgium docuit nos Sanctus Paulus 2. capite 2. ad Theſſalonicenſes & Johannes multis in locis, præſertim capite 17. Apocalypſeos, ubi bellua (ideſt Imperium Romanum) lethaliter ſaucia ſanatur, eique vires redduntur, ſub alio titulo, nempe Hierarchiæ Romanæ; in quam verſu 13. Reges mundi dicuntur collaturos ſuam poteſtatem & Juriſdictionem. Cujus loci parafraſis hæc eſt, Papam Romanum, non tantum liberalitate Principum locupletatum iri territorio, unde fiat Princeps juxtà terrenus, ac ipſi ſunt, & perinde αυτοκράτωρ; ſed & per horum conceſſionem & ſequacem facilitatem auctum iri imperio quod poſſideat in eorum imperio, ſubjiciendo & mancipando ſibi eorum Juriſdictionem, capita & negotia, & ordinando cum ſummo imperio res quæ pertinent ad jus & curam ſummarum poteſtatum ſecularium: denique in ſe tranſmovendo alienum imperium, quod quidem facit etiam-

num

Digitized by Google

num hodie Papa qui in Apocalypſi deſignatur nomine beſtiæ vulnere ſanatæ.

Porro ibi dicitur, *beſtiam illam* (ſeu Papam) *cornua agni præferre ſed loqui ut draco*, ideſt Chriſti nomen ejuſque fidem obtendere, *Sed loqui impia & exercere poteſtatem prioris beſtiæ coram illa*; ideſt poteſtatem & jura prioris imperii uſurpare, idque in ipſa ſede imperii, ideſt Romæ: tum priorem beſtiam ſauciatam, ſed ſanatam, adorari & juberi ut adoretur: quæ quidem omnia docent Romani imperii collapſi decus reſtitutum iri per imperium Romanum hierarchicum. Sané Lipſius, præfatione libri de magnitudine Romana, affirmat imperium Romanum eſſe penes Papam, & Romam adhuc eſſe imperii ſedem. *Et hanc ipſam Romam & ſacrum in ea imperium fuiſſe & veluti anchoram fluctuanti Europæ*, ibi eſſe ſenatum purpureum, eò inferri tributa, eò mitti legationes gentium, ex noto ignotóque orbe, ipſos Reges & Principes adire & inclinare, & obnoxia capita huic uni capiti ſubmittere, ut jam par ſit hodie ratio Regum Chriſtianorum qui Papam adorant, quæ olim Ethnicorum Regum, ut Attali, Maſſiniſſæ, Cogiduni, intra Romanum imperium Ethnicum, ut Chriſtiani Reges tam precariò regnent intra imperium Papale, quam illi Ethnici Reges qui parebant Ethnicis Imperatoribus: nam in hos & illos quadrat dictum Taciti, uncialibus literis incidendum, ut arcanum imperii Papalis, *vetus ac jam pridem recepta populi Romani conſuetudo, ut haberet inſtrumenta ſervi-*

tutis

tutis & Reges. Et profectò quotieſcunque Papa Cæſaream Majeſtatem vocat Imperatorem Romanum, non tam honorat titulo quàm amarulento ſcommate ei illudit. Siquidem Papa ipſe Cæſarem Româ & Italico Imperio depulit, nam ipſe Papa verus eſt Imperator, qui non modò Romanos habet ſub ſuo imperio & ſua ditione, ſed & magnam Europæ partem, cujus ipſe Imperator Romanus lambit veſtigia, & defert adorationes, tenēturque Romam mittere legatos qui Papæ Cæſaris nomine præſtent Sacramentum fidelitatis & obſequii.

Nam id ipſum agit Rex Galliæ ineunte imperio, dum jurat ſe futurum obedientem filium Eccleſiæ, ejuſque jura integra, ſarta & tecta ſervaturum; quod quidem reipſa homagii præſtatio eſt Domino ſuo Imperatori occidentis, imperium ſuum tectorio & involucro Eccleſiæ ad fucum faciendum obducenti, ſuamque poteſtatem terrenam inauranti vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis, nam & ipſa vocabula privilegiorum Gallicanæ Eccleſiæ ſunt ſervitutis authoramenta & clienti conceſſæ exemptiones.

Reges Francorum ſunt Papæ ſubditi, cujus juſſa capeſſere debeant inq. Baronius 912. S 34.

Sané Cardinalis Tuſchus, Bertramus, Baronius, Bellarminus, Auguſtinus Triumphus, Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, Durandus, Salmero; imo Thomas Aquinas loquuntur de imperio Papali ut de terreno, ſibi obnoxia capita Regum & Principum habente. Bozius non dubitat affirmare, omnia regna mundi eſſe juris & ditionis Papalis, Gallos

Libro 10. de ſignis Eccleſiæ.

per

per rebellionem ſe abſcidiſſe ab imperio Romano, quod nunc poſſidet Papa. Paria loquuntur Steuchus & Joſephus Stephani. Haud abſimilia habet Pius V. in bulla fulminante in caput Reginæ Elizabethæ, ubi dicit Chriſtum conſtituiſſe Papam Principem & Dominum in omnes nationes & regna, ad evellendum, deſtruendum, diſſipandum, plantandum & extruendum. Auguſtinus de Ancona, libro de Poteſtate Papæ paſſim docet, Papam eſſe verum orbis Monarcham, cæteros precariò duntaxat regnare: *Poteſtas*, inquit, *Pontificis immediaté eſt à Deo & nulla alia eſt quam à ſolo Papa. Et ſi inveniuntur aliquando aliquot Imperatores dediſſe aliquid ſummis Pontificibus, ſicut Conſtantinus dedit Sylveſtro; hoc non eſt intelligendum, eos dare quod ſuum eſt, ſed reſtituere quod injuſte & tyrannicé ablatum eſt.*

qu. 1. art. 17.

Et revera ſemel poſito, 1. Quod Paſtoribus adeoque Papæ debeatur poteſtas cogens, 2. Sit nobilior poteſtate Magiſtratûs, 3. Ejuſdem naturæ, 4. Quod ei ſubjiciatur civilis, ut ſubalternum ſummo, ut volunt, Thomas, Durandus, Alvarez, Salmero, plané conficitur, omnem poteſtatem, vel Regum ſubjici, vel confundi cum poteſtate Paſtorum, nec incommode dictum à Salmerone, Bozio, & aliis, *Tam ſacerdotalem quam Regiam poteſtatem collatam in Eccleſiæ Paſtores, ut ſic regnet Chriſtus in æternum.*

Nec Regibus & Principibus fides adhibenda, ſtatuentibus modum obſequii quod exhibere debent Domino ſuo Papæ, quorum non eſt ut

ut ait Tacitus, imperia Dominorum interpretari ſed exequi, ſed ipſis Dominis Papis Gregorio VII. Innocentio III. Bonifacio VIII. & Julio II. quibus modus imperii eſt in ore & pectoris ſcrinio ac voluntate, quique & eorum ſucceſſores non verbo tenus ſed directa imperia & jura regalia exercuerunt in Imperatores & Reges; cum Galliæ, tum Angliæ, illis jubentes pro imperio; vocabulis uſurpatis *volumus*, *conſtituimus*, ut Sixtus IV. Ludovicum undecimum.

Nemo inficiabitur de jure Regali eſſe, prohibere jus civile edoceri pro cathedra Pariſiis quod fecit Honorius III. anno 1217. Jubere quod fecit Celeſtinus III. ut cauſæ pecuniariæ deciderentur ex jure canonico; dare licentiam, quod fecit Clemens V. Regi Galliæ exigendi tributa & collationes ex clero ſuo; figere leges Academiæ Pariſienſi, quod fecit Alexander III. edicere, quod fecit Innocentius III. ne domus locaretur dum eſt in alterius poſſeſſione.

Super ſpecula 2.8. quod clericis de foro competenti.

Nemo niſi qui ſibi oculos mentis ultrò eruit, negaverit imperii terreni illos actus fuiſſe Gregorii X. anno 1272. cum coram Philippo Audaci imperavit decimam partem redituum Eccleſiaſticorum, & capitationem impoſuit in ſingulos Chriſtianos, cujuſcumque ordinis, ſexûs & ætatis, ad ſufficiendum ſumptibus exercitûs, cujus ipſe ſe ducem ferebat & venditabat adverſus infideles; Et cum, permittente & annuente Carolo Pulchro, Johannes XXII. decimas exegit ea lege ut ipſe Rex prædam

c. quantum de Magiſtris

cum

Digitized by Google

cum Papa partiretur : cum Papa non ita pridem Epiſcopatum Pariſienſem in Archiepiſcopatum commutavit, uſurpatione inſigni & quam Juſtinianus non tuliſſet, cum in urbe natali conſtituit Archiepiſcopatum, Epiſcopo Romano, ne quidem conſulto.

Annon eſt de jure Regio exigere annatas, ſibi reſervare collationes quarumdam præbendarum & ſacerdotiorum? tum ubi beneficiarius obit ſupremum diem Romæ, aſſumere ſibi jus, nominandi, attribuendi, & implendi ſacerdotium vacuum, nſi per expreſſam bullam & diploma antea & aliter cautum fuerit, Regi hac attributione reſervatâ; quod quidem diploma collati juris, actus eſt Juriſdictionis regalis, & injuſta alieni juris occupatio.

Sané tota Gallia, excepta Provincia, & Armorica, vocatur regio obedientiæ quæ concordato, ut loquuntur, non comprehenduntur ex pacto mutuo inter Franciſcum primum & Leonem X, quo quidem à Papa datur privilegium ne in quaquam cauſa rei & actores Romam citentur, ſed coram judicibus (commiſſarios vocant, *in partibus*) à Papa delegatis iis in locis, in quibus lis & cauſa cœperunt diſceptetur; quod quidem privilegium eſt inſigne documentum ſervitii Regii Papali imperio, catenâ (ſed tamen catenâ) paulò laxiori & circumductiori, cum alibi forſan locorum, ut in Hiſpania & Polonia cogantur pugnantes partes Romam ſe conferre.

Profecto per hoc Concordatum Franciſcus I. inſtaura-

inſtauravit Papale imperium dimidia ſui parte acciſum per pragmaticam ſanctionem, juris ſui inſigni diminutione & deceſſione (& compari illi quâ Carolus Pulcher partitus eſt prædam Papalem) præter quam quod tributum fuit imperatum à Papa Gallis, ſub obtentu eam pecuniam impendendi in bellum Turcicum, quod tamen ipſo Rege conſcio, & receptore commutatum fuit in uſus privatos, Regi attributis de tota ſumma quadraginta millibus coronatorum; & tantumdem Papæ, ſeu Laurentio Medicæo ex fratre filio, qui duxerat in uxorem Magdalenam ex domo Bononienſi.

Inſtitutiones Xenodochiorum, cœnobiorum, monaſteriorum, Abbatiarum, Epiſcopatuum; horum Diviſio in plures Epiſcopatus, exemptiones Decanocapitulorum & conventuum Religioſorum à Juriſdictione Epiſcopi, (quæ quidem omnia erant olim juris Imperialis & Regii) ſunt Papalis imperii in alieno imperio, puta in Gallia, inſignia argumenta & firmamenta.

Sané Abbatia S. Dionyſii tertio ab urbe Pariſiis lapide, ut eſt inſtitutionis Papalis, ita ejus nominatio & donatio pertinent ad Papam: per diviſionem Epiſcopatuum & eorum partem alteri Epiſcopatui annexam & aſſignatam, ut cum de ſpoliis Arelatenſis & Trevirenſis Epiſcopatûs ditavit Moguntinum, & de Moguntino partem attribuit Senonenſi: & de hoc ditiorem fecit diocеſim Lugdunenſem; tum cum Arelatenſem, Bituricenſem, & Nar-

Digitized by Google

& Narbonnenſem expilavit, ut locupletaret Viennam Allobrogicam, mirum quot ubique inſtrumenta ſervitii & ſervitutis ſibi creaverit Papa, quanquam ſemper ſub aliquo pietatis obtentu, ut cum in bulla Johannis 22. Junii 25. anno 1317. reddit rationem, cur in Turonenſi Epiſcopatu inſtituerit plures alios, ne Præſul factus ditior & pinguior inſurgeret in Deum.

Quid memorem caſus privilegiatos & delicti communis, quibus omnes cauſæ, quæ in Gallia deciduntur, conſtant; his, coram Papæ Judicibus, illis coram Regiis & eo nomine inſignitis, quaſi per privilegium & conceſſionem Papæ, maxima eſſet indulgentia collata Regi, cognoſcere de quibuſdam cauſis ſuorum ſubditorum: omnibus litibus quæ inter Chriſtianos ſuboriuntur de jure ut volunt, ad Eccleſiam, id eſt ad Papam aut delegatos ab eo judices pertinentibus. Sit enim loquitur jus canonicum: *quæcunque* (inquit) *contentiones inter Chriſtianos ortæ fuerint, ad Eccleſiam deferantur & ab Eccleſiaſticis viris terminentur, & ſi obedire noluerint, quouſque obediant liminibus Eccleſiæ excludantur.* Hæc, inquam, diviſio cauſarum inſigne eſt documentum Papalis imperii in Gallia; ut & partitio cujuſque cauſæ in duas claſſes, quarum altera *petitorium*, altera *poſſeſſorium* vocatur; hoc, ad Regem pertinens, illud ad Papam, cujus eſt, ut volunt, de omni peccato cognoſcere & judicare, ut pene in omni lite, controverſia, & re, Papa diviſum imperium cum Rege habeat.

11. qu. 1. c. 7.

Quid

Quid referam nuperam & injuſtam alieni juris occupationem, imperiique in imperio Regis Galliæ, quando Papa conceſſit Regi poteſtatem implendi Sedes vacuas quatuor Epiſcoporum ob Janſeniſmum exauctoratorum, pari & perinde iniquâ vendicatione quâ Papa Urbanus VIII. diplomate permiſit Ludovico XIII. de Epiſcopis in rebellione Ducis Momorantii implicatis ſententiam ferre.

Sed ad ſolatium, ne diſpaleſcat imperium Papæ terrenum, putà in regno Galliæ, illud incruſtavit tectorio vocabulorum *Eccleſiaſtici* & *Spiritualis*; per quæ, non intelliguntur (ut debuit) quæ ſunt meré ſpiritualia, ut ſunt fides, pœnitentiá, virtus Divina per prædicationem Evangelii in corda aut legentium aut audientium Verbum Dei, agens; aut hortationes ad novam vitam: ſed, jura Regalia, poteſtas convocandi Synodos, decretis vim legum imprimendi, cenſuras decernendi & applicandi, hæreticos coercendi, hæreſes extirpandi, Sacerdotiis & Epiſcopatibus, viros idoneos ſufficiendi & attribuendi; Politiam Eccleſiaſticam, conſtituendi; de decimis, matrimoniis, gradibus conſanguinitatis, vel permittentibus, vel prohibentibus nuptias, de repudiis & divortiis, tum de Teſtamentis, legatis, fabricis Eccleſiarum, Xenodochiis ſtatuendis, quæ omnia tam ſunt hodie de jure imperii Regii, quàm de facto erant tempore Clodovæi, quem referente Gregorio Turonenſi & Faucheto in tractatu ſuo de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, agnovit tota Eccleſia

Digitized by Google

Gallicana pro rectore & capite Eccleſiæ, ejuſque judicio & examini ſubjecit decreta Concilii Aurelianenſis, ut ab eo confirmarentur, nullâ Papæ facta mentione.

Sed quid opus eſt teſtimoniis? cum ſola probatio quod omnis Juriſdictio, quæ non eſt poteſtas verbi in corda hominum per Spiritum Sanctum & per Miniſterium Evangelicum, ſit mera chimera, vana futilis & nomine tenus juriſdictio (niſi cum poteſtate civili & terrena coincidat) faciat fidem imperium Papæ in Reges & nationes eſſe terrenum, civile & Politicum, quale exercetur in omni ſocietate hominum: ſit illa Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorum, Mercatorum, fabrorum, virorum militarium, ut tam inficeta ſit juriſdictio Eccleſiaſtica, quam Medica, mercatoria, fabrilis, militaris: ſint quidem leges diverſæ à ſe invicem *Materialiter*, ut aliæ ſint Eccleſiaſticæ à civilibus, Ceremoniales à Politicis, deſpoticæ à militaribus, matrimoniales ab illis legibus quæ figuntur fabris & mercatoribus; at *Formaliter* una ſit lex, unus legum codex, ab una, eaque ſumma poteſtate ſeculari, vim robur & ſanctionem accipiens, cujus eſt ſolius jubere & punire; nam & ipſa lex Divina, ipſe Decalogus, tam formam legum civilium accipiunt à ſumma poteſtate quàm leges de ſtillicidiis & aquæ ductibus: ut jam abſurdum, inficetum, imo impium ſit, ſtatuere Synodorum, ut Tridentinæ, Canonibus & Paſtorum cenſuris vim & robur accedere debere à Poteſtate ſeu Papali ſeu Eccleſiaſti-

cleſiaſtica, cum ne ipſi legi Divinæ inter fulgura & tonitrua ſancitæ, id ſit tribuendum. An dicendum eſt, Papæ ſanctiones peculari prærogativa vim legum habere, ut jubeant, & puniant citra ſanctionem poteſtatis ſecularis; at Decalogum non ulterius ratum eſſe (quin meré conſilium eſſe) quàm quatenus robur vim & ſanctionem accipiat à ſummo Magiſtratu?

Quid? quòd, quantumvis præſupponeretur Juriſdictionem Eccleſiaſticam, tam eſſe juris Divini quàm deſpoticam, maritalem, & paternam: attamen non minus vana & illuſoria eſſet poteſtas, niſi poteſtati ſeculari per ſubordinationem ſubjiceretur; ut jam, quanquam hæc pericope, *Tu excommunicabis impium*, tam lex eſſet Divina & ferenda à Paſtore Evangelico, quam præceptum aut mandatum *Non occides*: nihilominus, tam illud quàm hoc vim legis accipere deberet à ſanctione illius poteſtatis quæ ſedet ad clavum reipublicæ.

Cumque Deus, Chriſtoque ſubjecerit per Miniſterium verbi omnem poteſtatem ſecularem, omnem animam, omnia agenda & dicenda, omnem rem, omne negotium, ut Paſtor Evangelicus judicet non judicio imperativo, aut coactivo, ſed ſuaſorio, hortatorio, ac declarativo, Dei tamen mandata perferente & inculcante, ut de omni peccato, ita de omni jure, juſtitiâ, æquo & iniquo; & tam Laté pateat ejus cognitio quàm ipſa Juriſprudentia, imo latius, ut latiùs patet officiorum quam juris regula, & eatenus ut pronunciet,

quid, & quid non pugnet cum jure Divino, illud imprimis commendet obſervandum & arctè tenendum; *Deo potius eſſe obtemperandum quàm hominibus.* Cum, inquam, tam latè pateat officium Paſtorum Evangelicorum; altrinſecus Deus in terris, omnem perſonam, omnes lites, leges, dicenda, agenda, de quacunque re aut negotio, in quocunque loco, tempore & coetu hominum, judicio, quod præcipit, mandat, jubet, cogit & punit, ſubjecerit cognitioni & imperio Magiſtratûs, non Eccleſiaſtici (cujus altum eſt ſilentium in ſacro codice) ſed civilis & Politici; inde conficitur Papam, quatenus exercet imperium extra territorium ſuum in Reges & populos, eatenus imperium terrenum Juriſdictionemque civilem & Politicam exercere, conſimilem poteſtati Magiſtratûs; nec niſi ad fucum faciendum (& ne diſpaleſcat imperium Papæ terrenum) fucari & obduci, vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IV.

Vinculum, quo ante Concilium Tridentinum, tum clerus, tum Reges & plebes alligabantur Papæ, non erat cauſa, nec Conſcientia Religionis, ſed quæ omnes populos obnoxios & ſubditos præſtat ſuis Dominis eorumque imperio, divitiis, pompâ & fulgore ſuo florenti.

NUllum populo Romanenſi ante Concilium Tridentinum affulſiſſe ſidus, nullam cynoſuram, nullam in Religionis negotio regulam fidei quàm ſequeretur & obſervaret, non dico certam, ſed ne ullam extitiſſe; tam certum eſt quam Papam Romæ ſedere: adeóque non alio vinculo Papæ adhæſiſſe Reges & populos quam ſubmiſſionis ejuſmodi per quam ſubditi obnoxia capita ſubjiciunt ſuo aut Imperatori, aut Regi, cujus modus imperandi ejuſque imperio obſequendi; non ſit in certo legum & conſtitutionum præſcripto, aut canone omnibus obvio & expoſito, & in ſecula duraturo, & qui facem præferat præſentibus & poſteris, qualem Chriſtiani, ſaltem Proteſtantes, habent in ſacris codicibus; ſed in ſola voluntate Imperatoris aut Regis illius, quem vivere norunt omnes ſubditi & imperii habenas tractari.

Corpus quidem Regum, populorum & nationum obtemperantium Papæ, erat ante Concilium Tridentinum firmiſſimum imperium, idque tam terrenum quam imperium

Auguſti; ſed nomine tenus fuit Eccleſia, ut quod nullum ſyſtema fidei Romanenſis habuit nullum canonem, nullam regulam, quam quivis mente compos & qui legere poteſt, eſſe credendorum normam certò affirmare poſſet, niſi velimus Symbolum Apoſtolorum, aut Decalogum qui ab omnibus terebantur, fuiſſe fidei Romanenſis canonem: qui quidem cum ab illis qui ſe à Papa abſciderant retineretur, non potuit dici canon fidei, qui Romanæ proprius eſſet: ut jam Eccleſia Romana ante Concilium Tridentinum eſſet individuum vagum: navis ſine pixide nautica, Concionator ſine Bibliis, Architectus ſine libella, Mathematicus ſine regula aut Circino, Pharmacopola ſine Sena aut Rabarbaro & Saccharo, Pictor ſine penicillo.

Eſtque illud ſyſtema nationum ritibus, linguis, legibus, Magiſtratibus & locis ſeparatum & diſtinctum, ſed coalitum ſub uno capite, ſeu Papa, ſeu Pontifice ſummo, nomine tenus Eccleſia; non tantum pugnans cum Sacra Scriptura & uſu loquendi in veteri Eccleſia, ſed etiam cum ratione.

Nam cum in veteri Teſtamento, Eccleſia & reſpublica in unum corpus coaleſcerent, non legimus illam, ſeu rempublicam, ſeu Eccleſiam, aliud caput habuiſſe præter Moſem, Joſuam, Judices & Reges; nec quemquam ſummorum Pontificum, virtute Pontificatûs ſummi hanc præfecturam ſummam ſibi arrogaviſſe: Stante vero Imperio Romano, Eccleſiæ Chriſtianæ diſperſæ toto imperio, ut non

non aliud caput in terris, ut in cælis in negotio & materia fidei præter Chriſtum habuerunt, nec adoraverunt; ita nullum vindicem orthodoxæ fidei, nullum gubernatorem Eccleſiarum agnoverunt præter Imperatorem Conſtantino Magno ſimilem, qui ſe Epiſcopum Eccleſiæ ad extra diceret: qui cum ſummo imperio, diſciplinam conderet, aſtrueret, vindicaret; & ad quem provocatio fieret de Judiciis ſynodalibus, ac proinde ab Epiſcopo Romano, ut in negotio Damaſi & liberii comprobatum eſt, & in controverſia inter Cæcilianum & Donatiſtas, atque in judicio pronunciato à Melchiade Epiſcopo Romano, cæteriſque à Conſtantino delegatis ſuper ea lite; Epiſcopo Romano inter hæc agnito ubique particulari Epiſcopo, cujus juriſdictio coerceretur intra Juriſdictionem præfecti urbici, quam Ruffinus vocat ſuburbicariam, & pares ſibi per omnia habente præſules magnarum ſedium, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum & Antiochenum.

Cumque Cognomentum *Rrmani* additum ad vocabulum *Imperii*, tam probè congruat Papæ imperio, quàm Conſtantini: ſic tam incongrué & abſurdé illud ſyſtema Eccleſiarum nationalium ſub uno Papa vocatur *Eccleſia*; & multò abſurdius & incommodius illæ adunatæ Eccleſiæ aſciverunt ſibi cognomen particularis Eccleſiæ: nam id cognomenti eſt de fæce poſteriorum ſeculorum ab omni ratione abhorrens. Id docet nos Albertus Pighius

Hierarch. lib. 6. c. 3. hius, *addita denominatio particularis, Romanæ videlicet, vetat quominus univerſalem Eccleſiam poſſis intelligere:* addit *quod per Romanam Eccleſiam nemo unquam intellexerit univerſalem, niſi forté Latini ſermonis ignarus:* qua in re Pighius verus eſt, docens ſuos, noſque, quaſi aliud agens Eccleſiam Romanam, primitus dictam & habitam fuiſſe duntaxat particularem; cujus Papa Romanus eſſet Epiſcopus: at everſo imperio Romano & tranſlato ad Papam, ſuum quoque imperium ad exemplum Romanorum Imperatorum veſtiviſſe cognomento *Romani:* nam hi (ut Papæ poſtmodum) Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Belgium, & Britannias in ſuum cognomentum aſciverunt: quod ſané optimé congruit cum imperio, ſeu Imperatorum, ſeu Paparum; at malé concordat cum Eccleſia, quam volunt eſſe Catholicam.

Porrò, cum omnis regula fidei debeat eſſe vera, infallibilis, clara, perſpicua, intelligibilis, ut non ſolum Doctoribus ipſis & viris Eccleſiaſticis, ſed & Regibus & populis, etiam de infimo hominum ordine & ſexu, mercatoribus, opificibus, & mulieribus ſit obvia & expoſita: bona, juſta, authoritate Divina fulta, conſtans, ſemper eadem, nec mutationi ſecundum tempora obnoxia, tum brevis, & certis fidei & doctrinarum apicibus & articulis comprehenſa, cujus aut nimia brevitas non deſtituat lectorem, aut prolixitas non fatiget; quas omnes conditiones Proteſtantes in ſacris codicibus reperiunt. At

Ponti-

Digitized by Google

Pontificii ne unam quidem harum in ea fidei norma quam ſibi delegerunt, inveniunt. Cum, inquam, regula fidei tot conditionibus conſtet, puto ſupervacaneum eſſe de grandi αἰτήματι & poſtulato litigare, quòd regula fidei ſeu norma credendorum ante Concilium Tridentinum habuerit apud Papam & Eccleſiam Romanam illas omnes conditiones. Siquidem tantum abeſt, ut ante id Concilii fides Romanenſis fuerit bona, clara, brevis, certis capitibus comprehenſa, & omnibus intelligibilis, ut nequidem ulla uſquam comparuerit & extiterit: ut tametſi concederem & ponerem, fidei ſyſtemati dato & propoſito à Concilio Tridentino, nihil deeſſe illarum conditionum à me memoratarum ad conſtituendam veram & certam fidei & credendorum normam, attamen obfirmato judicio (ſed ſubacto) pertenderem, illam normam demum cœpiſſe cum Concilio Tridentino, nec ullam, aut conſimilem, imo nequidem cujuſquam fidei, veſtigium, regulamve ante id Concilium extitiſſe: ut jam ante Concilium Tridentinum, imperium Turcicum locutione magis congrua dictum fuiſſet Eccleſia, cujus fides certa eſſet & comprehenſa Alcorano, quam quod nomine Eccleſiæ Romanæ circumferebatur; Siquidem Alcoranus ſit fidei Mahumetanorum certis & circumſcriptis articulis confectum ſyſtema, quod certo loco habetur, legi poteſt ab antiſtibus Religionis Mahumetanæ, idque evolvi paucorum dierum ſpatio, quod de fide Romanenſi ante Concilium Tridentinum nemo

Digitized by Google

mo dixerit, quæ nec certo loco reperitur, nec certis articulis comprehenſa fuit, nec brevi temporis ſpatio evolvi potuit.

Sed, ubinam tandem reperietur hæc norma fidei infallibilis, luculenta, certis capitibus comprehenſa, præterquam in Sacra Scriptura? at hanc Romanenſes nolunt eſſe judicem, neque regulam credendorum. Qui mitius cum ea agunt, pertendunt eſſe regulam imperfectam, nec idoneum judicem controverſiarum, ut qui non ſit vocalis judex, nec loquens, ſed recurrendum eſſe ad Eccleſiam, ideſt Papam. At qui aſperius, quod ſolenne habent, plerique, plauſtris convitiorum eam onerant, vocando lapidem ſcandali, naſum cereum, gladium ancipitem, portionem regulæ, vaginam quæ quemlibet enſem etiam plumbeum admittit; & æquando authoritatem Scripturæ ſibi ipſi perhibentis Teſtimonium, authoritati Alcorani, aut Titi Livii: nam ejuſmodi elogia aut potius blaſphemias reperias apud Bellarminum, Charronæum, Coſterum, Bailium, Alphonſum de Caſtro, Andradium, Pighium, Gregorium de Valentia; tantum abeſt ut, quod faciunt Proteſtantes, ad eam confugiant, tanquam ad ſolam & unicam fidei ſuæ normam.

An regula fidei Romanenſis ante Concilium Tridentinum reperietur in ſcriptis Patrum? At quidnam certi in negotio fidei expiſcari poſſumus ex authoribus, qui nec ipſi ſecum, nec inter ſe ſatis conſtant; qui de ſe prædicant ſe eſſe errori obnoxios, & ideo nolunt

ſibi

Digitized by Google

ſibi credi in negotio religionis, ſed nos amandant ad ſolam Scripturam, tanquam ad ſolam fidei normam. Quorum immenſa prolixitas & lingua vulgo ignota, efficiunt ut nequeant eſſe regula fidei certa & nota, quique ab ipſis Romanenſibus reprobantur, ſi quando, quod ſæpius fit, fidei Tridentinæ adverſi ſunt. *Scripta Patrum* (inquit Bellarminus) *non ſunt regula nec habent authoritatem obligandi.* Sic Baronius, *In interpretatione Scripturarum non ſemper Catholica Eccleſia ſequitur Patres.* Ergo non ſunt regula. Et Sixtus Senenſis. *In libris Sanctorum Doctorum quæ authenticé legit Eccleſia non uunquam inveniri prava & Hæretica.* Lib. 1. de Conciliis cap 12. anno 34. S.213.

Salmero, poſtquam plures Patres allegavit qui uno ore dicunt, Virginem Mariam conceptam fuiſſe in peccato, ſubjicit, *Reſpondeo locum ab authoritate eſſe infirmum: contra hanc quam objectant multitudinem, reſpondemus ex verbo Dei, Exod. 23. In judicio plurimorum non acquieſces ut à vero devies.* Diſp. 51. in Epiſ. ad Rom.

Sed, nec Concilia Oecumenica (ſiquæ fuerunt) hanc fidei normam nobis ſuppeditabunt; nam ſi excipis Nicænam II. & Conſtantienſem Synodum, quarum hæc de ademptione Calicis, illa de Cultu imaginum decrevit, conſtanter pernego, ullam partem Romanæ fidei, uti Tranſubſtantiationis, purgatorii, invocationis Sanctorum, indulgentiarum, liturgiæ linguâ ignotâ populo celebrandæ, reperiri in Synodis ante Concilium Tridentinum quas œcumenicas vocant: cum tamen fides Eccleſiæ

fiæ aut nullibi ſit, aut contineri debeat; vel in Sacra Scriptura, vel in Canonibus Conciliorum maximé generalium. Illis enim Vincentius Lirinenſis, & poſt eum Godellus Epiſcopus, volunt tanquam Apothecâ & armario contineri & recondi Traditiones Eccleſiaſticas.

Sané, tantum abeſt ut priora Concilia contineant fidem Romanenſi ſimilem, ut potius diruant traditionem Eccleſiæ Romanæ longé præcipuam, videlicet ſucceſſionem Epiſcopi Romani in Petri Primatum, quo Bellarminus vult, non ſolum Romanam fidem, ſed & Religionem Chriſtianam niti. Namque tria Concilia œcumenica Nicænum I. Conſtantinopolitanum I. & Chalcedonenſe per omnia faciunt æquales, Epiſcopum Romanum & Conſtantinopolitanum.

Cumque Romanenſes Doctores velint infallibilem regulam à judicibus perinde infallibilibus proferri debere, non debuit fides Romanenſis de alio tripode emanare quàm de tribunali infallibili, quale fuerunt, ſi illis creditur, Concilium Nicænum II. ſub Adriano I. Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe ſub Gregorio X. Conſtantienſe ſub Martino V. Baſilienſe ſub Eugenio IV. Tridentinum ſub Paulo III. Julio III. & Pio IV. quæ tamen, ſi ultimum excipis, nullam orbi Chriſtiano dederunt normam fidei. Nam,

Nec Tranſubſtantiatio præcipuus Romanæ fidei hodiernæ articulus decreta erat authoritate Eccleſiæ, nec ad fidem Catholicam pertinebat

tinebat ſeculis quarto & quinto ſupra decimum, ut teſtantur Johannes Pariſienſis & Cardinalis de Alliaco. Certé hic (qui interfuit Concilio Conſtantienſi) loquitur de Tranſubſtantiatione, ut de dogmate quod inferri nequit, neque ex Sacra Scriptura, nec ex authoritate Eccleſiæ.

Sed nec quærenda, nec invenienda Romanenſis fides, ejuſque certa, brevis, & infallibilis norma in traditionibus Eccleſiaſticis; nullum enim extat documentum ab uno ad alterum tranſmiſſum, & quaſi manu traditum (ut definitur traditio) quod non ſit aut manu Scriptum, aut marmore, tabulâ penſili, aut columnâ impreſſum: nam hac ratione Sacra Scriptura ad nos pervenit & tradita eſt, teſte ipſa Scriptura, ipſiſque Romanenſibus faten- Gal. 14.
tibus: at licet Concilium Tridentinum jubeat 2 Theſſ. 2.
pari pietatis affectu recipi traditiones quo Sa- v. 15.
cras Scripturas veneramur, nullus tamen extat Codex cum hac Epigraphe, *Catalogus traditionum Eccleſiæ Catholicæ quæ ſint norma & regula credendorum, pari cum Scriptura pietatis affectu à Chriſtianis recipienda.*

Nondum enim Eccleſia Romana in unum corpus ſuas traditiones redegit, ut ſolenne fuit omni legiſlatori, Draconi, Soloni & Lycurgo: nam licet Romanenſes traditionem ſuam dicant eſſe & regulam fidei, & non ſcriptam, non ulterius non ſcriptam affirmant quàm quatenus non eſt ſacro codice comprehenſa & conſignata: namque omnes conſtanter volunt alicubi ſcriptam eſſe, voluntque

dari

dari duplex genus traditionum, quarum unum eſt ſcriptum ab ipſis Prophetis & Apoſtolis, alterum quidem non primò ſcriptum ſed tamen Chriſti dictatum, aut exceptum ab Apoſtolis, vel Divino afflatu illis inſtillatum, quod deinde ſcripto ad rei memoriam conſignatum fuit & poſteris traditum de manu in manum, pari ratione quâ ſcripta Patrum, decreta Pontificum, diverſis temporibus & occaſionibus ſancita ad nos pervenerunt. Cum autem veræ & genuinæ traditiones ut ſint regula & norma credendorum diſtinguantur à nothis & ſpuriis per illud γνώρισμα & notam Vincentii Lirinenſis, *Si modò ſemper, & ubique, & ab omnibus receptæ fuerunt.* Velim tantillum nobis exhiberi vel unam ex Cardinalibus traditionibus (quas Proteſtantes damnant in Pontificiis) quæ à tempore Apoſtolorum ſemper & ubique recepta fuerit & credita.

Poſſet inſtar omnium eſſe fundamentalis illa traditio, quâ Bellarminus vult niti & fundari totam Religionem Chriſtianam, licèt non ſcripta, nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis, quamque Cuſanus, Dominicus à Soto, & Becanus volunt eſſe Apoſtolicam traditionem. Cum enim Gardius urgeret ut ſibi daretur locus expreſſus ex Sacra Scriptura ad probandam ſucceſſionem Papæ in primatum Petri, Becanus, *Reſpondeo* (inquit) *ex traditione nos habere hæc duo 1. Petrum fuiſſe vicarium Chriſti, caput, Paſtorem & rectorem totius Eccleſiæ. 2. Pontificem Romanum cum ea poteſtate ſuccedere Petro.* At harum traditionum, ne veſtigium ullum habet

De Judice controverſ. Tomo 4. pag. 197.

habet vetus Eccleſia; in qua tantum abeſt ut hæ traditiones fronte tulerint notam Vincentii Lirinenſis, ut contra Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus in omnibus Romano æquales fuerint, & eatenus agniti & conſtituti à tribus Conciliis œcumenicis primæ notæ, Nicæno I. Conſtantinopolitano I. & Chalcedonenſi: ſed nec ſemper, nec ubique, imo nullo modo creditæ, nec receptæ, aut cognitæ fuerunt traditiones ejuſmodi, quæ hodie ſunt de norma credendorum, ut ſunt Tranſubſtantiatio, Sacrificium miſſæ, miſſæ privatæ, quadrageſima, invocatio Sanctorum, ademptio Calicis, ſeptem Sacramenta, Liturgia celebrata linguâ ignota, indulgentiæ Papales, quarum nuperum eſſe uſum fatentur Antoninus & Cajetanus: ut jam traditiones Romanenſes, non potuerint ante Concilium Tridentinum eſſe certa clara & infallibilis norma credendorum: nam ne ipſa Tranſubſtantiatio erat de norma & regula fidei decimo tertio ſeculo, imo nec ubique credita hoc ſeculo ab omnibus Pontificiis Doctoribus, ut fatetur Faber Faventinuo de ordine fratrum minorum, Profeſſor Theologiæ Paduanus ante 60. annos lib. 4. diſt. 11. c. 3. in ſententias, ubi ait, *atque hæc opinio fuit antiqua*: nec privatarum miſſarum traditio habet notam Vincentii Lirinenſis, cum teſte Canone *Peracta* & Durando in primitiva Eccleſia omnes qui celebrationi miſſarum intererant, communicarent, nec traditio Liturgiæ celebrandæ linguâ Latina, Lyra dicente

In

In 1 Cor. 14. *in primitiva Eccleſia benedictiones fieri ſolitas in vulgari linguâ.* Nec ſeptem Sacramenta habent notam Vincentii Lirinenſis, ſi creditur Ambroſio, Auguſtino, Bedæ, & Durando, qui negat matrimonium eſſe Sacramentum; Nec mos pingendi Deum, nec cultus imaginum in fronte ferunt notam Lirinenſem.

Certé Baronius allegando Epiſtolam Gregorii II. magni imaginum defenſoris ad annum 726. at nihilominus dicentis, nefas eſſe pingere Deum Patrem, annotat ad marginem, poſtmodum introductum morem Deum Patrem pingendi; nec Quadrageſima habet notam Lirinenſem. Caſſianus collat. 21. cap. 30. *Sciendum ſane hanc obſervantiam quadrageſimæ, quandiu Eccleſiæ illius primitivæ perfectio inviolata permanſit, penitus non fuiſſe.*

Sed nec clara, infallibilis & certis comprehenſa articulis fidei norma reperietur in corpore juris Canonici, quod Cardinalis Hoſtienſis affirmat eſſe jus Divinum, ut quicquid promulgat Papa; ut nec in decretalibus, ſanctionibus Pontificalibus, Bullis, Extravagantibus, quæ Augeæ ſunt ſtabulum, fimuſque in immenſum acervum aggeſtus, qui pene totus commovendus eſt, antequam ibi aliquot grana tritici, aut micas auri invenias: uſque adeo pleraque in eo ſunt aut futilia aut impia, qualis canon *in Canonicis*, ubi ſacris codicibus decretales annumerantur; qualis canon, *Si Romanorum*, quo tantum authoritatis decretalibus tribuitur, quantum Sacræ Scripturæ: item canon, *Violatores*, quo dicitur peccatum

Diſt. 19. cap. 6.

25. qu 1.

catum eſſe in Spiritum Sanctum violare Papales Canones. Et canon *ſic omnes*, quo decreta Paparum æquantur authoritate Scripturæ St. Petri, quod & facit Canon *nulli fas*. Item Canon *ſi Papa*, quo jubentur homines potius pati ſe ad inferos trahi, quam hiſcere contra Papam. Et Canon *omnes ſive*, ubi imperium, tum terrenum, tum cæleſte Papæ committitur. Et Canon *hac ratione*, in quo dicitur Sanctum Paulum deceptum fuiſſe cum ſecundas nuptias permiſit, cum reipſa ſint fornicatio. Et Canon *generali decreto*, quo anathemate non tantum feriuntur omnes Reges qui ullatenus Papæ contradixerunt, ſed & declarantur haberi coram Deo pro prævaricatoribus fidei Catholicæ; Et Canon *facta ſubditorum* quo declaratur Papam omnes judicare ipſum, à nemine judicari. Sunt & impia verba Innocentii III. in decreto Gregorii IX. dicentis id pro ſeparato habendum quod Papa ſeparaverit, *ut qui non puri hominis ſed veri Dei vicem gerit in terris*. Et caput *Exiit* de verborum ſignificatione ubi Nicolaus IV. comparans Chriſtum cum Franciſco, dicit Chriſtum habuiſſe quædam infirma quibus Franciſcus caruit; Chriſtum enim fugiſſe & loculos habuiſſe; quæ duo abfuerunt à Franciſco. Nec melior Canon, *is qui*, ubi fit gratia excommunicationis illi qui loco ſponſæ habuerit concubinam, ubi gloſſa definit quænam meretrix cenſeri debeat, nempe quæ non admiſit plura quam hominum viginti tria millia. Canon *præſul* non damnat Epiſcopum niſi con-

dist.19.c.2.
dist.40.c.6.
dist.22.c.1.
c 31. qu.2. c.9.
c.25. qu 1. c.11.
10. qu.3. v.15.
lib.2.tit.7. c.3.
dist.34 c.4.

Digitized by Google

Cauſa 23. qu. 5. victum coram 72. teſtibus. Et canon *excommunicatorum* pro homicida non habet qui amore in Eccleſiam Catholicam interfecerit excommunicatum.

Sed nec pro certa regula Fidei & infallibili habetur hic cento à Pontificiis, qui non uno loco tam adverſatur Eccleſiæ Romanæ quam alio favet, ut cum canone *multi* omnem primatum in Eccleſia damnat: & cum canone *de quibus* jubetur provocatio à ſede Apoſtolica ad Epiſcopos in vicinia loci ubi lis cœperit, & cum canone *Beati* æquatur Paulus Petro, & dicitur incertum eſſe uter eſſet caput Eccleſiæ.

diſt. 40. c.12.

diſt.19.c.2.

Cauſa 2. qu.7. c.37.

Nec pro regula credendorum Eccleſia Romana recipit multos canones perſperſos juri canonico, quibus Papæ fiunt vectigales Poteſtatibus ſecularibus, & illis æquantur magnarum ſedium Epiſcopi; tum omni poteſtate exuuntur Papa & clerus; imprimis canon *in Synodo* urit Papam & Baronium, quo Papæ cleri & populi Romani nomine facultas ſeu poteſtas eligendi & ordinandi Epiſcopum Romanum confertur in Imperatorem, tum jus vacuos Epiſcopatus implendi, nullis partibus hic relictis, Epiſcopo Romano, niſi quatenus cautum & indultum erit ab Imperatore. Eodem canone datur poteſtas Imperatori eligendi patricium Romanum. Eodem canone reſcinditur ut irrita quæcunque electio, aut Papæ, aut cujuſcunque præſulis facta à clero aut populo, niſi prius perſona fuerit ab Imperatore inveſtita, ut loquuntur, & conſecrata, atque

diſt. 63. c.23. anno 714.

Digitized by Google

atque inducta in poſſeſſionem per formulam.

Ipſam Romam tædet legum à ſe latarum; ut cum canone *verbum* Dei ſacerdotem omni juriſdictione exuit, *ſacerdos officium exhibet at* c 23. de *nullius poteſtatis jura exerceat*. Et canone, *in-* poenit. *ter* Nicolaus I. non alium gladium Eccleſiæ diſt.1.c.51. tribuit quam ſpiritualem, quem Adrianus VI. qu.5. quod non vult alium eſſe quam facultatem declaran- lib. fol 37. di peccatori ſua peccata eſſe remiſſa. 23 qu.5 1. 20. & 22.

Sic canones *Inceſtuoſi* & *Principes* deſtruunt omnem Poteſtatem Eccleſiaſticam cogentem, eamque abjudicant à Sacerdote, huic relicto ſolo doctrinæ ſermone: in Principes verò & Poteſtates ſeculares collatâ omni poteſtate cogendi in arctum, contumaces & rebelles per cenſuras & diſciplinæ terrorem, quin ipſam diſciplinam condendi & imperandi.

Atque hactenus hoc capite dictis luce meridiana clarius patet ante Concilium Tridentinum, ſaltem à Gregorio VII. nuſquam Romam habuiſſe normam ſeu regulam fidei; adeóque alio Vinculo Reges & populos alligatos fuiſſe Papæ quam fidei aut Religionis, quod quidem aliud non potuit eſſe quam imperii, ſuis divitiis, ſuo fulgore & robore, aut terrorem incutientis, aut amorem conciliantis.

Digitized by Google

CAPUT V.

Ex eo quod ante Concilium Tridentinum, non certa, imo nec ulla extaret regula fidei conficitur Religionem Romanam nuperam eſſe, & cæpiſſe demum cum Concilio Tridentino, ac proinde recentiorem eſſe Luthero, & Calvino, quorum fides & qui eam profitebantur ſemper extiterunt. De Julio III. & Cardinale Wolſey.

VIdetur ſupernacaneum connexum argumenti ad frontem capitis, probatione ulteriori palam evincere, cum ejus veritas pateat ex præcedentibus; verùm ad epimetrum lubet edocere non tantum apud Proteſtantes dari veram, certam & infallibilem fidei normam & regulam, ſed & fidei Proteſtantium conformes ſemper & omni ſeculo à Chriſto nato vixiſſe & etiam poſterius intra & extra ſepta Eccleſiæ Romanæ, quando coepit à veritate deficere; quinetiam ipſos Papas, doctoreſque Romanenſes in ſuo jure Canonico & alibi in ſuis ſcriptis, vi veritatis victos, aut aliud agentes, comprobaſſe fidem conformem illi fidei quam Proteſtantes hodie retinent.

Id primum docent & credunt Proteſtantes, quemadmodum Scriptura eſt ſola & unica regula fidei, ita ad eam exigendas omnes probationes & doctrinas Theologicas, de quibus lis eſt, qua in re ſunt conformes Patribus, Baſilio, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Chryſoſtomo Theodoreto, hujus verba ſunt cedro digna

digna μή μοι λογισμοὺς, καὶ συλλογισμοὺς, ἀνθρωπίνους προσενέγκῃς; ἐγὼ γὰρ μόνῃ πείθομαι τῇ θείᾳ γραφῇ. Ambroſius, *Sanctis Scripturis non loquentibus quis loquetur?* (de vocat. gentium c. 3. l. 1.) Hieron. in Pſal. 98. *omne quod loquimur debemus affirmare de Scripturis Sanctis.* Salmero egregié *tradit omnem veritatem, arcet ab omni vitio, ſtimulat ad omne opus bonum: atque provocat ad omnem veritatem.* (Prol. 1.) Ferus *ſumma & certiſſima regula probandi doctrinam eſt Scriptura Sacra.* (in Johan. 8. v. 46.) Loquuntur paria cum Richardo Armachano, ubi Eccleſia Romana illis obtrudit ſuas conſtitutiones, *non quærimus qualia ſunt decreta Eccleſiæ Romanæ, ſed quid poteſt ex Sacra Scriptura Evangelica & Apoſtolica apparere.* (lib. 11. ad quæſt. Armen. c. 4.)

Proteſtantes non alium præter Deum colunt per Chriſtum, unicum & ſolum mediatorem juxta Cyprianum. *Nihil colo niſi Dominum meum qui condidit cælum & terram.* (Ep. 56.) Auguſtinus in Pſal. 108. *non eſt juſta oratio niſi per Chriſtum, oratio autem quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit peccatum.* Ibid *oratio ejus fiat in peccatum quia non fit per mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum.* Alibi. *Chriſtiani in omnibus orationibus ſuis de uno mediatore ſecuri ſunt.* (Adverſus Parmen. lib. 2. c. 8.)

Nec ſe incurvant coram imaginibus, *quid ante inepta ſimulachra & figmenta terrena, captiva, corpus incurvas relinque idola quæ humanus error invenit,* inquit Cyprianus ad Demetr. Lactantius non uno loco diſertus eſt contra imaginum cultum, ut & Ambroſius qui (Inſt. lib. & 8. 19.)

nominatim adorationem Crucis damnat. *Helena titulum invenit; Regem adoravit, non lignum, quia gentilis eſt error, & vanitas impiorum, ſed adoravit illum qui pependit de ligno, ſcriptus in titulo.* Minutius Felix *cruces nec colimus nec optamus.* Aug. in Pſal. 113. *Nolite ſeduci vanitatibus veſtris, quia vos ea quæ colitis digito poteſtis oſtendere: quid autem oſtenditis niſi aurum & argentum?* Imprimis damnat eos qui fingunt Dei imaginem, tum qui illi cultum deferunt *Prohibetur aliqua in figmentis hominum ſimilitudo, non quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla ejus imago coli debet*, at horrent cum Theodoreto ad cultum ejus quod colitur ἀβελτηρίας ἐσχάτης τὸ ἐσθιόμενον προσκυνεῖν.

De obitu Theod. tom. 3.

De conſ. Evang. c. 10. & Ep. 19. c. 11.

qu. 55. in Geneſ.

Ab omni invocatione ſanctorum abhorrent; nec credunt mortuos aut cælis additos noſtras exaudire preces. Ambroſ. *ſolent pudorem paſſi neglecti Dei miſera uti excuſatione, dicentes ſe poſſe ire ad Deum ſicut per comites pervenitur ad Regem.*

ad Ro. 1.

Auguſtinus. *Cultus hominum mortuorum nobis religio, quia ſi piè vixerunt, ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur menti ſuæ nos eſſe conſervos; honorandi ergo propter imitationem, non adorandi propter Religionem —— quare honoramus eos charitate, non ſervitute, non eis templa conſtituimus: nolunt enim ſic honorari à nobis.* Idem. *Fatendum neſcire mortuos quid hic agatur, dum hic agitur.* Ibid cap. 1. *mortui rebus viventium non interſunt animæ mortuorum, illi ſunt*

De vera relig. cap. ult.

De agenda cura mort.

quieti

quieti quos inquieta vita vivorum non ſollicitat. Alibi dicit *Sanctos quidem nominari in Eccleſia, at non invocari.* lib. 22. de civit. Dei c. 10.

In doctrina de Prædeſtinatione, de gratia, libero arbitrio & Juſtificatione per fidem & meritis operum, concordant cum ſenſibus Auguſtini, Ambroſii, Thomæ, Bernardi, Feri, &c.

Fide perditâ ſpe relictâ, intelligentiâ obcæcatâ, voluntate captiva, nemo unde in ſe reparetur, invenit. Ambr. de vocat. gentium lib. 1. c. 3.

Non quia credimus ſed ut credamus elegit nos Deus —— quod multi pereunt pereuntium eſt meritum, quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum. Aug. de prædeſt. contra Julianum.

Liberum arbitrium nihil niſi ad peccandum valet. de ſpir. & lt.

Sola fides poſita eſt ad ſalutem: Solam fidem gratia Dei poſuit ad ſalutem: Sola fide juſtificamur apud ipſum. Ambroſ. Ep. ad Rom. c. 5.

Juſtificabuntur, ac ſi diceretur, juſti habebuntur, Juſti deputabuntur. Aug. de ſpiritu & lit.

Ipſa fides gratia eſt, ipſa vita æterna gratia eſt. Aug. q. 93. qu. 1.

Gratia ſecundum diſpenſationem, aliis datur, aliis non datur. Bern. ſer. 73. in cant. nu. 7.

Sicut Prædeſtinationis effectus eſt gratiæ appoſitio; ita reprobationis æternæ quodammodo effectus videtur eſſe obduratio. Lomb. diſt. 4. l. 1.

Auxilium gratiæ non datur quibuſcunque: quibuſcunque non datur, hoc eſt ex Juſtitia, quibuſcunque autem datur, hoc eſt ex gratia, ut Auguſtinus dicit. Tho. qu. 22. art. 5. a. 1. & 12. qu. 106. art. 3.

Digitized by Google

Aug. lib. de fide & operib. De Civit. Dei lib. 19. c. 27. In Pſal. 131.

Opera Juſtitiæ ſequuntur Juſtificatum, non ſequuntur juſtificandum.

Juſtitia noſtra potius peccatorum remiſſione, quam perfectione virtutum conſtat.

Fidei juſtitiam bona opera non præcedunt, ſed conſequuntur. —— *Gratia Sola poteſt hominem ſalvare.*

Bern. de ſepulch. ad milites ſerm. 23. in Cantic.

Non eſt Juſtitia ſed miſericordia: ſufficit ad omnem Juſtitiam ſolum habere propitium, cui ſoli peccavi; omne quod mihi imputare decreverit ſic eſt quaſi non fuerit. Non peccare Dei Juſtitia eſt, hominis Juſtitia, indulgentia Dei eſt —— *meum meritum miſeratio Dei.*

Ferus in c. 1. & 3. Johan.

Non propter opera noſtra in ſe nos habet gratos Deus, ſed propterea quod in Chriſtum credimus.

Apud Proteſtantes præcipua morum regula eſt decalogus, quem partiuntur ut Patres, non expungendo ſecundum, nec de ultimo faciendo duo.

qu. ex vet. Teſt. lib. 1. c. 7.

In duabus tabulis decem verbis ſcripta quæ decem ſenſus ſunt, denique Deus dicit, non ſint tibi alii Dii præter me, primum verbum, hoc eſt; ſubjicit ſecundum, non facies tibi ullam ſimilitudinem quæ ſunt in cælo ſurſum & in terra, deinde adjecit tertium, non ſumes nomen Dei, &c. Sextum præceptum ſecundæ tabulæ ait eſſe, *non concupiſces quicquam proximi tui*, quanquam Clariſſimus Voſſius notet Auguſtinum varium eſſe in eo argumento, Chryſoſtomus homil. 49. ait ſecundum præceptum eſſe *abſtinebis ab idolis.* In ſumma, Athanaſius, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius

Diſp. 24. de divis decalog.

Na-

Nazianzenus, dividunt ut Proteſtantes.

Nec Proteſtantes aliam à Sacra Scriptura recipiunt traditionem, quæ ſit regula fidei. Cum Cypriano & Auguſtino dicunt. *Si in Evangelio præcipitur, aut Apoſtolorum Epiſtolis, aut Actibus invenitur, obſervetur etiam hæc ſancta traditio.* Ep. 74.

Credunt & cum Auguſtino, illos eſſe inſipientiſſimos qui ſuas traditiones probant ex hoc Scripturæ loco, *habeo vobis multa dicenda quæ nunc ferre non poteſtis.* Qui quidem locus ad præſidium traditionis citatur à Doctoribus Romanenſibus, nominatim à Bellarmino, *omnes inſipientiſſimi hæretici* (inquit Auguſtinus) *audacias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, hac occaſione Evangelicæ ſententiæ, colorare nituntur, ubi Dominus ait, adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, quaſi hæc ipſa ſint quæ tunc diſcipuli portare non poterant.* De verbo Dei non ſcripto c. 5. Auguſt. in Joh. tract. 97.

Proteſtantes cenſent preces concipi; Cultum Divinum celebrari, Sacram Scripturam legi debere vulgo intelligibili linguâ, atque id moris fuiſſe in Eccleſia veteri. *Vox quidem diſſona, ſed una Religio, tot planè Pſallentium chori quot gentium diverſitates.* Hier. ad Marcellam.

Proteſtantes ideo ſe eſſe credunt veram Eccleſiam, licèt non ſolam, quia amplectuntur veram fidem, nec quemquam ſchiſmaticum credi debere qui non pertinet ad Eccleſiam particularem ut eſt Romana, ſed qui devius eſt à vera fide, quâ ſolâ veram reſidere Eccleſiam cenſent.

Catho-

August. qu. 11. in Matth. In Pſal. 21. Hier. in Pſal. 93.

Catholici ſunt qui & fidem integram ſequuntur & bonos mores: ubicunque timetur Deus & laudatur ibi eſt Eccleſia.

Eccleſia non in parietibus conſiſtit ſed in dogmatum veritate. Eccleſia eſt ubi vera fides. Quin inter hæreticos degentes orthodoxos volebat eos ſolos eſſe veram Eccleſiam: ejus ſunt verba ibidem. *Eccleſia vera illic erat cum hæretici poſſiderent omnes Eccleſias.*

Chryſ. in Eutrop. homi l. 46. in Matth.

Eccleſiam non paries ſed fides: non ille de Eccleſia exit qui corporaliter exit, ſed qui Spiritualiter, veritatis Eccleſiaſticæ fudamenta relinquit: ab illis eximus loco, illi à nobis fide.

Iren. l. 4. cap. 12.

Judicabit omnes eos qui ſunt extra veritatem, ideſt extra Eccleſiam.

Bern. ſer. e. 8. in Cantic.

Quid ſponſa niſi congregatio juſtorum quid ipſa generatio quærentium Dominum, quærentium ſponſum.

Sed quod maximé facit ad aſtruendam veritatem & antiquitatem fidei Proteſtantium, de ea pronunciari poteſt illam fidem non ſolum Patres, Concilia, & puram antiquitatem, ſed & Paparum Scrinia, ipſumque jus Canonicum compleviſſe, eique accidiſſe quod dicunt Plinius Junior & Tertullianus de Chriſtianis, quod fora, curias, tribunalia, ſenatum, provincias, civitates, ipſamque Cæſaris Curiam repleviſſent. Nam in illa farragine, in illo centone Papalium ſanctionum, conſtitutionum, decretalium, decretorum, Extravagantum, Clementinarum, quibus Corpus Juris Canonici conflatum eſt: inter tot impia, profana, futilia, ore & calamo juxta improbo enuncia-

enunciata, multa reperiuntur, quæ teſtantur & arguunt fidem conformem fidei Poteſtantium, quæ ſunt veluti Eccleſia Dei intra regnum Satanæ & ſeptem millia hominum, quos ex toto Iſraële idolatra ſibi ſubduxerat Deus, qui non flexerant genua Baali: quod palam faciam ſubductis & extricatis aliquot auri micis ex illo ingenti fimi acervo.

Canon *ut veterum*, pertinet ad fidem Proteſtantium, quod nulla detur Canonica verſio Bibliorum, ſed debeat omnis verſio, ut doctrina examinari ad fontem & Archetypon, qui ſunt libri veteris & novi Teſtamenti, hujus quidem Græcé, illius Hebraicé. diſt. 19. c. 6.

Canon *Ego ſolis*, ipſiſſima eſt fides Proteſtantium, quod non detur cujuſquam quantumvis ſancti authoris & docti ſcriptum, quod non in aliquo erraverit, adeóque ad veritatem inveſtigandam, ad Sanctas Scripturas recurrendum eſſe. diſt.9. c.6.

Credunt Proteſtantes, cum Canone, *Si quis*, veritati Evangelicæ non eſſe opponendam, neque conſuetudinem, neque traditionem. diſt 30.

Credunt cum jure Canonico omnes controverſias ex Scriptura & per Scripturam decidi debere & interpretationem obſcuriorum locorum petendam eſſe ex Sacra Scriptura. 24. qu.3. c.30. & diſt.2. c.8. diſt. 37. *cum relatum.*

Credunt cum jure Canonico & Leone primo illos inſipientes eſſe qui ipſi ſe judices (quod faciunt Papæ) poſthabito judicio Sacræ Scripturæ, conſtituunt, *in inſipientiam cadunt quicunque ad cognoſcendam veritatem, non ad Prophe-* Ibid.

Digitized by Google

Propheticas voces, non ad Apoſtolicas literas, non ad Evangelicas authoritates, ſed ad ſemet ipſos recurrunt: qui quidem canon uſque adeò placuit facultati Theologiæ Pariſienſi, ut eum inſtar ſuſpenſæ hederæ appoſuerint fronti ſuæ cenſuræ, in cujus locum potuiſſent reponere verba Bernardi ſerm 3. de reſurrectione: *quæ major ſuperbia quam ſi unus homo toti congregationi judicium ſuum præferat, tanquam ipſe ſolus Spiritum Dei habeat?*

diſt. 20. c. 1. Credunt cum jure Canonico quod decretales quæ maximam partem juris Canonici conſtituunt, ſint falſæ & ſpuriæ, ſi quæ publici juris ſunt tanquam ſcriptæ à Papis ante Sylveſtrum initio ſeculi quarti.

33. qu 3. de pœnit. diſt. 1. c. 5. verbum Dei. Credunt cum jure Canonico can *inter & verbum Dei* ad Paſtores non pertinere aliam poteſtatem, quam quæ eſt functionis, nullam Juriſdictionis.

diſt. 24. qu. 1. c. 18. Credunt omnes Apoſtolos fuiſſe æquales authoritate, juxta Canonem, *Loquitur Dominus.*

diſt. 93. c. 24. Credunt cum Canone *Legimus*, omnes Paſtores eſſe æquales, nec προεδρίαν Epiſcopi in Presbyteros eſſe juris Divini.

diſt. 95. c. 5. Credunt cum Canone, *olim, noverint Epiſcopi ſe magis conſuetudine quàm Dominicæ diſpoſitionis veritate, Presbyteris eſſe ſuperiores.*

diſt. 40. c. 12. Credunt cum Canone *multi*, Epiſcopos non ſolum ex æquo eſſe ſucceſſores St. Petri, ſed & omnium Apoſtolorum.

1. qu. 1. Credunt cum Canone, *Beati* non ſolum Apoſtolos per omnia æquales fuiſſe authoritate,

te, ſed & quod ex duobus meritis eminentioribus, Petro & Paulo, incertum ſit uter præcellat & prior incedere debeat.

Item cum Canone *ſunt* nullâ authoritate præditos ſeu Epiſcopos ſeu Paſtores novas leges condendi, ſed tantum facultate calculum & ſenſum ſuum dandi latis à Chriſto & Apoſtolis legibus. 25 qu.1.

Iidem credunt, non licitum eſſe Papæ, nec cuiquam Epiſcopo quicquam definire ultra aut contra id quod à Sacra Scriptura definitum eſt. 16. c.6.

Credunt cum jure Canonico hierarchiam Romanam originem habere ab Ethnicis. diſt.21.

Credunt cum eodem omnes Paſtores & Epiſcopos, nominatim Papam ſubditos eſſe Poteſtatibus ſecularibus & vectigales eſſe. 25.qu 1. 10.11.qu.8. c.27 & 28. diſt.63. c. 9 16,17, &c.

Credunt cum Canone *in qualibet* & *ſecundum Canonicam* privilegium immunitatum & quod viri Eccleſiaſtici eximantur à ſolvendis tributis, non eſſe juris Divini, ſed humani, idque totum habere indulgentiâ & liberalitate Principum. 23 qu.8. c.22. 25.qu.8. c.23.& 24.

Credunt cum jure Canonico non eſſe Paſtorum legitimam ordinationem ad quam non accedit electio & conſenſus populi. diſt.55. can. *plebs* & D. 62.

Credunt cum jure Canonico Regimen Eccleſiæ in his quæ non ſunt actus ſacræ functionis, ut ſunt Prædicatio verbi & adminiſtratio Sacramentorum, ad Magiſtratum pertinere. Leonis Papæ D. 24. Can. conc. Carth. 23. qu 5. c.20 & 22.

Credunt cum Canone *multi* omnem primatum in Eccleſia rem malam eſſe, *eumque qui* diſt.4 c.12.

prima-

Digitized by Google

primatum affectat in terris reperturum confuſionem in cælis.

dift. 22. c. 3. & 6. Credunt cum Canone *Conſtantinopoli* & *renovantes* Epiſcopum Romanum per plura ſecula non aliam ſtationem in Eccleſia ſuſtinuiſſe, quam Epiſcopi particularis Eccleſiæ, & intra Juriſdictionem præfecti urbici concluſi: tum cæteros Epiſcopos & Patriarchas pari cum eo ordine & authoritate fuiſſe.

diſt. 31. c. 14. can. *aliter.* & decret. Greg. IX. l. 2. tit. 9. de feriis. Credunt cum jure Canonico Eccleſiam Romanam olim, ut particularem Eccleſiam habuiſſe ſuos ritus, ſuam conſuetudinem, ſuas leges ſeparatim; nec aliis Eccleſiis leges & ritus præſcripſiſſe, neque has credidiſſe ſe aſtrictas ad obſervationem legum & conſuetudinum Eccleſiæ Romanæ. *Romana Eccleſia ſpeciale feſtum de Trinitate non facit. Servatur tamen de hoc cujuſcunque Eccleſiæ conſuetudo.*

diſt. 19. 2. 3. qu. 6. can. neminem & 7. qu. 4. c. 1. c. 33. Credunt cum jure Canonico Eccleſiaſticas cauſas extra Romanam diœceſim decidi debere ubi lis cœpit, nec à quoquam loco debere fieri provocationem Romam, *ſiquis Epiſcopus criminaliter* & 2. *quibus à judicibus* & 2. qu. 6. c. 35. *placuit.*

2. qu. 7. c. 13. Credunt cum Canone *oves* populum Chriſtianum debere ſe abſcindere à ſuis Paſtoribus, nec eorum mandatis obtemperare ſi quando à fide devii ſint.

1. qu. 1. Credunt cum Canone *dictum eſt*, licet jure Divino Papæ eſſent veſtiti primatu in Eccleſia & jure regendi tanquam ſumma capita Eccleſiam Catholicam, pridem hac ſucceſſione, illo

illo jure, illiſque privilegiis excidiſſe, per ſucceſſionis interruptionem frequentem, & per Simoniam.

Credunt cum jure Canonico Papam omnium hæreticorum eſſe anteſignanum. 1. Quia ſibi principatum in mundo extruxit. 2. Quia præ cæteris pollutus eſt Simoniâ, ejuſque criminis imprimis reus & manifeſtus. 3. Quia novas opiniones introduxit in Eccleſiam. 24. qu. 3. 1. qu. 1. c. 25. diſt. 79. c. 9.

Iidem cum jure Canonico credunt Papam imprimis Apoſtaſiæ reum & manifeſtum eſſe, ut qui pene jugiter violaverit legem fixam omnibus Papis & quam quiſquis Paparum frangit, Apoſtaticus dicendus eſt. Verba ſunt diſt. 79. cap. 9. *Si quis pecuniâ vel gratiâ humanâ ideſt populari ſeu militari tumultu ſine concordi ac Canonica electione ac benedictione Cardinalium Epiſcoporum; ac deinde ſequentium ordinum Religioſorum & clericorum fuerit Apoſtolicæ ſedi inthronizatus, non Apoſtolicus ſed Apoſtaticus habeatur.*

Credunt cum jure Canonico neminem ſuccedere Petro qui non ſuccedit ſanctitati doctrinæ & vitæ Petri. diſt. 4. c. 2. diſt. 40. c. 2.

Credunt cum Canone, *quod ſuſpecti* & cum Gelaſio & Nicolao II. quod Papa Romanus non ſit competens & idoneus Judex in materia & controverſia fidei, ni ſtatuatur idem actor, reus & judex in cauſa eorum, quos infenſos experitur, aut quos ipſe odit. cauſa 3. qu. 5. c. 15.

Credunt cum jure Canonico quando Jeſus Chriſtus dixit Petro, *oravi ne fides tua deficiat*, intellexiſſe de deficientia fiduciæ in Dei De pœn. diſt. 1. c. 40.

pro-

promiſſis, non autem de defectione à fide orthodoxa.

26.qu.6. Credunt cum jure Canonico quod Deus ſit ſolus adorandus.

24.qu.3. Credunt cum jure Canonico Sanctos poſt hanc vitam neſcire quid in terra agitur, nec noſtris cogitationibus intereſſe, *fatendum neſcire mortuos quid hic agatur dum hic agitur.*

13.qu.2. Non credunt dari purgatorium, nec quemquam poſſe juvari precibus illorum qui ſunt in terra. *In præſenti ſeculo, ſive oratione, ſive conſiliis nos poſſe invicem coadjuvari: cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel non Noë, ſed unumquemque portare onus ſuum.*

24.qu.3. c.38. Credunt cum Canone *Angeli* nullum eſſe exhibendum cultum Angelis.

diſt.23. c.27. Credunt cum Canone *Perlatum eſt* eatenus abolendas imagines ne cultus aliquis illis impendatur, quanquam poſſent forſan ut vult Gregorius I. eo Canone retineri ad uſum hiſtoricum.

diſt 63. c.28. Secundum quod approbant cum jure Canonico, id quod ab Ezechia factum eſt cum excelſa loca evertit, ſtatuas diruit, æneum Serpentem fregit, ne per hæc pronus eſſet lapſus ad idololatriam.

diſt.31. c.12. Credunt cum Canone *Nicæna* matrimonium eſſe honorandum in viris Eccleſiaſticis; nam id dicit Bernardus. *Tolle de Eccleſia honorabile conjugium & immaculatum thorum eam reples concubinariis & omni genere immundorum.*

Credunt

Digitized by Google

Credunt cum jure Canonico, Sacramenta 1 qu.1.
ſic vocari, quia internam gratiam occultant; c 84.
& parem eſſe rationem Euchariſtiæ quæ Baptiſmatis, virtutem adeſſe arcanam agentem cum pane, quemadmodum cum aqua Baptiſmi.

Credunt cum jure Canonico, quemadmodum de conſ.
dum aqua in Baptiſmo retinet ſimilitudinem diſt 2.
mortis Chriſti, ſic panem in cæna retinere c 72.
ſimilitudinem carnis.

Credunt cum jure Canonico, manducatio- Ibid. c.47.
nem Sacramentalem fide fieri, non ore aut dentibus.

Credunt cum jure Canonico, Jeſum Chri- Ibid. c.48.
ſtum, 6. capite Johannis mentionem feciſſe manducationis Spiritualis quæ fit per fidem in Chriſtum.

Credunt cum Canone, *cum frangitur &* Ibid.
quia paſſus, populum in veteri Eccleſia participaſſe panem & vinum.

Item credunt cum Canone, *comperimus*, diſt.2. Ge-
non poſſe quemquam ſine crimine ſacrilegii, las. & *nulli*
aut prohibere calicem, aut ab ejus uſu abſti- *eſt de con-*
nere. *ſecr.*

Credunt non aliam dari confeſſionem quam diſt.1.c.4.
quæ fit Deo, nec aliam ſatisfactionem quam diſt.1.c.1.
pœnitentiam; neque aliud ſacrificium præter de pœnit.
cor contritum & afflictum, tum cor non ve- *Petrus Del-*
ſtes lacerari debere. *vit.*16.c.3.

Credunt cum jure Canonico verum pœni- qu.3.c.33.
tentiam & converſionem conſtare verâ emen- 33. qu.3.
datione & dolore cordis, *pœnitentia eſt, mala* c.39.q 3.
præterita plangere, & commiſſa iterum non diſt.3.c.1.
committere. & 16.

33. qu. 3. c. 63. Credunt cum jure Canonico, non dari ſatisfactionem, nec ſacrificium pro peccato gratum Deo quod peragatur ab hominibus præter id quod fit ejulatibus, dolore pœnitentiæ, & corde contrito. Credunt cum Gratiano nondum Auricularem confeſſionem creditam de Jure Divino duodecimo ſeculo, ſi quidem Gratianus ejus neceſſitatem in dubium revocat, diſt. 1. de Pœnit. c. 87.

Atque hactenus liquet, ante Concilium Tridentinum fidem cum fide Proteſtantium conſpirantem extitiſſe, atque aſſervatam fuiſſe, non ſolum in Sanctorum Patrum ſcriptis, ſed & in impuris Pontificum Romanorum Scriniis. Supereſſet ut doceam nullo ſeculo defuiſſe homines hanc fidem profeſſos, ſeu intra, ſeu extra Eccleſiæ Romanæ ſepta, niſi ultro id faterentur & agnoſcerent Pontificii; quanquam velint impiam fuiſſe & heterodoxam, ut mirari ſatis nequeam quod illorum nonnulli, illam Proteſtantium quam vocant hæreſim conſtanter affirment demum enatam cum Luthero & Calvino, nec ullam ante illorum tempora extitiſſe Eccleſiam illâ hæreſi tinctam: quaſi quicquam decederet, per antiquitatem hæreticæ Eccleſiæ, de Romanenſi quam volunt orthodoxam eſſe.

Sed tantiſper demus illam fidem Proteſtantium quam dixi conformem eſſe placitis, tum Patrum, tum eorum quos erui ex corpore Juris Canonici, hæreſim eſſe; tum errorem eſſe in fide, damnare inæqualitatem Paſtorum, primatum Papæ, invocationem San-

ctorum,

ctorum, cultum imaginum, confeſſionem auricularem; tantiſper, inquam, demus placita quæ negant & damnant haſce Romanenſium δόξας, hæreticorum eſſe: attamen nemo niſi perfrictæ frontis & cui os eſt impudens, negaverit mundum habuiſſe horum placitorum, quæ cum Romanenſibus pugnant ſectatores ante Lutheri & Calvini tempora: nam contrarium affirmat Bellarminus paſſim in Chronico, ut cum anno 1373. de Hæreſiarchis quibuſdam loquitur qui negarent dari purgatorium & qui anno 1170. dicerent non eſſe obediendum Pontifici Romano, indulgentias nihil valere, non extare purgatorium, Sanctos non attendere ad preces noſtras: contrarium etiam affirmat Æneas Sylvius de Huſſitis & eo nomine vocat eorum hæreſim, impiam, abominandam, & blaſphemam ut eſt credere (verba ejus ſunt) *Hiſt. Bohem. lib.2:*

" Romanum Pontificem reliquis parem eſ-" ſe, inter ſacerdotes nullum diſtamen Præſ-" byterorum, non dignitatem ſed vitæ me-" ritum efficere potiorem; animas corporibus " excedentes, aut æternas è veſtigio pœnas " aut perpetua conſequi gaudia, purgatorii " ignem nullum inveniri, vanum eſſe orare " pro mortuis & avaritiæ ſacerdotalis inven-" tum. Dei & Sanctorum imagines delen-" das. Extremam unctionem inter Eccleſiæ " Sacramenta minimé computari: auricula-" rem confeſſionem eſſe vanam, ſufficere ſua " quemque Deo in Cubili ſuo confiteri peccata. Profectò ſi eſt blaſphemia credere Romanum

præſulem cæteris non eſſe ſuperiorem ſed parem, blaſphemia fuit Hieronymi & omnium Patrum. Verba ſunt illius cedro digna: *ubicunque fuerit Epiſcopus ſive Romæ ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli ſive Rhegii, ſive Alexandriæ ſive Tanis; ejuſdem eſt meriti, ejuſdem eſt & ſacerdotii potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit, cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.*

Eaque fuit blaſphemia Irenæi, Polycarpi, & aliorum Epiſcoporum ſecundo ſeculo, cum Victorem corripiunt quod ſe à communione fratrum abſcidiſſet ob cauſam leviculam, eique denunciant *Contraria juſſione* ut pacem & unionem colat cum vicinis & æqualibus ἀλλ' ὐ πᾶσι γε τοῖς ἐπισκόποις τῦτο ἠρέσκετο ἀντιπαρακελεύονται δῆτα αὐτῷ τὰ τῆς πρὸς πλησίον ἑνώσεως καὶ ἀγάπης φρονεῖν, *id diſplicuiſſe aliis Epiſcopis & contrariâ juſſione ei ſignificaſſe ut pacem & unionem coleret cum proximis.* Sané hic non eſt ſermo ad caput Eccleſiæ, ſed ad æqualem aut inferiorem.

Si blaſphemia eſt damnare omnem primatum, blaſphemia fuit Canonis *multi* affirmantis primatum qui affectat in terris inventurum confuſionem in cælis, & blaſphemi fuerunt Gregorius Nazianzenus, Baſilius, & Bernardus qui acerbè in primatum invehuntur, eumque faciunt originem omnium malorum in Eccleſia. Certé Bernardus ait non alios infenſiores eſſe veris Dei cultoribus quam qui primatum in Eccleſia habent. *Domine Jeſu*

ſu quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere & petere principatum. De Converſione Pauli ſerm. 1.

Si blaſphemia eſt, non colere Dei & Sanctorum imagines, ea fuit Tertulliani, Lactantii, Epiphanii, Auguſtini, & Concilii Elibertini, qui damnant & cultum & uſum imaginum; quo nomine Melchior Canus obelo configit hanc Synodum, non inquit imprudenter modò verum etiam impiè à Concilio Elibertino lata eſt lex de tollendis imaginibus. Lib. 5. loci com. c. 4.

Si blaſphemia eſt dicere, mortuos non eſſe orandos, quia non interſunt cogitationibus noſtris, ea fuit blaſphemia Canonis, *in preſenti ſeculo.* 2. qu.

Et ſi blaſphemia eſt, non computare extremam unctionem inter Sacramenta, ut nec auricularem confeſſionem, ea fuit Auguſtini & Cajetani, qui quidem cum Auguſtino intellexit verba Jacobi de confeſſione, quâ mutuò nos fatemur peccatores. *Hic ſermo non eſt de confeſſione Sacramentali ut patet ex eo quod dicit confitemini invicem; Sacramentalis enim confeſſio non fit invicem, ſed ſacerdotibus, tantum, ſed confeſſione quâ mutuò nos fatemur peccatores.* in 5. Jacobi.

Auguſtinus, *interceſſores ſunt apud Deum pro peccatoribus juſti: hoc pro ſe ipſi peccantes invicem, ut faciant admonentur; nam ſcriptum eſt, confitemini invicem peccata veſtra & orate pro vobis.* Ep. 54.

Sed nec in eo dogmate credidit Lombardus blaſphemiam eſſe ſentire ad modum Huſſitarum:

Digitized by Google

rum: de eo enim ſic loquitur; *quibuſdam viſum eſt ſufficere, ſi ſoli Deo fiat confeſſio ſine judicio ſacerdotali & confeſſione Eccleſiæ, quia dixit David, confitebor tibi, Domine; non ait, ſacerdoti; & tamen remiſſum eſt peccatum.* Hic videtur verba Chryſoſtomi repoſuiſſe homiliâ ad populum Antiochenum, ubi poſtquam dixit ſatis eſſe ſi ſoli Deo confitemur peccata noſtra, nec neceſſitatem à Deo nobis imponi ea cuiquam patefaciendi, Deum ſic loquentem introducit, ἐμοὶ τὸ ἁμάρτημα· εἶπε μόνῳ καὶ κατ' ἰδίαν, *in me peccatum eſt commiſſum, dic mihi ſoli & privatim*: quid? quod Gratianus & gloſſa concinunt Lombardo & Chryſoſtomo, ubi, dicunt confeſſionem auricularem meré traditionem eſſe, nec ejus inſtitutionem reperiri in novo Teſtamento, *forté* (inquit gloſſa,) *non erat facta conſtitutio ſicut nunc.*

In lib.4. ſent. diſt. 17. lit. c.

Homil.30.

Gloſſ. in can diſt.5.

Sané tantum abeſt ut Huſſitæ ſint manifeſti blaſphemiæ quod vanam dixerint auricularem confeſſionem, ut laudandi fuiſſent ſi exitialem pronunciaſſent, ſaltem ejuſmodi quam Cardinalis Perronius approbat cum Jeſuita Bineto, nempe potius permittendum ut omnes Reges trucidarentur, quàm ut una confeſſio palam fieret, aut cum Jeſuita Garneto, *ſi Chriſtus in terris ageret potius permittendum ut interficiatur, quam ſi confeſſio de tollendo eo revelaretur.*

Poſſem mantiſſæ loco ad teſtimonium afferre Monachum Reynerum à Gretſero & aliis allegatum, tum Vignierium, Lindanum, Thomam

Digitized by Google

mam Waldenſem, Bellarminum, Ecchium, Alphonſum de Caſtro & Thuanum, ut doceam vixiſſe ante Calvinum conformes fidei Proteſtantium. Lindanus ait, Calvinum ſibi adoptaviſſe doctrinam Waldenſium. Poplinierus poſt Æneam Sylvium dicit Waldenſium fidem ex Gallia in Angliam & ex hac Pragam iviſſe: inde tranſiiſſe ad Lutherum, Zuinglium, & Calvinum. Sané Reynerius loquens de pauperibus de Lugduno, ait *omnium ſectarum fuiſſe diuturniorem & duraviſſe à temporibus Sylveſtri; vel ut* (inquit) *alii dicunt à tempore Apoſtolorum*, cæterum in eis nihil culpat præterquam quod blaſphemarent in Eccleſiam Romanam, hoc eſt Papam; nam in reliquis, ut erant vitæ caſtigatæ, ſic orthodoxæ fuiſſe fidei affirmat; receptis ab illis omnibus fidei articulis in Symbolo. Sed tædet me argumenti ab aliis triti.

Sed nullo validiori argumento edocetur Religionem Proteſtantium, non ſolum extitiſſe ante Concilium Tridentinum, ſed & unicam fuiſſe Apoſtolicam, puram, defecatam & antiquam, quam reputando quinam ſenſus, quænam fuerint judicia & conſternationes Paparum & cleri Romani ad prædicationem Lutheri, tanquam ad Hannibalem ad portas, & rem Papalem & Romanam conclamatam & perditam: namque, cum hæc prædicatio ſucceſſiſſet non ita pridem invento artis Typographicæ, unde ubique cœpit omnis ordinis hominum ad literas impetus, veriti ſunt Papæ & clerus Romanus peius morte & angue, ne

renaſcentes literæ, quas mox excepit prædicatio Lutheri, ut vara vibiam, exitioſæ forent Papæ, tum Eccleſiæ & Religioni Romanæ; neve depulſâ ignorantiâ fructuoſâ Papæ & clero, & veritate in apertum factâ, Sacrâ Scripturâ à populo linguâ Vernaculâ lectâ, fraus miſſæ & linguæ ignotæ intelligeretur, adeoque vileſcerent indulgentiæ & purgatorium, denique totus Papalis & miſſaticus apparatus inde dejiceretur & rueret; cum inquam res ita ſe haberent, præterquam quod nihil intentatum reliquerunt, ut impetus ille ad literas, adeóque ad cognitionem veritatis reprimeretur, & aliò diverteretur, quam ad Scripturam Sacram, nempe ad lectionem humanorum figmentorum: Inſuper privatis colloquiis collationibus & Epiſtolis, ſibi invicem ſcriptis, teſtati ſunt apertè toti mundo, ſe per novum inventum artis Typographicæ & ſuccedente reformatione à Luthero inchoata, reformidare ruinam Papæ & Papiſmi; ſaltem ſe eſſe conſcios, hinc peſſimæ cauſæ Papiſtarum quæ lucem pleniorem Evangelii non ferat, illinc bonæ Proteſtantium, cujus veritas tantum odii concitaret ubique apud Papas & clerum Romanenſem.

Novit orbis Chriſtianus quæ fuerint conſilia Julii III. Papæ, & Cardinalium, ut mundus impleretur libris, quæ Heroicorum geſtorum fabuloſas narrationes continerent, ut diſtinerentur animi populorum, & averterentur à lectione & ſacrorum codicum & tractatuum Theologicorum, ſed pannici illius ter-

roris

roris & metûs Paparum & cleri Romani à prædicatione Lutheri faciunt fidem literæ Cardinalis Wolſey ſcriptæ ex Anglia ad Papam Clementem VII. quarum exemplar exſtat apud Baronem Herbert, Hiſt. Henrici VIII. non pigebt illas hic apponere.

Non latet Tuam Sanctitatem, quænam ſint varia effecta novi inventi, artis Typographicæ; inde libros & eruditionem introductos aut reſtitutos fuiſſe, uſque adeo ut ortum dederint innumeris ſectis, & ſchiſmatis quæ quotidie erumpunt, in orbe Chriſtiano; imprimis in Germania, in qua nunc homines incipiunt revocare in dubium præſentem fidem, & Eccleſiæ placita, tum examini ſubjicere, quantum hodierna fides Romanenſis diſcrepet à primæva & inſtitutione Apoſtolica, unde (quod imprimis lugendum eſt) fit quod viri laici & homines de fæce plebis incitentur ad lectionem Scripturarum lingua vulgari. Quæ gravia damna ſi tolerantur, non ſolum graviora impendent, ſed & futurum eſt ut vulgus tandem adducatur ad credendum non uſque adeo cleri uſum eſſe magnum: namque ſi ſemel animis hominum inſederit hæc perſuaſio & opinio poſſe ſe viam ſibi facere ad Deum linguâ propria & vernaculâ quæ perinde cælos penetret, ac ſi Latina eſſet; planè concidet omnis authoritas & miſſæ, & totius ordinis Eccleſiaſtici.

Poſſem & integrum & prolixum caput inſumere in alteram materiam, docendo, hinc nullam dari poſt tempora Calvini dogma reformatorum & reformatis proprium, quod ab

ab uno aut altero Pontificio Doctore, non fuerit, aut probatum aut arreptum: illinc verò nullum dari dagma Pontificiis proprium & rejectum à Proteſtantibus, quod non perinde damnatum fuerit ab uno aut altero Pontificio Doctore: imo illud quod Bellarminus conſtituit fundamentum Religionis ſeu Romanæ, ſeu Chriſtianæ, ut eſt Primatus & Poteſtas Papæ: de quâ ſic Onufrius, de Varia creatione Pontificum. *Etſi autem Romani Pontifices tanquam Religionis Chriſtianæ Capita Chriſti vicarii & Petri ſucceſſores colerentur; non tamen eorum authoritas, ultra protendebatur quam in fidei dogmatibus, vel aſſerendis vel tuendis: cæterum Imperatoribus ſuberant, ab eorum nutu omnia fiebant.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

Sua cuique utilitas, ſtudium partium, tum conſuetudo obfirmata: inſtitutio à teneris, ubique regnat & abducit à vero & recto, ſed imprimis veneratio, per quam homines, etiam altioris intellectûs, reverentur quicquid eſt magnificum, & in alto faſtigio poſitum, in cauſa eſt cur populi tam tenaciter & religioſè addicti ſint Papæ & Religioni quam approbat. Totum mundum exercere Hiſtrioniam; nihil uſpiam ſimplex, nihil come, imprimis apud Pontificiorum Doctores & Antiſtites: nec hac in parte culpâ vacuos non nullos Proteſtantium, ſeu ſint de ſacro ordine, ſeu de grege laico: nam & hi quoque, licèt viri magni & eruditione præſtantes, ut fuerunt Iſaacus Caſaubonus, Claudius Salmaſius, & Hugo Grotius, ſua cuique utilitate ducuntur & corrumpuntur.

QUod Itali *Intereſſe*, Galli, Angli, Belgæ, pluresque aliæ nationes patriâ linguâ vocant *Intereſt*, id Latini non niſi per ambitùm verborum exprimunt, ut ſit elaterion & Mobile primum, omnium conſiliorum & actionum humanarum, non quod congruat bono publico, Religioni & honeſto, nec quod ſpectet gloriam Dei & animæ ſalutem, ſed gratiæ, voluptati, & privatæ utilitati ſerviat, quandoque cum inani famæ opinione concordet, perſtandi in judicio & ſemel arrepta ſententia,

tentia, nec ab obfirmato animo diſcedendi, judicium ſæpe pertinaciâ corrumpente; ut quis nonnunquam cauſæ aut rationi credi velit ſe tribuere quod pertinaci animo indulget.

Sæpe ſua cuique utilitas, conſuetudine radicata, educatione, ſed imprimis exemplo & conſpectu ditiorum & potentiorum multitudine, fulgore, pompâ circumſtante, eòque oculos mentis & corporis ſcotomate perfundente, abducit à vero, bono & honeſto; Cicero officiorum tertio ait propriam utilitatem ſectantem eum eſſe, qui contra bonos mores, inſtituta ſapientum, (potuiſſet addere, qui contra rationis dictamen) habet rationem rei familiaris. De ſingulis pauca & primùm de conſuetudine.

Aiunt neceſſitatem fortiter ferre decere, conſuetudinem facilé. Conſuetudo eſt veluti nummus, cui publica forma acceſſit; regula eſt, ut loquendi, ſic vivendi & ſentiendi, ut, quod ait Seneca, error alté imbibitus per longum uſum recti locum teneat; homines non ratione, ſed conſuetudine ducantur, ſua diſponentes ad modum eorum qui fluminibus innatant, non eunt ſed feruntur: ut jam non mirum ſi plures foro utantur, ſeque tempori, loco & Religioni loci accomodent in quo vivunt, nempe quia ſic mos eſt. De Germanis ait Tacitus, *apud eos nemo vitia ridet, ſeculum vocatur hoc eſt ſic conſuetudo obtinet.*

Educatio & inſtitutio à teneris altera conſuetudo eſt, à qua etiam in religionis negotio

tio pauci abjuerint: nam & illi quorum ſors eſt naſcendi ut veri Dei & Religionis cultoribus aſcribantur, rarò per ſuccedentem ætatem, animum mutabunt, non quod cultus cui addicti ſunt, verbo Dei, rationi, & menti conſonet, ſed quia ſic inſueverunt à natura & prima inſtitutione, ut jam quod quis ſit recti pervicax, ideſt obſtinatus in bona cauſa, id debeat non bonæ cauſæ, ſed ſorti naſcendi. Ejuſmodi, ut patet in Lutheranis & Calviniſtis ſolent, licet, non omnes, errores ſuorum unà cum orthodoxis dogmatibus pari animo arripere; nec veritatem ex Scriptura expiſcari, aut Religionem ſuam ad hanc componere, ſed potius Scripturam ad Religionem ſuam inflectere. Per eam inſtitutionem à teneris videas apud Helvetios, cum Proteſtantes, tum Pontificios, eandem ex æquo utilitatem ſectantes, ſeu vindicationem in libertatem, hos addictiſſimos Romanenſium, illos Proteſtantium Religioni & rarò quemquam eorum abire ab ea Religione loci in quo vivit.

Quandoque ſua cuique utilitas reperitur adhærendo mordicus certis & deſtinatis ſententiis, potius quam quis ſit levitatis manifeſtus, ſi ſe deceptum fuiſſe agnoſceret: ſatius ducens, bis errare & errorem ſuum in conſilium vertere, utut mutatio mentis ſalutaris ſit portus, magiſque domeſticis rationibus accommodata. Hîc quamvis vana cum concitaverit in errore perſeverat, ne videatur cœpiſſe ſine cauſa, & cenſet inconſtantiam & conſi-

conſilii mutationem, peius eſſe Majeſtatis crimine: ſatiuſque ducit eſſe miſer, quam inconſtans audire: ſumitque ſibi pro Symbolo apud Plautum, *dicat quod quiſque vult, ego de hac ſententia non dimovebor.*

Sed ſua cuique utilitas prodit ſe apud plures hominum ordines, cum intellectus judicium ratio & voluntas, imo religio æternæque vitæ rationes inflectuntur ad rationes honorum, voluptatum, reique aut familiaris aut culinariæ parandæ. Ejuſmodi ſuum commodum prædamque magis quam cauſam, nec hanc, niſi florentem ſequuntur; afflictam deſerunt, ut qui felices colunt, miſeros fugiunt, ut deſipientes & mentis emotæ viros, imo reos; melius id ſemper ſtatuentes quod tutius eſt: namque rarò miſeri prudentibus accenſentur. Plerique externam rerum ſpeciem ſpectant & proſperum eventum judicio aut ſolertiæ imputant: contra infelicem veſaniæ: & nunquam bene cœptum conſilium dicunt quod improſperè cadit; Hi ut ſapientes mundi qui omnia ex proprio uſu agunt, ſæpe proſpero eventu defunguntur & in divitias aſſurgunt, nullâ Religionis conſcientiâ rem augendi reluctante, ſed exedente quicquid ſemel intriverit; cæterà cunctis vitæ officiis æquabiles.

vôtre bonheür vous ſait aimer mais vôtre malheur vous rendra odieux & ſera vôtre crime, memoires du Duc de Guiſe.

Hæc ſua cuique utilitas atheiſmum in mundum invexit, ſed eum non quo homines credunt, aut non eſſe Deum, aut Religionem merum eſſe figmentum, ſed quo Religionem, ipſumque Deum & æternæ vitæ rationes, ven-

Digitized by Google

tri voluptatibus & honoribus mancipant: neque enim ulterius credo dari atheum quam quatenus atheiſmus fibulam laxat voluptatibus & deliciis mundi; Judicio inter hæc ſequaci & facile eo propendente, unde utilitas aliqua mundana accreſcit: uſque adeo judicium, mens, intellectus & voluntas corrumpuntur à ſua cuique utilitate, rapiunturque quaſi obtorto collo, hinc ad amplectendum, quod privato ſuo compendio ſervit, inde ad repudiandum, quicquid cum eo pugnat.

Id maximé palam fit in Eccleſia Romana inter ejuſdem aut Religionis aut ordinis viros, ubi maximé dominatur ſua cuique utilitas: hinc videas in controverſia uter præponi debeat, Papa an Concilium, plures laicos quam de clero viros qui hoc illi anteponant: at horum centuplo majorem numerum, qui Papam volunt eſſe caput Concilii, quam eorum qui Papam Concilio ſubjiciunt. Utriuſque cauſa eſt in promptu; nempe quod laicorum exigua ſit turba, quos Papa ditet, præ illis quos Papa emungit pecuniâ: at viciſſim cum Concilium neminem (quod facit Papa) Epiſcopatibus Cardinalatibus & ſacerdotiis locupletet: non mirum ſi plures de clero velint Papam anteſtare Concilio.

Profectò, ſi maxima pars hominum, etiam ſine dictamine, aut conſcientiæ, aut Religionis renunciaret mundo, ejuſque voluptatibus, tantò minori obſtaculo veritati Religionis Chriſtianæ daret manus; tum ejus dogmata meo judicio tot haberent admiratores & ſectatores,

tores, viqueejus veritatis victos, quot theoremata Mathematica habent ſuos: quorum demonſtrationibus non video quemquam refragari: quod fit quod judicium non abſtrahatur aliò à ſua cuique utilitate, ut illis non aſſentiatur: Nemo non demonſtrationibus Mathematicis docilem ſe præbet, quamdiu intellectus nullo præjudicio, aut commodo obnubilante mentem, præpeditur quominus eas aut repudiet, aut amplectatur: quod de veritatibus Evangelicis nemo dixerit, quas, (vel fulgore ſuo ſplendentes) non admittit, qui ventri ſuo ſervit: quocirca plané ſum in ea ſententia, longé potentiſſima argumenta quibus fides & authoritas Religioni Chriſtianæ conciliantur, non ea eſſe quæ Pleſſæus aut Grotius ſuppeditant, ſed quæ utilitatem illam, quâ unuſquiſque privato ſuo compendio ſervit, diruunt & evertunt.

Supereſt alia ſua cuique utilitas longé potentior, licet non tam laté patens, quam quæ privato compendio ſervit, licet nullus honos, nulla utilitas, ſeu commodum mundanum inde in privatas rationes redundet. Ea nempe quæ vel invitum & reluctantem pertrahit ad aſſenſum, amorem & venerationem aut perſonæ aut rei, non alio argumento, judicium, rationem, animum & corpus pervincentis (& quaſi obtorto collo perinde rapientis, atque in ſua cuique utilitate quæ rei familiari ſervit) tum attrahentis, quam quia potens eſt & dives, tum fulgore coruſcat, errore ingenito, maximé illis quos Zeno apud Laertium

Laertium perſtringit, qui ponunt τὸ ὂν ἐν τῷ μεγάλῳ, non τὸ μέγα (ut æquum eſt) ἐν τῷ ὂν, & quo id demum placet, eſt honeſtum, jucundum, imo Sanctum, modò magnum: ut totâ contentione feramur in illud quod in altum ſurrexit, ſuſpiciamus, exoſculemur, revereamur, quicquid in excelſo faſtigio eſt poſitum, tum pompâ, Divitiis, Auro, Argento, Margaritis ornatum & diſtinctum eſt, tum ſtipatum eſt longo ordine comitatûs, famulitii aſſeclarum, militum, atque caſtellis, latifundiis, robore & numero legionum ſplendidum & magnificum eſt.

Illud idolum eſt quod omnis turba Romanenſium veneratur & adorat, illud eſt vinculum quo etiam viri altioris intellectûs Godellus & Arnaldus connectuntur Papæ, ejuſque imperio mancipantur; ipſique, unà cum doctrinis Romanenſibus aſſentiuntur, quæ ſub umbra iſtius imperii conquieſcunt & vitam ac Spiritum ducunt. Illa eſt grandis Illuſio quæ etiam mentes faſcinat ſublimiores, & quæ in ſeducto rident ſtultitiam eorum qui ſe ejuſmodi pupis, crepundiis deauratis, cruſtuliſque, hoc eſt ludicris, futilibus & inanibus ſinunt ſe, aut ineſcari, aut abripi; cum tamen ipſæ ubi prodeunt in hominum lucem, ad tantum ſplendoris caligent & ad hoc idolum incurvent corpora. Mirum ni rideat Vir quem natura, meliori luto formavit ſermonem dicentis: *Hic ingenio aut ratione plus valet, quia plus nummorum habet in arca, plura millia jugerum arat: aut cultiore veſte eſt in-*

dutus, at idem qui ſibi videtur cæteris oculatior mente, pari inſaniâ mox laborabit ad conſpectum & auditum hominis, cui gratia & authoritas dictis & factis ab ejuſmodi fortunæ miſſilibus conciliantur: Id in pectoris receſſu (licèt non dicat ore) habens pro optimo & acuté dicto quodcùnque dictum eſt ab eo qui in alto faſtigio eſt poſitus, & illum quem videt armis, auro, equo, phaleris & plumis inſignem, inter equorum hinnitus & armorum ſtrepitus coruſcantem, longé fortiorem illo æſtimans, qui ſolus humilis & ſine ſatellitio ambulat.

Vecors ſit, ſi illis ejuſmodi rerum & hominum æſtimatoribus creditur qui conſpecto Cardinali Chigi, trajiciente Lutetiam Pariſiorum eâ pompâ, quâ ſolebant nationum domitores ingredi Romam: tum oculis conjectis, in aulæis radiantes plateas, portas & feneſtras virentibus ſertis coronatas, inſignes apicibus, & infulis præſules, equos phaleratos, currus ebore, auro, argento & Phrygionico opere collucentes, quibus turba Epheborum & Miniſtrorum tanquam examen apum ante & poné inſidet; vecors inquam, ſit qui ad conſpectum iſtius pompæ & magnifici apparatûs de veritate dubitat Tranſubſtantiationis, purgatorii & virtute indulgentiarum, quas Cardinalis in vulgus ſpargebat, & quibus tantum authoritatis conciliatur ab illa ſplendida oſtentatione. Et qui Cardinalem ſolio inſidentem, ſub fixa umbella, purpurâ & auro radiantem, ac verba fundentem,

non

non exiſtimet θεῖόν τι præ ſe ferre, & ad ejus eloquia cum turba circumſtante non uſurpet verba ad Herodem, *vox Dei non hominis* & inde diſcedens non cenſeat Proteſtantem cui per viam factus eſt obviam miſerum & plumbeum, qui repudiet doctrinas Romanenſes, quibus tantum venerationis accreſcit ex illa pompa.

Hæc eſt inſania inficiens ſuo contagio etiam illos *queis meliore luto finxit præcordia Titan*, quibus ipſa virtus ſordeſcit, niſi in ſplendida fortuna, & vilis gemma in pretio eſt auro aptata, & cui dives bractea ſuppoſita eſt, qui eminentem fortunam, tegmen & purpuram Cardinalitiam, ſuperba palatia, & laquearia, lautos reditus, pinguia & opima ſacerdotia, ut imagines in præcelſis forulis ſuſpiciunt & venerantur, quas tamen humi projectas aut confractas, vix conſpectu dignantur: tum quæ latent meliora putant, more hominum quibus abditum venerationem intendit, & ignotum habetur pro magnifico, exemplò imaginum Caſſii & Bruti in funere Juniæ apud Tacitum, eò magis præfulgentium, quia non viſebantur.

Hancce veritatem ultro agnoſcit Arnaldus ſorboniſta in ſua logica, & fatetur hominum judicia etiam acerrima corrumpi ab ejuſmodi illuſionibus & incantamentis, ut viro cui fortuna eſt florens & in re lauta quicquid ore excidit, veritati aut rationi congruere videatur, imo fœtum eſſe ingenii & judicii ſubacti; & idem pronunciatum à duobus viris, uno infi-

mæ ſortis, altero cui res domi eſt ſplendida, plus acuminis & ponderis habiturum ſit ab hoc quàm ab illo dictum. *Quàm multum in-* l.1. Ep.24. *tereſt* (inquit Plinius) *quid à quoque fiat; cadem enim facta claritate vel obſcuritate facientium, aut tolluntur altiſſimè, aut humillimè deprimuntur.* Id dicit Eccleſiaſticus, *dives locutus eſt & omnes tacuerunt & verbum illius ad nubes perduxerunt, pauper locutus eſt & dicunt, quis hic eſt?* Quod ſanè probè quadrat in Papam, cui infallibilitas & ſanctitas accreſcunt ex loco illo ſublimi quem inſidet, *nam* dist.40. *quis Sanctum dubitet* (inquit Papa Symmacan *non nos.* chus) *quem apex tantæ dignitatis attollit*, aut quis dubitet Johanni Papæ XII. non deberi titulum ſanctiſſimi, imo ſanctitatis; nam in iſtum Papam cadere affirmat Arnaldus, libro contra reverendum Claudium; quanquam ſi diſt.4.c.12. creditur Canoni *multi*, non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum: adeóque incongruè, omnium Paparum fere deterrimus, ut loquitur Bellarminus, agnoſcens Papas eo deteriores, dicendus eſt aut Sanctus aut ſua ſanctitas. Sed ſtilo Romano id demum Sanctum & pulchrum eſt, ut Papa & Eccleſia Romana, quod dives eſt in alto faſtigio poſitum & robore & pompâ fulget, ut fabricatoribus Papiſmi, dici poſſint verba Apellis de quodam qui cum Helenam non poſſet pingere pulchram, pinxit divitem quia auro induxit. Sed redeo in viam.

Hic morbus ſuæ cuique utilitatis hactenus affectus eſt privatorum: nam datur ſua utili-

Digitized by Google

tas cuique reipublicæ & illis qui ejus clavo admoventur; quorum eſt in commune conſulere, ſed id commune eſt ut fides dictis, promiſſiſque nulla ſit, niſi quatenus expedit; Religio inflectatur ad rationes imperii, robore & divitiis validi; & cum ſinguli homicidium committunt crimen habeatur, at ubi publicé geritur virtus vocetur, ut loquitur Cyprianus; nam pro Symbolo ſibi ſumunt illud Taciti, *omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* Ep. 1.

Quod axioma Taciti optimé in Papam quadrat ejuſque imperium, pompâ, divitiis & robore florens & magnificum. Iniquitas & damnum ſunt contra ſingulos, quando ſinguli abducuntur in gehennam, unà cum ipſo Papa, ut docet canon, *ſi Papa*, per fidem impiam aut potius nullam; cum unùſquiſque aſſuefit credere alienâ fide, hoc eſt Papæ per ignorantiam Sacræ Scripturæ, & cultum imaginum & creaturarum, ut eſt panis in Euchariſtia, & ſanctorum. At id damni quod eſt ſingulorum, jacturâ animæ & æternæ ſalutis rèpenditur, inquit alter Tacitus, nempe Papa, utilitate publicâ, hoc eſt divitiis, dignitate & robore imperii & ejuſmodi emolumentis terrenis quæ inde Papæ ejuſque clero accedunt; Illa eſt permutatio Glauci, arma aurea pro æneis, ſalutis æternæ jactura pro ſalutis terrenæ conſecutione; nam vecors ſit qui iſti axiomati Romanenſi, *extra Eccleſiam Romanam non eſt ſalus*, aliud interpretamentum

Digitized by Google

afferat, quam quod, nec ſolide, nec plené, nec ad ſatietatem cuiquam, aut res familiaris lauta, dignitates, honores, accedant, qui non ſuſpicit, veneratur & colit Papam.

In ſumma apud omnes hominum ordines, imprimis apud viros Principes & de ordine Eccleſiaſtico ſua cuique utilitas dominatur, viguit, vigetque. Per eam Auguſtus, ultor mortis avunculi, arma ſociavit cum Bruto & Caſſio ejus interfectoribus contra Antonium, ut hoc debellato, odia in illos reſumeret. Per eam, circa exordium Papalis imperii & eo tempore, quo Papa ad exædificationem ſui imperii admovebat ſcalam πρεσβείας Epiſcopalis ut per eam aſcenderet ad culmen quòd nunc inſidet: eo, inquam, tempore, arripuit jus Divinum illius ὑπεροχῆς, ratus ſe nunquam firmiter potuiſſe per jus humanum quò deſtinaverat evadere: at adepto eo culmine, eadem ſua cuique utilitas dictavit Papæ ejuſque adulatoribus, Epiſcopatum retinendum eſſe de jure humano, atque Papalibus rationibus officere, ſi de jure Divino retineretur. Per eam videas tam infenſos inter ſe quam Ariſtidem & Themiſtoclem ſociare operam ut communem utilitatem ſectentur. Nam videas Papam ſi major utilitas præponderat authorem Duci Sabaudiæ infeſta arma, Genevâ abſtrahendi; videas Jeſuitas faventes Clariſſimo Claudio Paſtori Eccleſiæ Pariſienſis in maturanda editione libri contra Arnaldum, dum modò per id iræ & odio in hunc litent; eique moleſtiam & negotium creent.

Per

Per eam ſuam cuique utilitatem vidimus ſuperiori ſeculo Philippum ſecundum Hiſpaniarum Regem contra torrentem promovendæ cauſæ & Religionis Catholicæ, ut loquuntur ferri, & acerrimam facem præferre regnante uxore Maria Angla ut Proteſtantium Religio in futurum potius ſtabiliretur in Anglia quam Papiſmus: dum Elizabethæ Sorori ex uxore, & quæ Proteſtantium partibus & Religioni favebat, vitam ſervat, imo donat, licet ejus morte reditura eſſet Religio Romana in Angliam; at ejus vitâ Proteſtantium Religio firmari deberet: rationibus politicis longé ſuperantibus utilitatem Religionis, cujus ſe Catholicum Regem dicebat, nempe metu ne Maria Scota Angliæ hæres & tunc Franciſco Delfino ſponſa prole facta parens Galliam, Angliam & Scotiam in unum dominium jungeret, longé Hiſpaniæ formidoloſum futurum. Et mirum ſi Rex Galliæ infenſior eſt Proteſtantibus, ni Rex Hiſpaniæ eorum partes tueatur potius quam per eorum ruinam, grandiora quam hic vellet, alter animo agitet, nam ut populi ſerviunt Regibus, ita hi temporibus.

Per eandem ſuam cuique utilitatem vidimus æſtuante bello civili in Anglia pleroſque addictos fuiſſe potius his quam illis partibus, non judicio aut conſcientiâ Religionis, ſed propter temporum vincula: tum utramque partem nomen & cauſam Regis obtendiſſe, licèt ſtudiis, conſiliiſque in diverſa tenderent: quin hodie videas in Anglia Pontificios & Pu-

ritenos junctis viribus & animis anniti, ut poteſtatem liberé coeundi ad cultum Divinum obtineant, cum tamen extra hoc commune commodum, in hos illi ferro & flammâ ſævirent: videas Hierarchicos, Presbyterianos & Independentes, animis, diſciplinâ & privata ſtimulatione ab invicem diſſitos, communem tamen utilitatem ſectari in arripienda mordicus poteſtate Eccleſiaſticâ, quæ ex æquo imperium affectantibus grata eſt: licet ea poteſtas quam ſibi Puritani aſſumunt, videri quibuſdam poſſet minus vero & rationi congruere, quam quæ ab Hierachicis: his ut æquum eſt ſuam προςασίαν aſſuentibus Epiſcopatui in Presbyteros; illis verò communi miniſterio ſeu ſacerdotio affigentibus.

Nec finis eſt; nam, per eam ſuam cuique utilitatem, videas plerumque de ordine Eccleſiaſtico viros eſſe vindices & ædificatores Poteſtatis Eccleſiaſticæ; ejuſdem verò de plebe laica, Grotium, Seldenum, Salmaſium, eſſe everſores, quaſi utrique ſtudiis diverſis, hi pro libertate, illi pro imperio decertarent; at de ordine Eccleſiaſtico videas per illud elaterion & occultam machinam ſuæ cuique utilitatis, potius Epiſcopos quam Presbyteros aſſertores juris Divini Epiſcopatûs niſi ad Epiſcopatum aſpirent: nam non dubito, quin Hieronymus tantò acrius æqualitatem Paſtorum defenderit quam Auguſtinus, quia hic in Epiſcopatu conſiſtebat, ille in Presbyteratu, eâque mente obfirmata, non ulterius aſſurgendi.

Per

225

Per eandem ſuam cuique utilitatem uſque adeo corrumpitur judicium, ut ſæpé videas altioris mentis viros in Eccleſia Romana ſententiam alternare veſpertilioni ſimiles, modò ſe murem, modò ſe volucrem profeſſæ: quod uno aut altero exemplo palam faciam. Cum Abbas le Roy in Gallia orationem aut potius precationem elegantiſſimam, & quod caput eſt piiſſimam, ad Jeſum Chriſtum ſcripſiſſet ad obtinendam gratiam perfectæ converſionis, nomine non appoſito; id ſcriptum Sorbona tunc temporis minus æqua Janſeniſtis, damnavit, quod crederent prodiiſſe ex officina Janſeniſtarum: aliquot poſt annos Polafax quidam Epiſcopus in Hiſpania, eam orationem, verſam in linguam patriam, & publici juris factam, cum approbatione Doctorum Sanctæ inquiſitionis dicavit fidelibus ſuæ dioceſeos; & eandem poſtmodum Dominus Perronius le Hayer Gallicam fecit dedicavitque Reginæ; appoſitis privilegio Regio & approbatione Doctorum Sorbonæ, qui eam non ita pridem damnaverant & ſuæ cenſuræ ſubjecerant.

Non diu eſt poſtquam eodem pene præjudicio deluſi fuerunt Sorboniſtæ, improbantes in uno, quod in alio probaverant. Cum enim Janſeniſtæ opus Gallicum in lucem edidiſſent, non ſignificando lectori quod verſio eſſet è Latino, & quod ejus author eſſet Sanctus Proſper. Cum gravi cenſurâ notandum eſſet opus uno ore à tota Sorboniſtarum Schola; Dominus Grandinus fulmen intorquendum

dum avertit ſubmonendo eos de vero libri authore.

Quin videas apud ejuſdem, ordinis, Religionis & diſciplinæ viros ſuam cuique utilitatem, privatam ſtimulationem, livorem aut amorem, occultum vicini aut alieni; aliorum æſtimationem & venerationem, in re lautiori, horſum & illorſum trahere (aut trahere videri) ad amplectendum dogmata quæ cum illa æſtimatione concordant: nam Solus Deus καρδιογνώστης novit, an exempli gratiâ is qui eſt candidatus Epiſcopatûs & Canonicatûs obſtinaté defendit jus Divinum προστασίας Epiſcopalis, quia ea ſententia privatæ utilitati ſervit, aut in ſpem aliquando per Decanatum, aut Canonicatum adipiſcendi Epiſcopatûs, an verò ejuſdem ſententiæ eſſet retinens, ſi extra omnem ſpem, lautum beneficium obtinendi. Novit & Deus an is Theologus qui ἰσοτιμίαν defendit id faciat, quia ita ſentit, aut quia de eorum eſt numero, qui bonum, verum & juſtum ſectantur cum nec metu damni, nec ſpe lucri ab eis abducuntur. Exemplo, ſit hinc ſummus Vir & de Eccleſia Deì optimé meritus Johannes Dallæus, de quo ſi non eſſet morum candore integerrimus, ut nec odio, nec beneficio à vero abducatur, pronunciarem non mirum ſi Vir in tanta celebritate reque adeo lauta, ut nec huic, nec illi poſſit fieri acceſſio ab Epiſcopatu aut Canonicatu habito aut ſperato, arcté illam ἰσοτιμίαν retinet creditque ac publicé profitetur optimam regiminis Eccleſiaſtici, &

propius

Digitized by Google

226

propius ad Apoſtolicam eſſe quæ caret Epiſcopis ut habetur in Gallia & Belgio à reformatis inibi Eccleſiis. Inde verò Dominus le Moyne Rotomagenſis Eccleſiæ Paſtor cujus ſermo & judicium iniquius de regimine Eccleſiarum Gallicanarum in Epiſtola ad apprimè reverendum virum Johannem Durellum Theologiæ Doctorem ejus eſſe videntur qui excæcatus fulgore Epiſcopatuum & Canonicatuum in vicinia ſua facilé inducitur, hinc ad laudandum & æſtimandum quicquid lucet & ſplendet, ac in alto faſtigio eſt poſitum, adeoque ad aſſirmandum culmen Epiſcopale eſſe de jure Divino, illinc verò ad obterendum quicquid humi jacet, ut eſt hodierna noſtrarum Eccleſiarum conditio in Gallia verba ejus ſunt.

" Je confeſſe que je ne comprens pas dequel " eſprit peuvent eſtre menez ceux qui s'oppoſent à ce Gouvernement, & qui le decrient " d'une ſi cruele maniere, car je defie qui que " ce ſoit de m'en faire paroître un plus convenable à la raiſon, plus convenable même " à la S. Eſcriture.

Et ſub finem epiſtolæ bené longæ.

" Je ne crain point de dire que ſi nous avions " conſervé des Eveſques & autant de ceremonies qu'il en faut pour attacher le peuple, " & n'eſtre point ſuperſtitieux, nous aurions " aſſurement veu la reformation gaigner beaucoup plus loin, & venir à bout de la reſiſtence d'une infinité de perſonnes, que l'irregularité de noſtre Gouvernement, & la " ſim-

" ſimplicité de nôtre ſervice effarouchent de
" nôtre communion.

Sed nec poteſt Dallæus omnem ſuſpicionem à ſe ſegregare ſententiam pro ratione temporum mutaſſe: atque alium fuiſſe rebus proſperis Epiſcoporum Anglorum, atque erat rebus adverſis ſub quibus vindex acerrimus erat æqualitatis Paſtorum, ut liquet ex ejus commentariis in Epiſtolas ad Timotheum, Titum, & Philippenſes, quos in formam concionum edidit, at rebus poſtmodum proſperis, ſic dubitantem & timidè de illa materia ſcripſit ut inde Clariſſimus Durellus anſam arripuerit eum accenſcendi Patronis προεστασίας Epiſcopalis & aſſertoribus Juris Divini iſtius prælationis. Sic enim loquitur Dallæus parte 3. p. 261. libri contra Adamum & Cottiby *la charge des Eveſque à eſté inſtituée de Jeſus Chriſt:* & paulò poſt, *bien que nous ſouhaiterions que le miniſtere des Eveſques fuſt mieux reglé qu'il n'eſt, leur puiſſance ſur leurs, troupeaux & ſur leurs preſtres reformée, ſelon la parole de Dieu, & ſelon la plus ancienne Egliſe, & leur eſtat plus proportionné à la modeſtie & frugalité Chreſtienne; tant y à que nous confeſſions qu'au fond leur charge eſt bonne & legitime & établie par les Apoſtres ſelon le commandement du Seigneur dans les Egliſes qu'ils ont fondées.* Sanè is Epiſcopatus quem Dallæus affirmat eſſe inſtitutionis Apoſtolicæ, ſi intelligitur de prælatione unius Epiſcopi in plures Presbyteros, planè pugnat cum ſententia ubique aſſerta à Dallæo prioribus ſcriptis

de

227

de ἰσοτιμία Paſtorum de jure Divino: at ſi ἐπισκοπὴ ut ſignificat miniſterium Evangelicum, intelligitur de prælatione & præfectura Paſtorum ſeu Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum in greges Chriſti, de qua loquitur S. Paulus Actorum viceſimo, tum, tam perabſurdé res conceſſa & de qua nemo dubitat aſſirmaret, eſſe inſtitutionis Apoſtolicæ, quam foret inficeta probatio diem eſſe, ſole exorto, aut crudelitatem eſſe vitium magnum.

Si ex Gallia in Angliam tranſimus, ibidem perinde videas Theologos, pro varia ſua cuique utilitate, ſtimulatione, partibus deſtinatis adhæſione, ſeu Hieraichicos, ſeu Puritanos, horum anteſignanos, ſeu revera recti conſcientiâ, ſeu ſtimulatione quam longiſſimé ab Epiſcopis abeundi, ſuis verò placendi commoveantur, obſtinaté arripere & affirmare illud regimen, tantò magis Apoſtolicum eſſe, quò propius accedit ad Paſtorum ἰσοτιμίαν, illos verò in contrarias oras ferri,& qui ſecundum Regem premunt prima regni ſubſellia, dum diu ſe in dignitatem temporalem contemplantur facile eo dilabi, ut ſe reputent tam beneficio & Jure Divino Presbyteris ſuperiores quam Regia liberalitate.

Videas reverendos Epiſcopos & cæteros de Hierarchia Anglicana ſententiam alternantes circa ſuprematum Regis in ſacris, modò illum affigentes Regi, etiam ſolitario, ſi metus eſt à Parlamento, ne eorum poteſtatem accidat, modò Regi ſedenti ad clavum ſui Parlamenti, ſi quando hunc ampliſſimum conſeſſum

ſeſſum habent propitium, aut verentur ne Rex ſolitarius ſuo ſupremati abutatur ad favendum plus æquo Puritanis: cujus ſuæ cuique utilitatis in reverendo ordine cleri hierarchici, varié ſemper animati, pro aut contra Regium illum primatum ſummumque ejus imperium circa ſacra, prout ſuffragia in Parlamento præponderant à partibus, vel Eccleſiæ Anglicanæ, vel puritanorum; luculentum exemplum exhibet collatio facta Parla-
anno 1670. menti hodierni ad illud quod ſedit anno 1585. cum enim ſacra gens hodie reformidet ne Rex ſereniſſimus per ſuum ſupremat um ſecluſo Parlamento æquior ſit in Puritanos, tota eſt ut ei ſuprematui modus imponatur & limites figantur à Regni ordinibus; quos nunc faventiores experitur. Cum tamen in contrarium niteretur anno 1585. cum enim eo anno ordinum conſeſſus in eo eſſet ut Epiſcopis in Eccleſiaſticæ Juriſdictionis adminiſtratione adjungerent ſocios & poteſtatis conſortes etiam de laica natione, interceſſit Archiepiſcopus Whitgift gravi oratione ad Reginam Elizabetham, tum Epiſtolâ ad ſereniſſimam Principem quæ habetur apud Thomam Fullerum ne id pateretur quod Parlamentum moliebatur, neve ſuum imperium circa ſacra communicaret cum Parlamento; ſed illi injungeret ut illa arcana imperii Eccleſiaſtici non attrectaret.

Jam ſi in Belgium excurrimus perinde videbimus, ſuam cuique utilitatem, ſtudia partium, præjudicia, ſtimulationes, privatas iras æmula-

æmulationes, etiam inter fratres & ſymmyſtas, ad alia aut diverſa trahere: teſtes ſunt virulentæ, & longæ concertationes inter duos primi nominis Theologos & ad partes trahentes alios inferiores Theologos de poteſtate Synodorum, Magiſtratûs circa ſacra, de decimis, de reditibus abbatiarum & coenobitarum virginum, in quibus dubites amore ne & conſcientiâ veritatis, dogmata etiam indubitatæ veritatis arripiant, doceant & defendant, an quia ſic obfirmarunt animum; an quia inde lucrum aut potius lucellum emergit? ſiquidem iidem Theologi conjunctim, eâdem vi, affirmatione eodemque animi ardore & impetu ſint vindices ſuæ poteſtatis Eccleſiaſticæ & terriculamenti ſui avium hoc eſt excommunicationis, quibus juſtificationem per fidem tuentur, aut deliria purgatorii & Tranſubſtantiationis refellunt: ſimiles cerdonibus qui conficiunt calceum; non quem ſibi aptent, ſed ut detur aliis & inde vivant: nam videas quoſdam pro aut contra Jus Divinum uſurarum ſcribere; prout ipſis, aliqua aut nulla eſt pecunia quam fœnori occupent, uſque adeo plerique dicunt aut vera & menti conſona poſtquam nullum mendacio pretium; aut falſa, ubi indulgendum utilitati propriæ, ſtudio partium, æmulationi, amori & æſtimationi ſui: nec quicquam uſquam eſt come, ſimplex, ſincerum; Judicium hominum eſt excæcatum aut corruptum, dum credi volunt cauſæ tribuere, quod aut commodo proprio, aut obfirmato animo dant: vita homi-

hominum altos receſſus habet & magnas latebras. Exulat, proh dolor! tum perfectiſſima veritas, quando ſermo congruit cum mente, & mens cum re, tum aurea ætas in qua bona conſcientia in pretio habetur: nonnullo illud Plauti uſurpante, *ſi lucri quid detur potius rem Divinam deſeram.* Et mirum ni hujus lucelli gratiâ Janſeniſtæ redeant in gratiam cum Papa: ſorboniſtæ uno obelo configant ſuam cenſuram; Et quatuor Epiſcopi fœdâ palinodiâ nomina apponant articulis Innocentii decimi, quibus doctrina Janſenii, hoc eſt Auguſtini, damnatur potius quam patiantur ſe Epiſcopatu exui.

Exulat, quod gravius eſt, charitas inter fratres & ejuſdem ordinis & Religionis viros, & in illos quadrat illud Taciti; *proximorum odia acerrima.* Aiunt Melanchtonem (ô quem virum!) in mortis & vitæ confinio hæc verba protuliſſe, quæ Melchior Adamus ait repoſita fuiſſe à Strigelio, *cupio ex hac vita migrare propter duas cauſas, ut fruar deſiderato conſpectu filii Dei & cæleſtis Eccleſiæ: deinde ut liberer ab immanibus & implacabilibus odiis Theologorum.* Morbus longa conſuetudine orbi notus: nam legimus & Turcos & Perſas gravioribus inter ſe odiis à ſe diſſitos quam hi & illi à Chriſtianis: utut Turcæ & Perſæ ex æquo ſint Mahumetani: in eo ſolum diſcrepantes quod horum Doctor ſit Haly, Illorum Hebubezer. Epiphanius narrat Judeæos diris horridioribus devovere Nazaræos quam Chriſtianos.

Nec

Digitized by Google

Nec tamen Deo gratias ſua cuique utilitas, uſque adeo dividit Sanctos viros ut ſunt Proteſtantium Doctores & anteſignani; quin in ſumma rei & fundamento fidei concordent, ſic diverſa ſentientes ut idem ſpectent; nempe Gloriam Dei & ſalutem, tum fratrum, tum ſuam propriam: at ſua cuique utilitas ſic regnat in animis Pontificiorum, ut per eam non tam Proteſtantibus, quam veritati ipſi bellum indixerint ἄσπονδον, ut fruſtra hi nunc expectent, ut illi judicio ſincero & æquo, nec præjudiciis excæcato, de ſe ſuaque & noſtra Religione ſententiam ferant, uſque adeo, conſuetudine, educatione à teneris, radicata & imbibita, animo obfirmato, certiſque ac deſtinatis ſententiis addicto, irâ & odio in nos in tranſverſum aguntur, hinc fulgore imperii Papalis circumlucente, amorem atque venerationem conciliante, ejus quod lucet & in alto eſt poſitum, illinc tenui & humili noſtrarum Eccleſiarum conditione, indignationem in nos concitante, unde fit ut nos ferro & igne, ſputando non diſputando, atque infeſtis animis & perſecutionibus affligant, noſque (ad exemplum Ethnicornm qui Chriſtianos ferarum tergis contegebant, ut laniatu canum interirent,) & noſtra dogmata ſic odio & invidiâ gravent, ut vel ſanctiſſima noſtrorum placita, ſint apud ſuos monſtra, ſi non ſcelera & crimina; nec ſequius ſentiunt de ſanctitate vitæ & doctrinæ conſpicuis viris de grege noſtro Calvino & Beza, in quos plauſtra convitiorum effundunt, & virus ſuum

G maxime

maximé evomunt, ad exemplum canum, qui mundiſſima quæque loca quærunt, quæ immingant, nec alio teſtimonio nixi quam ſuorum; longé in eo à nobis abeuntes, qui quæcunque de vitis Pontificum & corruptela Eccleſiæ Romanæ aſſerimus, haurimus ex ipſis Pontificiis, aut acerrimis Papatûs aſſertoribus: ut jam quæcunque de noſtris, & doctrina noſtrorum oggerunt ſint falſa. Nemo noſtrorum de ſuis unquam protulit quæ Pontificii de Papis & clero Romano, ut cum Bernardus de clericis; *aulæ Papalis miniſtri ſunt Chriſti, ſed ſerviunt Antichriſto*: & de ipſis Papis 1. Serm. de converſione Pauli, *Domine Jeſu quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere & gerere Principatum.* Et cum Æneas Sylvius ait Romæ omnia eſſe vænalia, ipſam remiſſionem peccatorum & dona Spiritus Sancti. Nec quiſquam noſtrorum judicavit de ſalute Lutheri & Calvini ut de deſperata, ut Papa Adrianus IV. & Marcellus II. de omnium Paparum ſalute judicarunt, teſte Onuphrio & Papirio Maſſone in vita Pii V. *tam corruptis moribus & temporibus tamque perverſis, vix fieri poteſt ut ſummus Pontifex ad æternam cum Deo tranquillitatem & gloriam perveniat.* Nam dum hæc ſcribo, audio idem dictum à Clementi X. quod à Marcello II. & Adriano IV. ut tum demum de ſalute ſua deſperaret poſtquam accepiſſet ſe in Papam eſſe renunciatum. Denique, ut in vita, ſic in doctrina Romanenſium nihil affingimus: at in hac & illa noſtrorum nihil

nihil proferunt quod non longé abeat à vero. Jeſuita Cottonus in Inſtitutione Catholica ſic odioſé exagitat noſtrorum fidem, ut de 28. capitibus quibus noſtram doctrinam complectitur, vix quatuor extent in quibus nihil nobis affingit: reliqua ſunt confectis mendaciis conſuta, quaſi, (quod & Richelius & Perronius nobis imputant) virginem Mariam & Sanctos proſcinderemus, & doceremus bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem. Sané Arnaldus nupero volumine & longé ſpiſſo nos æquat hererodoxiâ Socinianis & de Proteſtantium doctrina de moribus ut de deteſtanda & abominanda loquitur. Bellarminus nobis affingit nos docere fideles non teneri ad legis Divinæ obſervationem, ac proinde ipſis non eſſe neceſſé ut bona opera faciant; Chriſtum enim eos liberaſſe à ſubjectione legis & mandatorum Divinorum; Et libertatem Chriſtianam in eo conſiſtere, quòd fideles nulli legi ſint ſubditi coram Deo & in conſcientia. *In eo* (inquit) *libertatem Chriſtianam conſtituunt quod homo juſtus ſit liber à debito legis implendæ coram Deo & per hoc omnia opera ſint illi indifferentia, ideſt nec præcepta, nec prohibita.* de Juſtif. lib. 4. c. 1. S. *quarto.* Idem dicit Becanus, *Calviniſtæ docent opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem, ſeu fideles non teneri ad obſervationem legis.* to. 2. tract. 3. c. 5. qu. 2. Ut jam quo melior eſt hominum cauſa, tantò magis qui eam tuentur, gravioribus præjudiciis & intemperiis adverſariorum laborent & agitentur odiis pluſquam Vatinianis, accenſis in Santiſſimos quoſque Dei cultores, unde videas Pontifi-

cios iniquiores Calviniſtis quam Lutheranis; & hos minus æquos Calviniſtis, quàm hi ſunt Lutheranis; nam cum Lutherani paſſim publicent tractatus quibus acriùs invehuntur in Calviniſtas, quam in Pontificios; altrinſecus obſerves modeſtiam ingenitam Calviniſtis, ſi ejus fiat comparatio cum Lutheranorum immodeſtia, imo feritate, ubi ipſis negotium eſt cum Calviniſtis, melius edoctis à Magiſtro Calvino, tam comiter Lutherum compellante, quam hic eſt aſper & acris in Calvinum. Hujus verba ſunt ad Bullingerum de Luthero. Audio Lutherum cum *atroci invectiva, non tam in vos, quam in nos omnes prorupiſſe. Id ſæpe dicere ſolitus ſum, etiam ſi diabolum me vocaret; me tamen hoc illi honoris habiturum, ut eum inſignem Dei ſervum agnoſcam*: ut jam videas eandem morum diſparitatem conſpicuam in Luthero & Calvino, etiamnum remanere in eorum diſcipulis, ſtudio tamen longé magis cæco in unis quam alteris, Lutheranis multò magis præjudicii veneno correptis, & ſuæ cuique utilitatis affectûs quam Calviniſtis, alios ut bonitate cauſæ, ſic candore animi & manſuetudine ſuperantibus.

Sed nec ſua cuique utilitas, ſeu peſſimi affectûs venenum infecit ſolum ordinem Eccleſiaſticum, ſeu Pontificium, ſeu Reformatum: nam & viros inter Proteſtantes de gente laica literarum Principes corrupit in quibus fuere Iſaacus Caſaubonus, Hugo Grotius, & Claudius Salmaſius; ut viderentur dum viverent, non veræ Religioni, nec bonæ conſcientiæ,

ſed

ſed ſolummodo nominis celebritati litaviſſé, parati & fidei naufragium facere, atque à vera Religione deſciſcere, dummodo iræ, odio, & vindictæ, hoc eſt, ſuæ cuique utilitati ſervirent. Namque Caſaubonus, cum paulò ante ejus profectionem in Angliam infenſior eſſet Genevenſibus, quibus interceſſoribus aiebat factum eſſe ut uxoris dote excidiſſet, cœpit durante illo indignationis æſtu de Religione reformata ſequiùs ſentire: hanc iram inter hæc commendante Cardinale Perronio, atque Patres legere hortante Caſaubonum, experturum ſi quâ in illis Religionem Pontificiam reperiret, & ad quam profectò defeciſſet, niſi cohibitus fuiſſet à potentiori ſua cuique utilitate, favore nempe Regis magnæ Britanniæ, commodum inter hæc affulgente. & ditante virum lautioribus ſtipendiis, quam forſan apud Romanenſes nactus fuiſſet, cujus rei fidem facit Epiſtola ſcripta anno 1610. à Petro Molinæo ad Epiſcopum Bathonienſem, quam non gravabor pené totam apponere.

" Cunctantem me, Præſul Ampliſſime, & " metuentem tuas graviſſimas occupationes " intepeſtivâ ſcriptione interrumpere, impulit tandem Eccleſiæ utilitas, ſuaſitque ea " tibi exponere quæ mihi videntur ad Eccleſiæ veſtræ & noſtræ communem utilitatem pertinere: neque enim quiſquam " eſt apud quem melius & tutius hæc deponam quam apud te, quem ſcio Dei Zelo " tangi & apud ſereniſſimum Regem plurimum poſſe gratiâ. Cauſa mihi ſcribendi

" Iſaacus Caſaubonus, cujus ad vos profectio
" mihi non parvam injicit ſolicitudinem. Vir
" eſt ſané cordatus, pius, & probus, ſed quem
" metus & iracundia tranſverſum egerunt.
" Ab hinc triennium coepit de Religione ma-
" lé ſentire & inclinare in Papiſmum; paucis
" capitibus exceptis, quæ eum in Religione
" nutantem à manifeſta defectione cohibue-
" runt, qualis fuit communio ſub una ſpe-
" cie, Tyrannis Pontificia, Liturgia linguâ
" ignotâ, imaginum cultus, opera ſuperero-
" gationis. Hos errores ille nondum conco-
" quit, & in iis adhuc nobiſcum ſentit: in
" cæteris capitibus controverſiarum non ob-
" ſcuré præ ſe fert, ac palam profitetur odium
" noſtræ Religionis, quam inter Pontificios
" traducit contumelioſé & quaſi novitiolum
" Calvivi commentum odioſé exagitat. Me
" verò quo ſemper uſus amico & familiari,
" monentem amicé non tulit. Initium mali,
" odium in Genevenſes, quos in lite pecu-
" niaria quam Genevæ moverat expertus eſt
" ſibi adverſos, quibuſque interceſſoribus ait
" ſe excidiſſe causâ & uxoris dote exutum
" fuiſſe; Ex eo coepit miniſtros omnes acer-
" bè inſectari, & in cujuſvis obvii ſinum hoc
" virus effundere. Hominem ita perturba-
" tum & impotentis iracundiæ adortus Car-
" dinalis Perronius ingenium inſtabile loco
" facile movit, & pene peſſum dedit. Ibi
" tum Caſaubonus Cardinale impulſore lege-
" re Patres & clam cum Cardinale habere
" colloquia; quæcunque verò in Patribus in-
" veni-

" veniret in ſpeciem nobis adverſa mordicus
" apprehendere. Vir ſané in philologis & lin-
" guis doctiſſimus, ſed circa rerum cognitio-
" nem non perinde diligens, & in quo acri-
" moniam judicii deſideres: quippe qui plus
" memoriam quàm judicium exercuit, & in-
" ſita facilitate ſequacem quamcunque in par-
" tem impuleris. Tantum malum in viro
" tantæ doctrinæ, & quem colo & facio ma-
" ximi, tuli ſané graviter & quod potui co-
" natus ſum ad priſtinam mentem revocare, ſed
" fruſtra fui, hactenus incaleſcente in dies ejus
" odio in Genevenſes & Cardinale altrinſecus
" inſtante & ſuaſiones pollicitationibus con-
" diente. Inter hæc commodum accidit ut
" Rex veſter ſereniſſimus, impulſore D. Archi-
" epiſcopo Cantuarienſi, eum ad ſe evocaret.
" Ea res me recreavit aliquantulum & in ſpem
" erexit fore, ut tuis colloquiis & ſuaſioni-
" bus, aliorumque, quos habet Anglia do-
" ctiſſimos in rectam viam reducatur, ejuſque
" iracundia detumeſcat, mollita locorum &
" temporis intervallo: quam ad rem ut quod
" potes induſtriæ conferas, Vir magne, etiam
" atque etiam rogo. Quod ſi nullatenus po-
" teſt à ſententia dimoveri, commodiſſimum
" & tutiſſimum erit eum honeſtis præmiis ob-
" ſtrictum occupare circa Hiſtoriam Eccleſia-
" ſticam & refutationem Baronii, ad quod
" opus jam multa congeſſit: Eſt enim, ut dixi,
" Papæ Tyrannidi adverſus: ac in hac parte
" nobiſcum ſentit: quocirca quicquid in hoc
" argumento ſcripſerit, cedet in Eccleſiæ ædi-

" ficationem. Denique oro, obteſtor, facite
" ut quocunque modo veſter ſit, nam ſi ad
" nos redierit certa eſt defectio. Unde ingens
" Eccleſiæ ſcandalum, & offenſio infirmorum:
" Vivimus enim inter adverſarios, qui noſtro-
" rum lapſu incredibiliter triumphant, & ejuſ-
" modi Circenſes pompas ſpecioſé circumdu-
" cunt. Ille quidem Reginæ noſtræ valedi-
" cens promiſit reditum: unde neceſſé habet
" datam fidem liberare; ſed ſi apud vos me-
" liorem conditionem invenerit & otium cum
" honore; redibit procul dubio ad vos, poſt-
" quam hic convaſaverit ſuppellectilem & Bi-
" bliothecam, quam habet ampliſſimam: Nec
" mediocre erit Angliæ ornamentum, homo
" rei literariæ facilè princeps, & nos libera-
" veritis magno metu, & animam jam pro-
" nam in ruinam ſervaveritis veſtrâ induſtriâ.
" Avertat Deus hoc malum & vos faciat tam
" boni operis inſtrumentum, ſed de his
" *καταλόγως*.

Nec ex eo Caſaubonus cum in Anglia eſſet, adeòque palpo quadringentarum aut quingentarum librarum Anglicanarum delinitus & retentus in communione reformatorum, factus eſt aut æquior in Proteſtantes, aut iniquior in Pontificios. Licet loco longius abductus à Romanenſibus doctoribus: neque enim impeditus fuit quominus, hinc cum his ſyncretiſmum proderet, illinc vero in illos, malam mentem, malum animum teſtaretur, ut cum ſcribit ad Frontonem Ducæum Jeſuitam, *Tuam amicitiam Cupio mihi manere ſartam, tectam;*

manebit

233

manebit autem ſi ſcriptum meum comparaveris, cum Anticotonibus, myſteriis iniquitatis & Theatris Antichriſti, & id genus aliis hominum, qui ut olim Auguſtinus dicebat, deſtruunt melius aliena quam propria tuentur. Per illa verba figens Proteſtantium eo tempore anteſignanos Philippum Mornæum, Nicolam Vignerium, & Petrum Molinæum.

At Grotius, quantum Vir Magnus, tantum veneno peſſimi affectûs, nempe ſuæ cuique utilitatis à vero & honeſto, imo à recto judicio abductus; namque, nec habet præſens ætas, nec habuit exacta multorum ſeculorum Grotio majorem eruditione & judicio, in quo omnia ſumma eminerent qui eſſet maximus Theologus, Juriſconſultus, Philoſophus, Philologus, orator, Poëta, cujus ingenium tantum abeſt ut conſepto fori terminaretur, ut nequidem naturæ cancellis concluderetur. Is tamen uſque adeo Arminio plenus fuit (veré an falsò non diſputo) ut totâ pene vitâ iram ſuam in Calvinum & ὁμοψήφους, continere non poſſet: imo cum jam ætas præceps eſſet potius quam non ægré faceret ſectatoribus contrarii dogmatis, totam Religionem horum impugnaret, & eatenus Chriſtianam Religionem in dubium vocaret (cujus tamen modò acris defenſor & ὑπερασπιστὴς fuiſſet) dum futilia quæque Romanenſium dogmata amplectitur & tuetur, & quæ nemo credat à Grotio potuiſſe defendi, cui ipſa Religio Chriſtiana non eſſet dubiæ fidei. Et mirum ni mens ſtudio partium peſſimoque illo ſuæ cui-

que

que utilitatis affectu ebria & ſua ſede emota, impulſa facilé fuiſſet ad prodendam ipſam patriam. Id non obſcuré teſtatur opere cui nomen *votum*; ubi ait, Supplicium Oldenbarneveldii ab hoſte ſpectatum: per hunc intelligens Principem Mauritium, Belgii delicias, publicæ libertatis acerrimum vindicem & veré Patrem Patriæ.

Pauca dicenda habeo de ſummo viro Claudio Salmaſio paria cum Grotio faciente, ut ſi Salmaſius Grotium ſuperavit vaſta rerum cognitione, hic longé poſt ſe relinquat Salmaſium judicii acrimoniâ: nam hic licet viſus ſit primis vitæ temporibus aliquâ Religione teneri, cum reformatam Pontificiæ prætulit, tamen poſteriora, etiam vitæ clauſula, nullam cordi fuiſſe docuerunt, loquor de manuſcriptis optimo conſilio preſſis, quæ quidem, aiunt, malam mentem, malum animum erga non ſolum reformatam ſed & omnem Religionem prodidiſſe. Cæterum laboravit totâ vitâ morbo Criticorum, quorum ſuæ cuique utilitas non eſt amor fortunæ miſſilium, ſed ſui.

Taceo hic privatas ſtimulationes, odia, virulentas concertationes, quæ ne morte quidem finiuntur, quas Theologi cum criticis, & hi (ut & ſecum ut Salmaſius cum pene æquali ſuo Ludovico Heraldo) cum illis exercent, ut quique videantur ex æquo quaſi facto fœdere publicum bonum Religionis tranſmittere, ut per ruinam æmulorum, imo ipſius aut Religionis, aut pietatis ſibi celebritatem & famam

ſamam potius quam laudem apud præſentes & poſteros parent: Nam videas Criticos ſuas difficiles nugas ſic efferentes ut præ ſe contemnant nationem Theologorum, quod plenis faucibus non biberint de fonte Criticorum, dubium an potius Religionis faſtidio, quam hominum, ut qui ſi ad Theologicam profeſſionem adjunxerunt Criticam, tantum in reputatione criticorum amittant de æſtimatione critici, quantum huic Theologiæ acceſſit; ut ſolitariam quidem criticam in quoquam æſtiment; at comitem habentem Theologiam parvi faciant; nec ipſi critici attingunt Theologiam Theologiæ amore, ſed ne hoſpites in eo quoque ſtudii genere deprehendantur, quodque non eſt criticorum ἔργον ſed πάρεργον & quod ideo rejiciunt in fæcem & amurcam vitæ, quando ſeriò, licet ſerius, admonentur debuiſſe præcipuum ſtudium eſſe viri literati, cujus ſervitio critica (non Theologia criticæ ut facere amant) tanquam ancilla Dominæ manciparetur. Profectò critici primi nominis Scaliger, Caſaubonus, Salmaſius, Voſſius, Bochartus, Seldenus (nam his non pono Grotium qui totâ pene vitâ Theologica tractavit) ſua eruditione recondita, hoc judicio ſubacto, alto otio, quod ſupererat, atque ætate conſtante quam ferme totam impenderunt in ruſpandis Ethnicæ antiquitatis ruderibus & verborum apicibus, hoc eſt quiſquiliis enucleandis (niſi ubi referuntur ad Scripturæ Sacræ intelligentiam,) maximo compendio & minori negotio confutaſſent totum

Baro-

Baronium (quod ſané fuiſſet operæ pretium) ejuſque ſtrophas detexiſſent, quibus Romanenſibus ſuis fucum facit Eccleſiæ antiquitatis & Religionis. Cum tamen & ipſi critici ſi excipis quos modo nominavi faſtu tumente regnare velint & ament in Theologiam & ejus profeſſores, Excidit tamen Scaligero hoc δοκησισοφίας ſpecimen in quadam Epiſtola, *Multa paſſim in textum Evangelicum ab ultima vetuſtate vitia admiſſa ſunt, quæ nemo præter me indicabit.*

Verùm altrinſecus videas plurimos Theologos faſtum criticorum majori faſtu calcantes & ſibi ut unis myſtis & togæ ſuæ ſic aſciſcentes Theologiæ peritiam & ſacrorum codicum intelligentiam, ut nec velint nec ferant quemquam de gente laica in illa eruditum eſſe, nec poſſe, credant: quinimo non tantum graviter ferant, ſed & faſtidioſé traducant atque ludibrio habeant quicquid à laico in Theologicis illinitur chartis, ut falcem ſuam in alienam meſſem immittente: quanquam qui non niſi cum ὀφθαλμῶν ἀλγήδονι patiantur criticos ſua repagula perrumpentes, temerario auſu, ad caſtra Theologiæ tranſire ſuoſque errores detegere, libenter ferant, ſummum virum Samuelem Bochartum paria in Critica cum Scaligero, Caſaubono, Grotio, & Salmaſio facere.

CAPUT

Digitized by Google

235

CAPUT VII.

Papæ & Romanenſes Doctores etiam ſubacti judicii viri; eam fidem potius ſemper amplexi ſunt quæ facit ad augendam Papalis imperii dignitatem & quæ tempori ſervit quam quia revera eam & orthodoxam & veram eſſe crediderunt; cum orthodoxi plerumque fuerint in illis dogmatibus quæ ſeria ſunt, nec commodo Papæ, aut proprio compendio ſerviunt: verum futilia quæque dogmata arripuerint, ſi modo conſulunt Papæ honori, & cum augenda re familiari & culinaria conjuncta ſunt.

HOc argumentum Achillæum, quod hujus capitis facit titulum; imprimis corroborat & implet iſtius diſſertatiunculæ materiam, in quam pene tota aſſumitur, videlicet non à veritate Romanenſium dogmatum, nec ab eorum Sanctitate Conciliari authoritatem Papæ aut Eccleſiæ Romanæ, ſed à Papæ imperio terreno divitiis robore & fulgore florente, ad cujus utilitatem ſemper Romanenſes Doctores flexerunt ſuam Religionem, ſana & orthodoxa arripientes dogmata, ubi non labefactant Papæ imperium, ſed impia quæque & futilia retinentes, modò ad ejus incrementum & dignitatem eſſent flexa & comparata.

Agmen ducat Leo I. jam prima imperii Papalis fundamenta jaciens: hic cum per Synodos œcumenicas, Nicænam I. Conſtantinopolita-

politanam I. & Chalcedonenſem, æquaretur ſibi præſul Conſtantinopolitanus, non potuit continere eo nomine conceptam iram ſcribens ad Anatolium, *nimis hæc ſunt improba, nimis ſunt prava, quæ ſacratiſſimis Canonibus inveniuntur contraria.* Et Epiſtola ad Pulcheriam dicit, ſe irritum facere quicquid in Synodo Chalcedonenſi decretum fuerat quod adverſaretur Canonibus Concilii Nicæni, ubi, hic per Canones Concilii Nicæni, illic verò per Sacratiſſimos Canones intelligit fictos Canones à tribus Papis, Zozimo, Bonifacio, & Celeſtino ad tuendam provocationem ſceleratiſſimi Apiarii ad ſedem Romanam; neque enim veris Canonibus Nicænis & Chalcedonenſibus aſſertum erat jus Papæ recipiendi appellationes extra dioceſim ſuam, quin contra à veris Canonibus prohibebantur, & æqualitas Metropolitanorum ſtabiliebatur. Sed quî poſſunt hæc Manliana imperia & decreta concordare cum ſermone quo affatur Imperatorem, *omnes manſuetudinem tuam, cum gemitibus & lacrymis ſupplicant ſacerdotes generalem Synodum celebrari intra Italiam jubeatis:* per quæ porrigit quæ retraxerat, ut Imperatoris jus convocandi Synodos, adeoque Canonibus ſuis vim legum Eccleſiaſticarum imprimendi aſcribat; multò magis à ſe abjudicet poteſtatem reſcindendi canones Concilii cujus tota authoritas ab Imperatore pendebat.

Ep 9. 25. & 83.

Sed quam iniquus fuerit Leo in negotio Hilarii Arelatenſis, teſtes ſunt Baronius, & Godellus

dellus, dum extorquet diploma ab impiiſſimo Imperatore Valentiniano, ut innocuum virum opprimeret, & unâ operâ imperium ſibi in Gallias ſtrueret.

At idem Leo orthodoxus erat in cæteris quæ facere non putabat ad incrementum Papalis imperii: etenim Epiſtolâ 83. damnat ſatisfactionem per pararium & proxenetam, & Epiſtolâ 67. hortatur Epiſcopum, *ut virginem ſumat quæ alterius thorum neſciat*, per id non improbans cælibatum ſacerdotum: Epiſtolâ 23. dum non admittit in Euchariſtia aliam mutationem ab ea quæ fit ex fidelibus in carnem Chriſti Tranſubſtantiationem impugnat, neque enim fideles Romano ſenſu mutantur in Carnem Chriſti. Idem Leo matrimonium approbat in clero Epiſtolâ 85. *Dicente Apoſtolo ut Epiſcopus ordinetur qui unius uxoris virum fuiſſe aut eſſe conſtiterit.*

Gelaſius pariter ac Leo circa exitum ſeculi quinti commotior eſt in Synodos, præſertim in Chalcedonenſem, ob æquatum præſulem Conſtantinopolitanum Romano. Canone *cuncta*, invehitur in omnes Synodos œcumenicas & tomo de vinculo anathematis, *Quod non refutavit ſedes Apoſtolica, habere non poteſt firmitatem; ſola reſcindere poteſt quod præter ordinem congregatio Synodica putavit uſurpandum:* per quæ obliqué damnat Synodos Africanas, & Chalcedonenſem, quibus prohibentur provocationes Romam, & æquatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus Romano. Alibi in Concilio 70. Epiſcoporum ob eam potiſſimam

Ep. 1. c. 12. 25. qu. 1.

tiſſimam cauſam repudiat omnium Conciliorum Canones, quod Eccleſia Romana nullis Synodicis Conſtitutis, ſit cæteris prælata, ſed Evangelica voce Domini *Tu es Petrus*, &c.

In aliis, per quæ putavit, nihil decedi de ſui imperii dignitate ſatis ſanus eſt, ut cum tractatu contra Neſtorium & Eutychen (ſi tamen ejus eſt author) ait, *in Euchariſtia manere panis & vini naturam & ſubſtantiam.* Et Canone, *Comperimus*, ſacrilegos vocat qui participant & exhibent panem abſque calice. Et in Commonitorio ad Fauſtum legatum vult non dari ſolutionem poſt hanc vitam, nec pœnam ſatisfactoriam, quia dictum eſt *quodcunque ligaveritis ſupra terram* non *ſub terra.* Quid? quod ibidem poteſtatem concedendi Indulgentias intra cujuſque Epiſcopi Juriſdictionem concludit. Idem Canone, *ſuſpecti*, pugnat cum propria utilitate, dum Papam exuit infallibilitate & authoritate judicandi ſibi infenſos.

Gregorius I. nullum non movit lapidem, ut Papæ imperium terrenum ulterius proveheret; vocavit ſe ſervum ſervorum Dei, ut humus cum tolleret; haud abſimilis Othoni apud Tacitum, *omnia ſerviliter pro imperio:* namque majori cum ſuperbia titulum Univerſalis Epiſcopi recuſabat, quam aſſumebatur ab Epiſcopo Conſtantinopolitano. Scribens ad Antoninum ſubdiaconum ſic queritur de quodam Honorato, *non ſolum mandata Dei negligens, ſed & ſcripta noſtra contemnens.* Modeſtiâ quidem quam decuit ſubditum compellavit Mauritium Dominum

ſuum;

ſuum; ſed ſerviliter & impiè Phocæ Tyranno & Mauritii interfectori gratulatus eſt imperium.

At altrinſecus in doctrina quam putavit non obſtare incremento Papalis imperii, pia & ſana protulit, ut cum Canone, *Perlatum eſt* non ferebat in templo imagines ad cultum, ſed ad uſum Hiſtoricum; & cum jubebat etiam pueros lectionem aſſiduam Scripturarum. Et cum in materia de gratia profitetur ſe ὁμόψηφον Auguſtino. Idem adverſus erat purgatorio, ſaltem hoc loco, *quia authoris noſtri gratiâ redempti ſumus, hoc jam cæleſtis muneris habemus, ut cum de carnis noſtræ habitatione ſubſtrahimur mox ad cæleſtia præmia ducamur,* lib. 13. moralium in Job cap. 20. Idem vult calicem porrigi in Euchariſtia, nec ſuſtinet ſacerdotem communicare abſque populo, nec Tranſubſtantiationem credidit is qui vocabulum *corpus* in pericope *hoc eſt corpus meum,* intelligit cum Auguſtino de Eccleſia. Nec credidit miracula eſſe notam veræ Eccleſiæ; nam affirmat demum neceſſaria fuiſſe naſcente Eccleſia; at poſtmodum inutilia fuiſſe: nec ſecius credendum quod miracula ſuo ævo non edantur. Idem homil 10. in Ezechielem verbis magnificis teſtimonium Spiritûs Sancti in cordibus legentium Scripturam Sacram deſcribit & extollit.

In Ezech. lib. 1. homil. 9. l. 4. Ep. 40. ad medicum l. 9. Ep 9. lib. 2. dial. c. 23. l. 32. c. 83.

In Pſal. 6. pœnit. homil. 29. in Evang.

Innocentius III. qui extulit poteſtatem Papalem ad ſummum apicem, quique ad cul-

Serm. de conſe. c. *tuo & pen. de homicid. volunt & per tuas 7. de major & obed.* cap. *cum illorum 32. de ſent. excom.* cap. *perpetuo de Elect. in ſexto* cap. de bigamis in 6o.

men ſuperbiæ & arrogantiæ pervenit, uſque adeo ut Eccleſiam vocet ſuam ſponſam, & de ſuis conſtitutionibus, ut de oraculis Divinis loquatur.

Attamen retinebat quædam placita quæ hodie habentur pro teterrimis Calvini hæreſibus, ut cum in Concilio Lateranenſi laudat morem celebrandi liturgiam linguâ populo intelligibili. Et cum 6. Johannis intelligit verba Chriſti de manducatione ſpirituali. *De ſpirituali comeſtione Dominus ait niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hoc modo Corpus Chriſti ſoli boni comedunt.*

lib. 4. de myſt miſſæ c. 14.

Idem non videtur πληροφορία fidei crediſſe Tranſubſtantiationem. Cum expreſſé diſtinguat corpus naturale Chriſti quod eſt caro ejus à myſtico quod eſt Eccleſia, nullum locum relinquens pani Tranſubſtantiato: *forma panis comprehendit utramque carnem Chriſti, hoc eſt veram & myſticam*, niſi per carnem intelligat illam quam volunt ſub accidentibus panis latere. Sed credibile eſt Innocentium per primam carnem intellexiſſe, eam de qua Jeſus Chriſtus Johannis 6. *Mea caro eſt verè cibus*, & quam Innocentius dicit non eſſe ſacramentalem, ſed ſpiritualem, per alteram intellexiſſe Eccleſiam ſeu corpus Chriſti myſticum.

lib. 4. de myſt. miſſæ c. 36.

Nec alius acrior fuit Patronus & aſſertor gratiæ Divinæ, ut ſi S. Paulus ejus eſt primus Angelus, Auguſtinus verò ſecundus, Innocentius tertium locum mereatur: nam quid potuit

tuit proferri ab Auguſtino verbis magis magnificis, quam quæ loquitur ſermone de uno Martyre?

Divina miſericordia non ſolum prævenit & præparat; verum etiam ſubſequitur & proſequitur: voluntatem humanam prævenit inſpirando, ſubſequitur adjuvando; præparat ut incipiat, proſequitur ut perficiat.

Æneas Sylvius quandiu Epiſcopus & Cardinalis, longé alius fuit à Papa Pio II. & tunc minus pius, quando *Pius*; propiorque Gregorio VII. & Bonifacio VIII. namque Æneas Sylvius totus erat in defenſione authoritatis Conciliorum & libertatis Eccleſiarum, atque pragmaticarum Sanctionum contra injuſtas occupationes & vindicationes Paparum quorum labes & vitas impuras non diſſimulat, teſtaturque ideo à Concilio Conſtantienſi conditum Canonem quo Papa Concilio ſubjiciebatur, ut in poſterum ſummi Pontifices moribus forent caſtigatiores, ſaltem in arctum compellerentur qui nihil niſi terrena ſapiebant, cæleſtium inanes & ſecuri. Idem Æneas re pius, non nomine, docuit ſexto Johannis non fieri mentionem Sacramentalis manducationis: quæ ſententia fuit & Innocentii III. nec alia magis ſapit Calviniſmum.

Ejus etiam circumferuntur Apophtegmata uncialibus characteribus ſcribenda & incidenda ad rei memoriam, quorum alterum eſt.

1. *Siquidem propter rationes graves ademptæ ſunt uxores ſacerdotibus; propter graviores & meliores illas ſacerdotibus reddendas eſſe.*

Digitized by Google

2. *Omne malum in mundo, aut exortum à viris Eccleſiaſticis, aut ab illis patratum.* Nam de natione Paparum ſentiebat ut de ſceleratiſſima & imprimis Sacrilega & Simoniaca: cæterum Romam eſſe ſentinam vitiorum & malorum. *Nihil eſt* (inquit Epiſtolâ ad Peragellum) *quod Romana curia abſque argento dedat, ipſa manuum impoſitio & Spiritus St. Dona venduntur, nec peccatorum venia niſi nummatis impenditur.*

Nec magis ſana protulit Calvinus de Diſconvenientia Eccleſiæ Romanæ hodiernæ ab ea quæ primitus erat; tunc enim ait fuiſſe Eccleſiam particularem, non Catholicam; ſuamque ſeorſim habuiſſe diſciplinam ſuos ritus & cujus non major eſſet authoritas quam aliarum, *ſibi quiſque vivebat & ad Eccleſiam Romanam parvus erat reſpectus*, quod falſum fuiſſet ſi Eccleſia Romana eadem fuiſſet atque Catholica ad quam ſemper fuit magnus reſpectus.

Epiſtola 188. ad Martinum Mayerum.

Protulit etiam planè conſonam Proteſtantium placitis veritatem, quæ infuſcari non potuit niſi à Pio II. poſtquam inſedit thronum imperii Papalis ſuo fulgore & divitiis addentem pondus Papalibus ſuis næniis & futilibus doctrinis. Libro I. de geſtis Concilii Baſilienſis abjudicat ab Epiſcopo Romano jus Synodos convocandi, affirmatque in convocandis Synodis tempore Conſtantini Magni & deinceps per aliquot ſecula, non requiſitum fuiſſe aſſenſum Epiſcopi Romani. *At ego dum veteres Hiſtorias lego, dum actus perſpicio*

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolorum, hunc equidem uſum non video, ut ſoli Papæ Concilia convocaverint: nec poſt tempora Conſtantini & aliorum Auguſtorum ad congreganda Concilia quæſitus eſt magnoperè aſſenſus Papæ.

Clemens VIII. fuit alter Balaam: nam modò non protulit eo ſaniora St. Auguſtinus de natura gratiæ: at perſonâ illâ viri Sancti depoſitâ, non alius fuit ſenſibus verbis & factis fœdior, teſte Cardinale Oſſatio Ep. 87. ubi teſtatur illum Papam in ea ſententia fuiſſe Jus & fidem regni gratiâ violari poſſe, in aliis rebus pietatem eſſe colendam. Quæ de eo ſubjungit Oſſatius ſunt notatu digna, *La haine qu'il porte aux heretiques le tranſporte ſi avant qu'il ſe laiſſe echapper de la bouche, bien que ſous le nom d'autruy, des maximes pernicieuſes & indignes de tout homme de bien.* Paria dicit de eo author libri Gallici (cujus titulus eſt. *Recevil des maximes importantes*, liber veré aureus) & ipſe non tantum Gallus, ſed & Pontificius & (quod mireris) Vir Eccleſiaſticus. *Les maximes de ce Pape eſtoient abominables, comme ſont celles des Italiens & des Machiaveliſtes.*

Et tamen hic Papa inter optimos habetur.

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, hic in Anglia, Ivo Carnutenſis in Gallia, formam pietatis nacti, tantò illuſtriora fuerunt inſtrumenta in manibus Paparum, ad Papale imperium exſtruendum, cum in Galliam, tum in Angliam. Cum enim uterque flagrantiori eſſet gratiâ apud ſuos Reges quam vulgus præ-

ſulum, qui ſe toti mundi voluptatibus tradebant, tantò facilius potuerunt quò vellent circumagere & eos perducere ad Papæ jugum ſubeundum. Vignerius anno 1143. eadem refert de Bernardo, cujus pietas, ſeu ſincera ſeu fucata, mancipaverit Regem Galliæ Papali imperio. *St. Bernard ſous pretexte de defendre les libertez de l'Egliſe fit quitter au Roy & à ſes ſucceſſeurs les principaux droits & franchiſes de leurs couronnes.*

Cæterum Anſelmus ſuum Regem Jure patronatûs & inveſtitutarum exuit, & cœlibatum ſtabilivit in Anglia, quæ cauſa fuit ut ait Matthæus Paris introducendi Sodomiam inter Eccleſiaſticos.

At in hiſce in quibus non exiſtimavit quicquam decedi & decurtari de Papali imperio, ad quod ampliandum totâ contentione ferebatur, ſana protulit & orthodoxa placita, uti in doctrinis de gratia, de meritis operum juſtitia Chriſti & efficacia officii mediatorii, quibus excluduntur opera hominum ex condigno & ſupererogationis. *Quem enim alium dirigam interceſſorem pro me tibi neſcio; niſi hunc qui eſt pro peccatis noſtris propitiatio, qui ſedet ad dextram tuam, qui etiam communi tibi gloriâ pietatem tuam interpellat pro nobis. Ecce Pontifex ſummus qui non eget alieno expiari ſanguine, quia proprio fulget profuſus cruore. Ecce beſtia Sancta, bene placens & perfecta in odorem ſuavitatis & oblata eſt, & accepta.* Idem de conceptione Virginis cap. 2. *nullus poteſt reddere quantum debet, ſolus Chriſtus*

De med. in redem.

De menſuratione crucis.

ſtus reddidit pro omnibus qui ſalvantur pluſquam debetur : ſi homo mille annis, ſerviret Deo etiam ferventiſſimé non mereretur ex condigno dimidium horæ eſſe in regnó cælorum.

Idem claré diſtinguit Juſtitiam Jeſu Chriſti quam per meritum ejus obtinemus, ab ea quæ eſt imitationis noſtræ objectum, *quibus, convenientius fructum & retributionem ſuæ mortis attribuet, quam iis propter quos ſalvandos (ſicut ratio veritatis nos docuit) & hominem ſe fecit, & quibus ut diximus, moriendo exemplum moriendi propter juſtitiam dedit : fruſtra quidem imitatores ejus erunt, ſi meritis participes non erunt.* Et in caput 4. ad 2. Corinth. *Renovatio interioris hominis, inchoatur à fide; boniſque moribus augetur & roboratur de die in diem, non enim in momento uno fit ipſius converſationis renovatio, ſicut uno momento in Baptiſmo fit peccatorum remiſſio.* Et cap: 5. 2. ad Corinth. *Ipſe ergo peccatum ut nos juſtitia, non in nobis ſed ipſo; ſicut ipſe peccatum non ſuum ſed noſtrum; non in ſe, ſed in nobis conſtitutum.*

Tract. cur Deus homo. lib. 2. c. 12.

Perinde ſanus eſt in doctrina de gratia, ut legere eſt in tractatu de concordia præſcientiæ, prædeſtinationis & gratiæ Dei cum libero arbitrio, ubi pluribus reſpondet ad illam gravem quæſtionem : *quare Sacra Scriptura arguit non obedientem, cum ipſam rectitudinem nemo poſſit, niſi gratiâ dante habere, vel accipere?* ut & ad illam *quare arguantur illi, qui verbum Dei non ſuſcipiunt cum hoc facere nequeant :* ad hanc poſtremam quæſtio-

nem Auguſtinus non reponeret ſaniora, non Calvinus. *Notandum eſt quia impotentia quæ deſcendit ex culpa non excuſat impotentem, culpâ manente: unde in infantibus, in quibus exigit Deus à natura humana juſtitiam quam accepit in primis parentibus cum poteſtate ſervandi illam in omnem prolem ſuam non excuſat eam in impotentia habendi juſtitiam: quoniam propter culpam in hanc corruit impotentiam —— Si quis igitur quæ diligenter conſiderat, nullatenus eos qui propter culpam ſuam verbum Dei ſuſcipere nequeunt, rectè arguendos dubitet.*

ibid. c.17.

Thomas Aquinas plané nomine & re Angelicus, alter Sanctus Auguſtinus in illis dogmatibus quæ non exiſtimavit facere ad compendium proprium, nec ad incrementum Papalis imperii, ut ſunt doctrinæ de gratia de Juſtificatione per fidem, de meritis operum; in quibus plané orthodoxus eſt & Divinus. *Sola fides* (inquit) *homines facit filios Dei.* Idem docet pluribus nullam dari gratiam ſufficientem quæ non ſit efficax; neque gratiam abſoluté neceſſariam ad ſalutem obtinendam, & legem Dei obſervandam concedi omnibus hominibus: nam pertendit quod ſtatuere tam laté patere gratiam quam naturam, idem eſſe ac gratiam illam commutare in naturæ donum, *aut iſta gratia datur omnibus, aut non, ſi omnibus datur, non videtur aliqua eſſe quam naturale donum, nam in nullo inveniuntur, omnes homines convenire niſi in aliquo naturali.* Quæ quidem verba digna ſunt cedro

Com. in Galat. c.3. lect. 4 & 5.

Digitized by Google

dro & haud abſimilia verbis Auguſtini, *communis eſt omnium natura non gratia.* Et alibi hæc habet noſter Thomas, *quod hominum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideo quibuſcunque non datur, hoc eſt ex juſtitia: quibuſcunque autem datur hoc eſt ex gratia, ut ait Auguſtinus*; alibi redemptionem ad ſolos electos reſtringit. *Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, nec etiam pro omnibus qui erant in eum credituri, ſed pro iis ſolum qui erant Prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.* Idem diſertè ponit differentiam inter Juſtificationem & ſanctificationem. *Juſtificatio impii non eſt ſucceſſiva ſed momentanea.* Ser. de verbis Apoſt. 1. 2. qu. 106. art. 3. 3. parte qu. 21. art. 4. ad 2. 1. 2.

Nec alius fuit à ſenſibus Auguſtini Innocentii III. & Æneæ Sylvii in intelligentia ſexti capitis Johannis Evangeliſtæ. *Notandum quod hæc ſententia poteſt referri vel ad ſpiritualem manducationem, vel ad Sacramentalem. Sed ſi referatur ad ſpiritualem, nullam habet dubitationem ſententia: ſi verò refertur ad ſacramentalem: dubium habet quod dicitur.* Subjungit mentem Chriſti hoc loco fuiſſe hortari ad meditationem mortis ſuæ & fidem. Idem pluribus docet ſacrificium miſſaticum non ulterius eſſe ſacrificium quam quatenus eſt imago veri ſacrificii in cruce peracti. parte 3. qu. 83. art. 1.

Nec credidit Thomas facere ad incrementum Papalis imperii ſi non arriperet dogma poſterius creditum de ademptione calicis; namque lectione 5. in caput 11. 1. ad Corinthios

rinthios tres rationes validiſſimas profert, quibus neceſſitas infertur participandi panem & vinum. Nec dum Thomas credidit officere Papæ ejuſque imperio, ſi ſacram Scripturam longè prædicaret: neque enim unquam Auguſtinus, aut Calvinus luculentiori elogio aſtruxit ejus perfectionem, *quadruplex eſt effectus Sacræ Sripturæ: ſcilicet docere veritatem, arguere falſitatem: eripere à malo, & inducere ad bonum: ultimus ejus effectus eſt, ut perducat hominem ad perfectum, non enim qualitercunque bonum facit ſed perficit.*

At in dogmatibus in quibus res Papalis imperii agitur, non Innocentius III. non Bonifacius VIII. magis ore eſt blaſphemus aut inflat buccas. *Cum enim ſummus Pontifex ſit caput in corpore myſtico omnium fidelium Chriſti, & à capite ſit omnis motus & ſenſus: in corpore verò, ſic etiam in propoſito, propter quod oportet dicere in ſummo Pontifice eſſe plenitudinem omnium gratiarum, quia ipſe ſolus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum, ut competat ſibi, quod in Principe Domino dicimus: quia de plenitudine ejus omnes accepimus.*

De regim. Princip. lib. 3. c. 10. Num. 20.

Obſervatum eſt hunc Doctorem in pari cauſa ubi agitur, hic cauſa Chriſti, illic cauſa Papæ, ut ſe mutuò deſtruant, potiorem ſemper illi fuiſſe hujus cauſam; ut cum corripit Dominum Jeſum ter Petrum compellantem. *Dominus utitur in Johanne quadam interrogatione importuna ter quærens à ſuo ſucceſſore Petro, quod ſi ipſum diligit gregem paſ-*

Digitized by Google

cat. Et cum in cultu imaginum cultum Soli Deo debitum, imo latriæ transfert in pupas Papales, imo crucem ligneam, ut cum docet, *quod eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt quod ejus imago adoratione latriæ ſit adoranda.* De adoratione crucis ſic loquitur, *Cruci exhibemus cultum latriæ, in qua ponimus ſpem ſalutis: Cantat enim Eccleſia: ô crux ave ſpes unica, hoc paſſionis tempore: auge piis juſtitiam, reiſque dona veniam. Ergo crux Chriſti adoranda, adoratione latriæ.* 3. parte ſum. qu. 25. art. 3.

Sed nullibi magis inſanit quam ubi de Papa loquitur cujus poteſtatem eò tollit ut penes eum ſolum eſſe dicat, conficere Symbolum fidei & novam Symboli editionem: tum affirmet poteſtatem Papæ tanto intervallo anteſtare Epiſcopis, quantò Epiſcopi Regibus & Principibus, quos ait ſimulac excommunicatione ambuſti ſunt propter apoſtaſiam à fide, nomine tenus eſſe Reges, quibus non teneantur obſequi ſubditi, utpote liberi à Sacramento fidelitatis. 2. 2. qu. 1. art. 10. 2. 2. qu. 6. art. 6. 2. qu. 12. art. 2.

Ex his liquet tantum virum ut fuit Thomas in ſeducto, & ubi de Papa non cogitavit, alium fuiſſe Auguſtinum, pium ſanum, orthodoxum: at plané fuiſſe emotæ mentis & inſaniviſſe ad fulgorem imperii Papalis & Papæ pupas & crepundia, in re Papæ: quod eo magis mirandum quod vixerit tempore Paparum Gregorii IX. & Innocentii IV. vitæ impiæ & Tyrannico faſtu tumentium: oportet

Digitized by Google

oportet ergo ut ſolus fulgor Papalis imperii potius quam Sanctitas hominum pertraxerit eum, ut tam magnificé de Papa & ejus poteſtate loqueretur: nec aliud potuit permovere virum totâ vitâ, (quæ vix attigit quinquageſimum ætatis annum) chartis aſſixum. Sané Matthæus Paris, idem refert de Innocentio IV. quod Theodoricus à Niem de Benedicto IX. cum enim in mortis & vitæ confinio, conſpiceret circa ſe amicos & cognatos lugentes: apage inquit veſtras lacrymas: ſatis vobis pecuniarum reliqui unde gaudeatis & dolorem veſtrum & lacrymas abſtergatis. Cui exitui pene par finis Benedicti noni. *Cuidam interroganti ab eo in ultimis conſtituto, qualiter haberet aut ſentiret, reſpondit ſi pecunias haberem bene ſtarem.*

Ad Thomam & Innocentium IV. pertinet quod Baptiſta Gillius narrat, Acad. Florent. Dialogo quinto. *Cum Thomæ Aquinati qui forté ad Innocentium IV. venerat, dum coram Pontifice vis magna pecuniæ numeraretur dixiſſet Pontifex, videſne Thoma Eccleſiam non amplius ſicut olim quando primùm coaluit dicere poſſe, argentum & aurum non eſt mihi; Doctorem Angelicum urbané & modeſté reſpondiſſe, nec poteſt modò, quod tunc, imperare claudo, ut ſurgat & ambulet.*

Bonaventura æqualis Thomæ, non minus ſe circumagit, vel ad nutum Papæ, arripiens dogmata quæ privato ſuo compendio ſerviunt, & quibus authoritas accedit ab Imperio Papali, vel æquior dogmatibus orthodoxis, ubi

cenſuit

cenſuit retineri poſſe abſque iſtius imperii labefactatione. Libro de Hierarchia Eccleſiaſtica multus eſt ut doceat in poteſtate eſſe Presbyterorum & Pontificum ubi cauſa idonea ſubeſt deponere Reges & Principes: atque id ſæpius factum. Pontificem verò maximum, nec à Rege, nec à quoquam Principe judicari poſſe: ſed Soli Dei judicio reſervari. Idem exiſtimavit ad honorem Papæ pertinere cudere Pſalterium in quo nomen virginis Mariæ ſupponitur pro nomine Dei; quo nihil poteſt concipi magis impium, & horrendum, ut virgini dicatur. *Domina dixit Domino ſede ad dextram meam: & memento Domina David & omnium invocantium nomen tuum: Et clamavi ad te Domina de profundis: Et qui habitat in adjutorio Dominæ noſtræ.*

At idem Bonaventura quaſi in contrarias oras delatus, quandoque videtur perſonam Auguſtini ſuſtinere, in multis doctrinæ fidei capitibus, quibus cauſa Papæ non agitur: ubique enim docet, *nos eſſe juſtitiæ Chriſti participes per ſolam fidem, unde in ſola fide paſſionis Chriſti remittitur omnis culpa.* Idem cum Proteſtantibus expungit eos libros ex Canone Bibliorum quos vocant Apocryphos. lib. 4. d. 15. qu. 1. num. 10.

Non capiò quî potuit fulgor imperii Papalis pertingere ad crypta & cellulam Dionyſii Carthuſiani, ut inde caligarent ejus oculi. Eâ enim conditus videtur non alium Deum in terris agnoviſſe præter Dominum Papam, ut eum vocat, ei tribuens omnem plenitudinem utriuſ-

Hierar. Eccl. part.2. utriuſque & poteſtatis & Dominii, tum ſpiritualis, tum ſecularis, penes quem ſit jus & poteſtas ſolio movendi imperatorem, Reges exuendi & regnis & vitâ, ſi ipſi expedire videtur.

At idem in cæteris dogmatibus, in quibus de Papa non cogitavit, totum refert Auguſtinum, ut in doctrina de Prædeſtinatione, de gratia, viribus humanis, de Juſtificatione per fidem; Reprobationem ſic definit. *Reprobatio eſt quadam deſertio Divina non conferens gratiam*, omnemque gratiam ſufficientem abolet quæ non ſit efficax: & ubique, imprimis, in cap.9. Ep. ad Romanos pluribus docet Deum non fuiſſe incitatum ad benefaciendum cuiquam à prævifione meritorum & bonorum operum, & ſcientiâ eum ſuo libero arbitrio rectè uſurum. Alibi ad In c.15. Joh. art. 37. hæc verba, *ſi non in me manſeritis*, hominem exuit omnium virium propriarum & meritorum conſcientiâ, ut totus recumbat in Deum, Deique miſericordiam, *Per fidem & gratiam, non innitentes propriis viribus ſed pietati meæ: quemadmodum ergo ſi palmes vel membrum abſcindatur, ſtatim areſcit & putreſcit & priſtina virtute, fœcunditate, & operatione privatur; ſic fideles niſi Chriſto per charitatem inhæſerint, nihil poſſunt meritoriè operari; ſed peccati vetuſtate corrumpuntur, vitiis implicantur, tentationibus ſuperantur.* In Pſalmum 37. vult juſtitiam hominis ſolâ remiſſione peccatorum conſtare.

* In can. miſſæ Lect.23. * Gabriel Biel in negotio Papæ tantum poteſtatis

teſtatis illi tribuit quantum myſteriorum reperit in miſſa: aſſerit in poteſtate Papæ eſſe transferre poteſtatem ſecularem de una gente in aliam,& Imperatorem deponere: uſque adeo deprimit laicorum nationem, ut tantum velit infra Papam clerumque ſubſidere, quantum profana â ſacris diſtant: quin putat vileſcere ſacrum fulmen excommunicationis intortum in profanas laicorum perſonas ob minimam culpam, qualis eſt debitum quinque ſolidorum. *Noſtris temporibus gladius ille dilatatus eſt uſque ad profanas laicorum cauſas & in ſeculari foro agendas, in tantum ut nonnunquam quis pro debito quinque ſolidorum excommunicatione feriatur.* Lect. 7.

At in aliis dogmatibus in quibus credit nihil de rationibus Papæ ejuſque authoritate decedere, alius videtur Auguſtinus, ut in aſſerenda, tum perfectione Sacræ Scripturæ, tum efficacia mortis Chriſti, gratiaque indulta ſolis fidelibus; per quæ non videtur ullum locum dare ſatisfactionibus purgatoriis poſt hanc vitam. Ne longior ſim verba ejus ſubjiciam, aurea ſané, quibus Sacram Scripturam longé perfectam & omnibus numeris abſolutam fidei regulam eſſe docet, *quomodo anima hominis vivere poſſet vitâ Juſtitiæ & gratiæ, niſi cognoſceret Dei voluntatem, & quæ ſecundum eum juſta ſunt, & injuſta, quæ credenda, & quæ ſperanda & noſtræ ſaluti neceſſaria, quæ omnia ſola docet Scriptura.* in 3. D.19. Dubio 2. & in 2. diſt. 28.

Idem tamen aliquondo pendulus videtur alternis judiciis & anceps,nec ſatis ſibi conſtans

in

Digitized by Google

in his quæ decretorie propoſuit circa ſuæ miſſæ myſteria ejuſque fundamentum : nempe Tranſubſtantiationem , dum eam in arena fundat affirmando non inveniri in Scriptura :

Lect.4. in can. miſſæ. *quomodo ibi ſit corpus Chriſti an per converſionem alicujus in ipſum : an ſine converſione incipiat eſſe corpus Chriſti cum pane , manentibus ſubſtantia & accidentibus panis , non invenitur in Canone Bibliæ.* Itane fluxa fides & authoritas fundamenti quo totum ædificium apparatûs miſſatici nititur & poteſtatis ſacerdotalis in creando creatore , quam præſtantiâ

Lect.1. & 4. ſupparem facit creationi mundi : *quis huic rei vidit ſimilia ? qui creavit me ſi fas ſit dicere dedit mihi creare ſe , & qui creavit me , creatur mediante me.*

Sed cum Biel ſe deſtitutum videret probationibus è Scriptura petitis quibus Tranſubſtantiationem fulciret , cui arenæ inſtabili tota ſtrues ſuorum myſteriorum ſuperſtruitur hac ſtrophâ ſe expedit aſſerendo lectione 22. *Cum major ſit Eccleſiæ authoritas quam Scripturæ ſtandum potius illius quam hujus judicio.* Sed ſi quidem modo dixit Scripturam eſſe maximæ authoritatis uſque adeo ut capiat & doceat omnia credenda , ſperanda & ad ſalutem noſtram neceſſaria ; non video quid illi authoritatis adjici poſſit ab Eccleſia & quæ major maximâ poſſit dari authoritas cui potius ſtandum ſit , quam Scripturæ , vel Scripturæ nihil certi definienti circa Tranſubſtantiationem , vel Eccleſiæ quam volunt diſerté Tranſubſtantiationem conſtituiſſe , licet

id

Digitized by Google

id unquam factum pernegent Johannes Pariſienſis & Cardinalis de Alliaco.

Idem Biel retrahit quod porrexerat, cum uno loco aſſerit omnem gratiam, ut eſt remiſſio peccatorum, fides & pœnitentia à ſolo Chriſto conferri in Eccleſiam, cujus ſit ſolus Rex, nullum conſortem imperii paſſus, alio ſociam illi aut potius Deo Patri, nulla factâ Chriſti mentione, adjungit virginem Mariam in Regali munere, eique præcipuas partes aſſignat: dum vult Deum Patrem ſibi regnum juſtitiæ ſervaſſe; at regnum miſericordiæ in Mariam contuliſſe, ad quam ideo, tanquam ad aram miſericordiæ confugiant peccatores. *Confugimus primo ad beatam Virginem Mariam cælorum reginam cui Rex Regum pater Cæleſtis dimidium ſui regni dedit, quod ſignificatum in Heſter. Sic pater Cæleſtis, cum habeat juſtitiam & miſericordiam, tanquam potiora ſui regni dona, juſtitiâ ſibi retentâ, miſericordiam matri conceſſit*: at hîc de Chriſto οὐδὲ γρῦ, qui hîc videtur officio mediatorio planè depulſus. Lect. 80.

Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, in Catalogum Sanctorum relatus à peſſimo Paparum Alexandro VI. teſte Bellarmino in Chronico; vel ut quibuſdam placet à Clemente VII. (ſpuriæ ſobolis Papa) annis poſt ejus mortem 54. (nam intervallo opus eſt ut quis credatur Deus) nec ea gratiâ gratus Paparum nationi, magnuſque eorum adulator, ut qui eam apotheoſim ſibi collatum iri non potuit divinare: hic inquam Antoninus penè Curt. l. 8.

3. parte ſum.tit.22. c.5. omnipotentem facit Papam *Poteſtas* (inquit Papæ) *major eſt omni poteſtate creata poſt poteſtatem Chriſti quadantenus ſe extendens, ad cæleſtia, terrena, & inferna, in quo comprobatur quod dictum eſt Pſalmo* 8. *Omnia pedibus illius ſubjeciſti; namque eſt vicarius Chriſti, quantum ad terreſtria, dictum enim oves & boves: quantum ad cæleſtia dicit aves; quantum ad inferna piſces.* Ibidem *non minor debetur* part 3. c.22.tit 22. c.5. S.4. *bonor Papæ quam Angelis, unde Papa recipit à fidelibus adorationes, proſtrationes, & oſcula pedum; quod non permiſit Angelis à Johanne Evangeliſta ſibi fieri.* Impié ab eo quod fit de facto, inferre jure id fieri debere. Ibidem affirmat *eandem ſubjectionem deberi à Principibus Chriſtianis ſummo ſacerdoti*, & vicario Chriſti, quam ipſi Chriſto.

part.3. ſum.tit 22. c 7. ſub finem. Verùm idem Antoninus qui Papam ad ſummum faſtigium extulit, mox ad tartara præcipitat, cum de eo dicit poſſe in hæreſim exemplo Liberii delabi, in Simoniam ut accidit Bonifacio IX. & favere hæreticis, ut fecit Anaſtaſius; & cum Sylveſtro II. Necromantiæ addictum eſſe; tum raptorem eſſe inſtar Benedicti, atque mollem eſſe, & luxu, luxuriâque diffluere, & rapi ad inferos, ut illi evenit. Alibi vult Papam non ſuccedere Petro, Sum.par. 2.tit.17. c.1.5 9. ſed Romulo in parricidiis ſuis, & meritò dici ſervum ſervorum, ut qui ſerviat ambitioni & avaritiæ. In vita Catharinæ Senenſis refert S. 13. ſolitam dicere, *in Romana curia ubi deberet eſſe paradiſus deliciarum inveniri fœtorem infernalium vitiorum:* non legerant hæcce loca

qui

2 h 6

qui prenſabant Romæ tanto ambitu ut Antoninus in Catalogum Sanctorum referretur: nempe hic Antoninus modò fulgore imperii Papalis perculſus, Papam aut potius larvam coruſcantem veneratus eſt, at mox larvâ detractâ deteſtatus eſt, monſtrum hominis ſub hoc involucro latens.

Sed utut fuerit, amicior aut inimicior Papæ, certum eſt in pluribus doctrinis quas nec nocere, nec prodeſſe putavit Papæ, eum concordare cum Proteſtantium placitis, ut in aſſerenda perfectione Sacræ Scripturæ & proponenda ea tanquam perfecta regula, cui nihil neceſſarium ad cognitionem ſalutarem addi poteſt. *Materia* (inquit) *conveniens ad Prædicationem eſt Scriptura Sancta. Deus enim niſi ſemel loquitur inquit,* Job 22, *Deus adeo copioſe loquitur in Sacra Scriptura ut ait Gregorius in moralibus, ut non opus ſit quicquam denuo dari neceſſarium, cum ibi omnia neceſſaria contineantur.* Idem Antoninus expungit ex Catalogo Sacrorum librorum illos qui ab Hebræis rejiciuntur. Idem omnibus Papalibus indulgentiis detrahit authoritatem, quando affirmat, nullâ authoritate niti nec Scripturarum, nec antiquorum codicum; ſed tantum neotericorum.

3. parte tit. 8. c. 3. ſum.

part. 3. tit. 18. c. 5. ſub finem.

parte 1. tit. 10. c. 10. in principio.

Cajetanus itidem flectit ſua dogmata ad compendium & dignitatem Papalis imperii, ſatis verus & orthodoxus in illis quæ exiſtimavit retineri poſſe ſine Papæ offensâ; Etenim tribuit Papæ ſummam poteſtatem, etiam

Apol. de comparat. author. Papæ & Concilii, parte 2. c. 12.

Digitized by Google

in temporalibus, verùm, ut excipit in ordine ad Spiritualia, in ſumma vult in ſolo pene Papa Eccleſiæ Catholicæ authoritatem reſide-
In 22. qu. 7. art. 10. re ejus verba ſunt: *Veriſſimum eſt authoritatem univerſalis Eccleſiæ principaliter & totaliter reſidere in Papa in determinando ea quæ ſunt de fide.*

Initio commentarii. Altrinſecus paria & multa dogmata habet cum Lutheranorum & Calvinianorum placitis, ut cum commentario in Geneſim judicium ſummum de controverſiis in Religionis negotio abjudicat à Patribus. *Nullus* (inquit) *deteſtetur novum Sacræ Scripturæ ſenſum, ex hoc quod diſſonat à priſcis doctoribus: non enim alligavit Deus expoſitionem Scripturarum priſcorum Doctorum ſenſibus:* nec ad Canonem vult pertinere libros Judit, Tobit & Macchabæorum. Neque locum Jacobi 5. aliter expo-
In fine hiſt. vet. Teſt. nit atque Proteſtantes, *de confeſſione Sacramentali hic non eſt ſermo, ut patet ex eo quod dicit confitemini invicem. Sacramentalis enim confeſſio, non fit invicem, ſed ſacerdotibus tantum, ſed de confeſſione quâ mutuò nos fatemur peccatores.*

In c. 6. ad Rom. v. 23. In doctrina de meritis operum, & de Juſtificatione per fidem ſolam, planè noſter eſt. *Non dicit quod ſtipendium juſtitiæ vita æterna, ut intelligamus, non ex noſtris meritis ſed ex gratuito Dei dono aſſequi nos pro fine vitam æternam: propter quod & ſubdit in Jeſu Chriſto Domino noſtro. Ecce meritum, Ecce juſtitia; nobis autem eſt donum ratione Jeſu Chriſti.*

Nec minus damnat quam Lutherus cultum

Digitized by Google

Divinum linguâ ignotâ populo celebratum. *Ex hac Pauli doctrina habetur quod melius eſt ad ædificationem Eccleſiæ orationes publicas quæ audienti populo dicuntur dici linguâ communi clericis & populo quam Latinè.* com.in 1. ad Corin. c.14.

Nec multum abſcedit à Proteſtantibus in dogmate Euchariſtiæ credendo cum illis converſionem panis in corpus Chriſti non extare in Scriptura Sacra, *alterum quod Evangelium non explicat expreſſe ab Eccleſia accepimus, ſcilicet converſionem panis in corpus Chriſti.* Quæ quidem clauſula expuncta fuit in Romana editione operum Cajetani. Verùm cum Biele ut vertiginoſo huic errori velificetur prætexit authoritatem Eccleſiæ: ſed mirum quod cum in multis à Lutheranis non diſceſſerit, tam turpiter erraverit & ceſpitaverit tantâ luce affulgente ſuo tempore, circa cultum imaginum *Imago Chriſti propriè loquendo eſt adoranda cultu latriæ.* to.3 qu.75. art.1. In notis

Alſonſus de Caſtro, modò ſuſtinet perſonam illius qui mancipio & nexu Papæ eſt addictus, & cujus vel ſtercora lingeret, ut ſerviat tempori. Nonnullibi enim aſtirmat, Principes non ſolum hæreticos, ſed & negligentes in extirpandis hæreticis à Papa regno debere ſpoliari, imo dominio privari qui tarditate ingenii impares ſunt ſuſtinendæ moli negotiorum: & ad exemplum adfert Innocentium & Zachariam, hunc Childericum regno, illum Othonem imperio exuentem: tantumque authoritatis ſoli Papæ tribuit, ut non dubitet falſam & ſuppoſititiam decretalem Anacleti lib.2. c.7. Juſt.hæret. punitione.

 præ-

præferre omnibus veris & genuinis Patrum ſcriptis. *Huic Anacleto* (inquit) *ſoli, magis crediderim, quam Hieronymo, Auguſtino, aut cuilibet recentiori.* Nempe ſuppoſititium Anacletum, ὑπεροχὴν Epiſcoporum in Presbyteros, & Papæ πρεσβεῖον in omnes Epiſcopos Eccleſiæ Catholicæ aſſerentem, anteponit Hieronymo & Auguſtino, paſtorum ἰσοτιμίαν & æqualitatem aſtruentibus, & juri humano aſcribentibus, quòd Epiſcopus alius ſit à Presbytero: hicque illi ſubjiciatur: at nequidem mentionem facientibus de illa ſuperioritate Epiſcopi Romani in omnes Eccleſias & Epiſcopos mundi.

ad hær. l. 5.

At idem Alphonſus quandoque una manu diruit quod alterâ ſtruxerat; dum pertendit Papam eſſe errori obnoxium, exemplo Liberii, Anaſtaſii & Celeſtini, hujus quidem in definitione ſua circa matrimonium inter duos fideles, in qua materia, inquit, non erravit ut privata perſona, quandoquidem pronunciatum ejus de hac re extet in antiquis decretalibus.

lib. 1. contra hæreſes c. 2.

Sed utut ſit, ſeu pro Papa, ſeu contra Papam, certum eſt eum multa protuliſſe ob quæ hodie Proteſtans hæreticis annumeratur; nam quandoque non videtur æquior Auguſtinus in doctrina de gratia. Palam agnoſcit cum Navarro & Roffenſi, aut nullam, aut exiguam fieri mentionem in ſcriptis antiquorum, purgatorii, indulgentiarum & converſionis panis in corpus Chriſti, licet affirmet hæreſim eſſe, de earum veritate dubitare poſt defini-

tionem

tionem à Concilio Tridentino factam, *Harum uſus*, (inquit de indulgentiis verba faciens) *videtur ſerò introductus.* Et, *de Tranſubſtantiatione in corpus Chriſti rara eſt in antiquis ſcriptoribus mentio.* Itane præcipuum Religionis Romanæ dogma nititur tam fluxo fundamento, ut demum à Concilio Tridentino plena ejus authoritas cœperit? Idem libro 10. verbo *meritum*, credidit nullum eſſe hominis meritum collatum ad gloriam æternam, & hanc Lutheri opinionem vindicat ab errore. Contra. hæreſ. l. 8. verbo *indulgent'a.*

Gregorius de Valentia & Stapleto concordibus animis & ſententiis modò loquuntur ut Papæ mancipia; modò ubi de Papa non cogitant, magnifica verba fundunt de Scriptura Sacra, deque interno teſte afficiente corda legentium: quem teſtem ſolenne eſt Pontificiis, imprimis Jeſuitis naſo ſuſpendere & explodere.

Primus prodeat Gregorius de Valentia Papæ patronus. *Pontifex ipſe Romanus eſt in quo authoritas illa reſidet quæ in Eccleſia extat ad Judicandum de omnibus controverſiis.* Paria effatur Stapleto, qui inſuper vult penes Papam, poteſtatem eſſe Principes ſolio ſuo deterbandi. Anal. fidei lib. 7. De Prim. ſub. Po. Eccl. qu. 5. art. 2.

Nunc hunc & illum audiamus, vindices Dei loquentis in Scripturis orſaque à ſe detexentes, quæ de Poteſtate Papæ & authoritate Eccleſiæ ſubinde inculcant, ac proinde totum Romanenſem apparatum, doctrinarum, traditionum, rituum & ceremoniarum earumque authoritatem ſubvertentes, niſi

Digitized by Google

ut fides & authoritas concilientur, tum hiſce humanis conſtitutionibus, tum ſacris codicibus perinde accedat apud unumquemque Spiritûs Sancti teſtimonium, ut quemadmodum perhibetur priuſquam Scripturæ fides apud unumquemque, idem ſit ſtatuendum de toto Romanenſi apparatu, Papa, Eccleſia, Religione hierarchia, doctrinis, ceremoniis, ut nullius ſint authoritatis apud quemquam, niſi dictante Spiritu Sancto, & fidem faciente unicuique Romanenſis communionis, Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, doctrinas illius eſſe Sanctas, Papam Romanum eſſe caput omnium Eccleſiarum, cui de neceſſitate ſalutis ſit adhærendum; tum Papales decretales, conſtitutiones, Clementinas, Extravagantes, ut ſunt Bonifacii VIII. θεῖόν τι & Sanctum ſpirare & occulté ſuggerere à Deo eſſe profectas: quem tamen internum teſtem Spiritûs Sancti, nondum à quoquam Romanenſium doctore requiri affirmatum eſt & neceſſarium eſſe, ut fides ſit apud unumquemque veritatis Romanæ, tum Eccleſiæ, tum Religionis, ſi quidem velint cæco judicio & ſine prævia cognitione, aut Scripturæ teſtimonium de ſe & de Eccleſia perhibentis, aut Spiritûs Sancti qui ſine Scriptura comite haud datur, credi Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, quæ ſané omnem rationem fugiunt; nam cum velint Eccleſiæ majorem eſſe authoritatem quam Scripturæ, non poteſt illa Eccleſia (quam volunt eſſe Romanam) apud quemquam habere plus authoritatis, niſi par

ſaltem

ſaltem & æquale perhibeat teſtimonium ſuæ veritatis & bonitatis, ac Scriptura Sacra exhibet, fatentibus Gregorio de Valentia & Stapletono, ut jam major debeat eſſe authoritas Sacræ Scripturæ, teſtimonium de ſe perhibentis & teſtantis apud internum hominem per Spiritum Sanctum quod Divintùs ſit protecta, quam Eccleſiæ, cui ut authoritas concilietur & vera Eccleſia eſſe credatur Romanenſes doctores non requirunt ejuſmodi Spiritûs Sancti teſtimonium.

Sic ergo loquitur Gregorius de Valentia. *Cum multa ſint in doctrina Chriſtiana: quæ ipſa per ſe fidem illi & authoritatem conciliare poſſint, tum mihi maximé illud videtur (ut à Clemente Alexandrino, Lactantio, & aliis obſervatum eſt) quod neſcio quâ admirabili, vi Divinâ prorſus animos hominum afficit, ad virtutem impellit; eſt ſcripta verbis ſimplicibus & caret fere artificio orationis & ornamentis: nihilominus ita vehementer lectoris mentem commovet, ut nulla alia doctrina: quod argumento eſt, illius authoritatem omnino eſſe Divinam, non humanam: hæc enim ſine verborum arte & orationis quaſi lenociniis, ad afficiendum animorum motum non valet.* Anal. fidei lib. 1. c. 15.

Idem alibi. *Et verò ipſe imprimis eſt, qui Chriſtianorum doctrinam, atque adeo Sacram Scripturam veram eſſe voce revelationis ſuæ, & interno quodam inſtinctu & impulſu humanis mentibus conteſtatur, atque perſuadet, ut in ea ipſa Scriptura multis locis eſt expreſſum, & præclaré à Proſpero Aquitano explicatur.* lib. 1. c. 1.

Stapleto

c.3. Stapleto eadem loquitur adverſus Witakerum, *Arcanum hoc Divini Spiritûs teſtimonium prorſus neceſſarium, ut quis Eccleſiæ teſtimonio & judicio circa Scripturarum approbationem credat.* An vult Stapleto hoc Spiritûs teſtimonium perhibentis Scripturam à Deo eſſe, procedere ab ipſa Scriptura, an vero ab Eccleſia? Non ab Eccleſia,quæ non niſi per Scripturam cognoſcitur, & cujus nudum eſt teſtimonium; & quod non comitem habet Spiritum Sanctum, perhibentem Scripturam à Deo eſſe profectam: nam ſi hoc eſſet, ponendum etiam eſſet, ſine auditione, aut lectione Scripturæ, Spiritum Sanctum, per organum Eccleſiæ perhibere & imprimere teſtimonium, apud internum hominem de Divinitate & mirabilibus Scripturæ: quæ quidem ſunt nugæ canoræ: ut jam ſi quæ authoritas conciliatur & Sacræ Scripturæ & Eccleſiæ, illam primò Spiritus Sanctus conciliare debeat, Scripturæ apud internum hominem: deinde apud eundem, Scriptura, eam creare Eccleſiæ debeat, non verò inverſo ordine.

Poſſem ad Epimetrum allegare Melchiorem Canum, non minus mancipium Papæ, adeóque ſua dogmata inflectentem ad Papalis imperii incrementum; ſed in eo tantum authoritatis Sacræ Scripturæ conciliantem; quantum eatenus de ſuæ Eccleſiæ authoritate detrahit. Is poſtquam plurima in medium attulit argumenta quibus authoritas Sacræ Scripturæ accreſcit, ſubjicit, neceſſarium eſſe, ut inſuper cauſa efficiens ad credendum impellens

pellens

pellens accedat, nempe *Divinum quoddam lumen incitans ad credendum*, *interius lumen infuſum à Spiritu Sancto*. Loc. theo. loc. lib. 2. c. 8. ad. 14. a'g. 3. *jam ſi hoc.*

Poſſem comparem afferre non minus ad nutum Papæ factum, utpote Jeſuitam, Johannem Menochium in ſuis Inſtitutionibus Politicis, ubi pluribus verbis, & grandibus elogiis, non tantum lumen illud Scripturæ laudat, ſed & ipſam Scripturam latiſſimâ prædicatione proſequitur: affirmans quod nullum ſit ſapientiæ genus (verba ejus ſunt) quod à Divina Scriptura lumen non accipiat; quæ eſt lucerna lucens in loco caliginoſo, quæ hominem perfectum & omnibus numeris abſolutum reddit; ut nihil illorum deſit quibus opus habet: Denique quæ omnibus ſuis partibus ita conſtat ut *nihil* in illa deſideretur aut redundet. lib. 1. c. 1. p. 13.

Atque hæc prolata à tribus Jeſuitis & Melchiore Cano, ut probé concordant cum Proteſtantium placitis, ita pugnant nec ſtare poſſunt, cum dogmatibus receptis ab iſtis Jeſuitis & Cano de authoritate Eccleſiæ Romanæ, collatæ ad authoritatem Scripturæ; tum de primatu Papæ & doctrinis Romanenſibus, quarum non eſt alia authoritas, quam quæ illis accreſcit ab authoritate iſtius Eccleſiæ; cui tamen Sacra Scriptura nullam conciliat authoritatem; ut nec illa Eccleſia Scripturæ: Siquidem hæc ſuo lumine eoque interno; illa nullo niſi externo ſplendeat & luceat.

Cæterum non poteſt Scriptura eſſe ut vult Menochius Jeſuita ſumma, certa & ſola regu-

la

la fidei: nec de ejus veritate certitudine & ſufficientia, ut loquuntur, cuique reddi teſtimonium poteſt à Spiritu Sancto, quin concidat tota authoritas Papæ, &c, tum Eccleſiæ Romanæ, tum omnium doctrinarum Romanenſium & traditionum, quæ ſub umbra iſtius Eccleſiæ conquieſcunt, niſi ſupponatur poſſe & debere aliud teſtimonum, internum accedere, quod cuique dictitet Scripturam ſacram non eſſe locupletem teſtem, credendorum, ſed inſuper credendum eſſe Juſſis Papæ & Eccleſiæ Romanæ, cujus major ſit authoritas quam Scripturæ: at planè contrarium fit, uſurpatur & præſupponi debet, ſi creditur iſtis Jeſuitis: nam ſi quod Scripturam legentibus teſtimonium perhibet Spiritus Sanctus, illud eſt, quod aiunt illi Jeſuitæ (quibus concinunt Proteſtantes) nempe illam perfectam eſſe regulam credendorum & agendorum, nec quicquam in ea deſiderari, aut redundare, ac proinde nec Eccleſiam Romanam, nec traditiones Romanenſes, non Concilium Tridentinum, non Papam quicquam poſſe ad Scripturam adjicere luminis, authoritatis & materiæ credendorum, quibus illa careat: In ſumma aut oportet ſit majus teſtimonium Spiritus Sancti perhibentis authoritatem Eccleſiæ Romanæ eſſe majorem quam Scripturæ; aut ſoli Scripturæ ſtandum eſt, ut certæ regulæ fidei.

Quocirca licet impius & blaſphemus ſit in ſummo gradu, ſermo Andradii, Pighii, & Bellarmini; qui tantum elevant & deprimunt

Sacræ

Sacræ Scripturæ authoritatem, & naſo ſuſpendunt teſtimonium illud Spiritus Sancti, quantum à Valentia & Stapletone tolluntur; attamen optimé concordat cum Hypotheſibus Romanenſibus de authoritate Papæ & Eccleſiæ & traditionum in comparatione ad Scripturam.

Sed quantum iſti blaſphemi & ſubſannatores Divinorum oraculorum & quam longè abeant à Valentia & cæteris juvat audire, & ſimul mirari viros ejuſdem aut Societatis aut Communionis & ſub eodem Papa in eo quod pene caput eſt totius Religionis, ſaltem cardo eſt circa quem verſatur, tantum à ſe invicem diſcrepare, quantum Turca à Proteſtante, licet (quæ eſt vis communis utilitatis quæ etiam inſenſos uno vinculo jungit) uni imperio & Papæ, unique commodo ſerviant. Sic ergo Albertus Pighius, *Sunt Scripturæ ſacræ velut quidam naſus cereus qui horſum & illorſum trahi & retrahi, fingi facile permittit.* Andradius, *Nihil quicquam Divinitatis ineſt Scripturæ, quæ nos ad credendum, quæ in illis continentur, Religione aliquâ conſtringat ſed Eccleſiæ tanta vis eſt & amplitudo, &c.* Hierar. l. 3. c. 3. Defenſ. fidei Trid. l. 2 p. 257.

Sed quod magis mirum eſt, idem homo, ut Valentia, aut Stapleto longiſſimè à ſe ipſo abit & diſſidet: illius verba ſunt quæ faciunt titulum libri ſeptimi analyſeos fidei. *Pontifex ipſe Romanus eſt in quo authoritas illa reſidet quæ in Eccleſia extat ad judicandum de omnibus fidei controverſiis*, & lib. 4. cap. 2. pluribus probare conatur Scripturam [illegible] regulam

lib. 2. de authorit. Scrip. c. 11. & l. 1. c. 10.

lam imperfectam & obſcuram. Eadem ſæpe inculcat Stapleto, vultque Eccleſiam potius eſſe regulam Scripturæ quam Scripturam Eccleſiæ, nec Deo, nec Scripturæ niſi propter Eccleſiam credendum eſſe. In Valentia tamen lego orthodoxum dogma; nam pluribus probat quod exigere ſatisfactionem extra ſatisfactionem Chriſti idem ſit ac requirere ſolutionem ſoluti debiti, *abſque noſtra ſatisfactione potuiſſet ſola Chriſti ſatisfactio ſatisfacere.*

lib. 15. de ſatisf. c. 3. S. *hoc tamen.*

loc. Theol. lib. 5. c. 5.

Cæterum Melchior Canus licet uſque adeo mancipium Papæ ut nolit revocari in dubium ſanctitatem cujuſquam quem Papa intulerit in numerum Sanctorum, attamen in multis eſt orthodoxus, ut cum contra ſenſum turbæ Doctorum Romanenſium vult ut tandem ſoli & ultimo Sacræ Scripturæ judicio ſtetur ad cognitionem veritatis. *Nec ſi nobis Eccleſia, aditum præbet ad ejuſmodi Sacros libros cognoſcendos, protinus ibi acquieſcendum eſt, ſed ultra oportet progredi & ſola Dei authoritate niti.* Sed in eo pugnat ſecum quod cum velit cæco judicio pro Sanctis haberi & coli quos tales Papa eſſe pronunciaverit, velit tamen pleraque eſſe fidei dubiæ quæ Romanenſes de Sanctis ſcripſerunt: ſic enim de illis conqueritur lib. 11. loc. com. cap. 6. *Dolenter dico potius quam contumelioſè multo honeſtius à Laertio vitas Philoſophorum ſcriptas quam à Chriſtianis vitas Sanctorum:* nam ipſe Sanctus erit ſuſpectus illi, cui Sancti vita eſt dubiæ fidei.

De Vaſque nonnulla dicam: is licet incoctus

ctus Papiſmo, utpote Jeſuita, & qui in Papæ verba juraverat, in illis quæ faciebant ad dignitatem & ſtabilimen Papalis imperii tantum poteſtatis Papæ aſcribens, ut eam æquet poteſtati Apoſtolorum in ferendis præceptis & legibus: attamen non alius unquam purior & ſanior fuit, atque Vaſques in dogmatibus, de Juſtificatione, de meritis operum & de certitudine ſalutis: licet quandoque, videatur juſtitiæ inhærentis rigidiſſimus aſſertor, ut quando ait bona opera renatorum eſſe vitâ æternâ condigna, etiam ſecluſa Dei promiſſione, & ex ſe abſque Dei pacto parem ad eam valorem & dignitatem habere. Nemini pariet tadium, audire ejus verba orthodoxa hæcce imprimis.

Quamvis operibus juſtorum Divina promiſſio acceſſerit, eam tamen, aut ullum, aliud in 1.2.
" pactum, aut favorem ad rationem ullam tom.2.
" meriti nullo modo pertinere, operibus ju- Diſp.214.
" ſtorum nulla acceſſio provenit ex meritis
" Chriſti —— & opera noſtra quatenus aſper-
" ſa ſunt ſanguine Chriſti digna ſunt tanto
" præmio, intelligendum eſt dici non ratio-
" ne favoris & imputationis meritorum Chri-
" ſti quæ accedat operibus ex gratia factis.
" Sed antequam fiant opera datur nobis per
" Chriſtum gratia ad bené operandum.

De certitudine ſalutis quam alii derident ſic loquitur, *quilibet credere debet fide Divina, eam fidem quâ credit Divina myſteria, eſſe ex dono gratiæ per fidem.* in 1.2.to 2. Diſp.201. c.2.

Idem ibidem capite 9. diſp. 200. *Concludamus*

damus igitur poſſe quidem juſtum certum eſſe de ſua gratia, certitudine ſumpta pro determinato & vero aſſenſu.

Idem ibid. omne pretium operæ detrahit ante converſionem, *pluſquam Paulus conceſſit talia opera, neque ideo ea excluſit à noſtra juſtificatione, quia nullius efficacitatis apud Deum ſunt, ut vel per ſe juſtificent aut impetrent juſtificationem.*

De pœn. art. 1. qu. 6o. Idem negat probari ex capite 5. Jacobi *præceptum confeſſionis quia multi interpretantur de confeſſione quæ invicem fieri debet inter fratres ut corrigantur.*

Quod Balzacius ad Cardinalem Richelium dicebat illum eſſe animæ ſuæ æternum objectum, uſurpari poteſt de Alberto Pighio & Papa, ut hic fuerit æternum objectum illius: neque enim puto alium Deum coluiſſe præter Papam.

lib. 4. Hierarch. c. 8. Is præter quam quod contumeliis proſcindit ſacros codices ut modò vidimus, ait neminem cenſendum hæreticum, cujus ſenſa pugnant cum Scriptura, ſed qui non credit Papæ aut Eccleſiæ, & ideo pertendebat Papam à nemine judicari aut deponi poſſe, cæterùm in ſolo Papa reſidere omnem authoritatem Eccleſiæ & Conciliorum, quæ ideo dicebat eſſe Hier. l. 6. c. 3. inſtitutionis humanæ. *Concilia univerſalia non habent Divinam aut ſupernaturalem originem.* Quæ, licet forſan vera; proferebat ad Papæ compendium ut nemo deinceps hæreret an Papa Concilio, an hoc ſit Papæ præponendum; non verò eâ mente, ut faveret Lutheranis.

Digitized by Google

nis. Nam nec hic, nec alii, negabant ullam dari in Eccleſia προστασίαν jure Divino præter quam Papæ; niſi eâ gratiâ, ut omnem poteſtatem, non Chriſto, ſed Papæ ſubjiceret: hanc inquam προστασίαν non negabant Pighiani, ut ἰσοτιμίαν paſtorum introducerent in Eccleſiam, ſed ne quis Epiſcopus ſe ſupparem Papæ vendicaret, uſque adeo veri & falſi breve eſt confinium: Nam Pighius eâdem gratiâ nolebat Eccleſiam Catholicam ſibi in cognomentum aſſumere Romanam; *quod per Romanam Eccleſiam nemo unquam intellexerit univerſalem niſi forté Latini ſermonis ignarus?* Id quidem Proteſtantes perinde reprehendunt ſed diſpari conſilio: nam rident, tum particularem Eccleſiam, ut eſt Romana ſe Catholicam vocare, tum Eccleſiam Catholicam ſibi aſciſcere nomen particularis Eccleſiæ: at Pighius cæteris naſutior Romanam appellationem culpat ut tantò altius Papam tollat, nec à quoquam Papa accipiatur pro Epiſcopo urbis ſeu particularis Eccleſiæ.

At qui nihil niſi Papam crepuit, habuit aliqua lucida intervalla, inter quæ de Papa non cogitavit; ut cum tantum efficaciæ & virtutis tribuit ſatisfactioni, quam Dominus Jeſus meruit pro nobis ut nihil in ſalutis negotio Juſtitiæ inhærenti aſcribat: id quidem luculenter facit tractatu de fide & juſtificatione, in quo diſerté & expreſſé ponit differentiam inter inhærentem & imputativam juſtitiam, quæ ſolâ remiſſione peccatorum conſtat. 2. contro-ver. p. 59.

Cornelius Mus adeo perculſus erat fulgore

& pompá imperii Papalis, ut omnes retro Papas Patreſque ſuperis additos, eorum authoritatem & ſcripta, tum totum Synodorum & Canonum complexum, & codicem, ipſaſque decretales, Paparumque omnium decreta, nihili aut parvi faceret in his quæ ſpectant myſteria fidei, ſed uni & ſoli Papæ, viventi & loquenti crederet, ejuſque judicio ſtaret, imo comprehendi vellet Eccleſiam Catholicam, *Ego ut ingenuè fatear plus uni ſummo Pontifici crediderim in iis quæ fidei myſteria tangunt quam mille Auguſtinis, Gregoriis, &c. Ipſe eſt* (de Papa loquitur) *in cujus Dominio cuncta ſunt poſita & non eſt qui ſuæ reſiſtere poſſit voluntati.*

In 14. ad Rom.

In 13. ad Rom. p. 571.

Is tamen ad exemplum Pighii non caret lucidis intervallis, ut cum invehitur in eos qui relictâ Sacrâ Scripturâ totos ſe tradunt Theologiæ Thomiſtarum, Scotiſtarum, Occaniſtarum & Baconiſtarum & ejuſmodi ſenticetis ac cautibus, & placitis, haud abſimilibus aſtacis, ſeu cancris fluviatilibus, in quibus plus eſt quod extrices, quam quod edas, ut rectè notat Ludovicus de Volzogen in oratione inaugurali longè erudita. Nec alienus erat Mus à dogmatibus quæ placuerunt Cajetano circa Juſtificationem per fidem & merita. Credebat cadere poſſe in Juſtificatum, ut certus foret de ſua ſalute, quin ſi eam ſpe & animo præſumpſerit eo nomine gloriari debere. " Habet ergo ſpem & gloriatur in hac ſpe, " quam habet: cum ſecuritate omnino ad il- " lam gloriam perveniendi; in hac enim glo- " riatione,

c. 5. ad Ro. p. 479.

p. 23.

In Ro. 8.

Digitized by Google

" ratione ut ita dixerim, in hac Sancta ſuperbia,
" propter ſpem cæleſtis felicitatis, oſtenditur,
" quod qui Juſtificatus eſt, non hæſitat utrum
" ſit beandus vel non, ſed firmiſſimè tenet ſe
" Divino munere ſolvendum eſſe.

Quandoque ſui oblitus, Papam, curiamque Romanenſem odioſè exagitat, ut cum in Concilio Tridentino, agnovit eſſe turpitudinum monſtra in Eccleſia Romana; ipſumque Romanenſem clerum vult degeneràſſe à fide ad Infidelitatem, à Chriſto ad Antichriſtum; impiam eſſe gentem dicentem in corde & ore impudico, *Non eſt Deus*, & ne unum Paſtorem reperiri qui ſapiat & quærat quæ ſunt Domini Jeſu.

Becanus Jeſuita Papiſmo incoctus & qui niſi Papam ſpirat quandoque eadem loquitur quæ Proteſtantes, ut in relatione operum ad vitam æternam. *Meritum hominis juſti coram Deo non eſt ex rigore juſtitiæ, ratio eſt quia rigor juſtitiæ requiret talem contractum, ut inter contrahentes nulla intercedat gratia & liberalitas, in qua meritum fundetur: hoc autem non fit inter Deum & hominem, quia totum meritum hominis fundatur in gratia & liberalitate Dei, præſertim in gratia juſtificante, quæ illi gratis datur, &c.* addit *noſtra merita eſſe Dei dona*; quæ quidem non concordant cum illis quæ paulò poſt dicit num. 11. *opera hominis juſti & exiſtentis in ſtatu gratiæ per ſe digna ſunt & proportionem habent cum vita æterna, quia procedunt ex gratia quæ eſt ſemen gloriæ.*

Theol. Schol. to. 2. tra. 4. c. 5. qu. 8.

Digitized by Google

Nec abit Becanus à ſententia Proteſtantium in affirmando, haſce duas propoſitiones, quibus totus Papiſmus nititur, 1. *Petrum fuiſſe vicarium Chriſti, tum caput, Paſtorem & rectorem totius Eccleſiæ.* 2. *Papam in ea poteſtate & in eo munere ſucceſſiſſe Petro*, nullibi in Sacra Scriptura extare: quanquam diſpari conſilio, hi ut rejiciant tanquam figmentum humanum quicquid in Scriptura non reperitur: ille ut traditionem ſuam æquet authoritate Sacræ Scripturæ, in qua tamen traditione, nequidem illæ duæ propoſitiones inveniuntur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Bellarminum in ſuis ſcriptis quamdiu de Papa non cogitavit adeoque perculſus fuit pompâ, fulgore & divitiis imperii Papalis pleraque ſua dogmata, Sermones & dicta inflexiſſe ad ejus Firmamentum: ac proinde ſæpius impia & blaſphema protuliſſe: at quandoque oblitum, aut Papæ, aut purpuræ ſuæ multa cum hiſce pugnantia inſperſiſſe ſcriptis ſuis, quæ pia ſunt, ſana & orthodoxa.

DEbeo ſoli Bellarmino caput ſeparatum. Proculdio fuit amans veritatis, nec perinde malignus atque Valentia, Vaſquez, Becanus & Maldonatus, ut qui bona fide ut plurimum, adverſariorum ſuorum argumenta allegat: quæ cauſa eſt cur vi veritatis conſtrictus, quandoque eadem quæ Lutherus aut Calvinus loquatur, Sana, pia & orthodoxa: ſed ſæpius à vero abductus, à dignitate purpuræ ſuæ, tum pompâ, divitiis Papalis imperii & commodis mundanis circumcingentibus, impia & profana profert: ſaltem malé concordantia eum veris ab eo dictis, ut ex ſequentibus patebit.

Namque qui profitetur ſe dogmata de gratia libero arbitrio quæ Molinæ placuerunt arripere, videtur nonnunquam, quædam ſuis ſcriptis aſpergere quæ contrarium ſapiunt, nempe *voluntatem hominis non eſſe liberam ut ve-* lib.6. de gratia & libero arbitrio.

lit quicquam ſalutare abſque auxilio Dei, nec in rebus quæ pietatem & ſalutem attinent poſſe ſine ope gratiæ Divinæ.

lib. 5. de Juſtificat. c. 5. Et qui multum ſudavit in aſtruendis meritis operibuſque ex condigno ut etiam debeatur merces ex rigore juſtitiæ, *Deus* (inquit,) *conſtituit abſolutam æqualitatem inter opera & mercedem, ut unuſquiſque non minorem habeat mercedem quam juſto Dei judicio mereatur, quod* c. 17. S. & jam verò. *eſt juſtitiæ commutativæ —— Jam verò in bono opere ex gratia præcedente eſt quædam proportio & æqualitas ad præmium vitæ æternæ*, qui inquam opera ſtatuit æquipollentia præmio, lib. 5. c. 17. S. 3. in hæc erumpit, *propter incertitudinem propriæ juſtitiæ & periculum inanis gloriæ, tutiſſimum eſt noſtram fiduciam collocare in meritis & favore Dei.* Idem ibidem, *non eſt abſurdum ſi quis dicat nobis imputari Chriſti juſtitiam & merita. Cum nobis donentur & applicentur, ac ſi nos ipſi ſatisfeciſſemus.* Et Thel. Theol. de bonorum opera relatione, &c. Theſ. 38. præſtantiſſimus Theologus Ludovicus le Blanc ait eam eſſe ſententiam Bellarmini, bonis operibus vitam æternam non deberi, niſi ex gratuita & miſericordi Dei promiſſione; Et præterea Chriſtum immediaté nobis meruiſſe non ſolum gratiam bene operandi, ſed ipſam vitam æternam nobis ut filiis donandam.

Idem qui pluribus locis naſo ſuſpendit certitudinem fidei teſtemque internum quem Proteſtantes ajunt perhiberi à Spiritu Sancto in cordibus fidelium legentium Scripturam Sacram, quique dicit, *ſolutionem & promiſſionem de remittendis peccatis iis qui confiten-*

tur peccata ſua, non videri extare in Divinis literis, mox in contrarias oras verſus, non minus quam Auguſtinus aut Calvinus huic interno teſtimonio ſplendidum reddit elogium: nam ubi in hanc rem allegavit Auguſtinum in confeſſionibus, *intus utique mihi in domicilio cogitationis, nec Hebraica, nec Græca, nec Latina, nec Barbara, varietas ſine linguæ organis, ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret verum dicit.* Subjicit, *hoc igitur eſt lumen fidei auditores quo intus & in domicilio cordis dicitur nobis, ita eſt nihil hæſites.* lib. 3. de pœn. c. 4.

Idem qui mille in locis Scripturam Sacram omni authoritate exuit, & imperfectam dicit eſſe regulam, nec neceſſariam abſque comitibus traditionibus, quique vult non eſſe regulam fidei, ſed tantum commonitorium utile (*demonſtrare conabimur Scripturam ſine traditionibus nec fuiſſe ſimpliciter neceſſariam, nec ſufficientem, &c. Scripturæ finem proprium & præcipuum non fuiſſe ut eſſet regula fidei, ſed ut eſſet aliquod utile commonitorium*) non uno loco Scripturæ perfectionem tam illuſtribus verbis aſtruit quam aut Auguſtinus aut Calvinus. lib. 3. de verbo Dei. c 9. lib 4. c. 12.

"Scripturis Sacris quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſt notius; nihil eſt certius, ut ſtultiſſimus eſſe neceſſe ſit qui illis fidem habendam neget. Notiſſimas eſſe teſtis eſt orbis Chriſtianus & conſenſio omnium gentium, apud quas multis jam ſeculis authoritatem obtinuerunt: certiſſimas autem & veriſſimas eſſe, nec hu- Lib. 1. de verbo Dei c. 11.

Digitized by Google

“ mana inventa ſed Divina oracula , teſtis eſt
“ 1. Veritas vaticiniorum. 2. Incredibili
“ quædam & plané Divina conſpiratio atque
“ concordia tot virorum diverſis locis , tem-
“ poribus & linguis. 3. Deus ipſe qui ali-
“ quando cæleſti animadverſione Scripturam
“ hanc ſuam , ab humana profanatione de-
“ fendit. 4. Scriptura ipſa, cujus ſi veræ fue-
“ runt prædictiones rerum futurarum , ut
“ eventus poſtea comprobavit , cur vera non
“ ſint rerum præſentium teſtimonia ? Poſtre-
“ mò teſtis eſt infinitus numerus miraculo-
“ rum.

Unde infert concluſionem cedro dignam “ *quare Sacra Scriptura regula eſt credendi certiſſima & tutiſſima.*

Bone Deus quantum diſcrepat Sancta hæc Bellarmini oratio ab illa quæ legitur lib. 4. de verbo Dei cap. 3. *Etiam ſi Scriptura dicat libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe Divinos , tamen non credam niſi prius id credidero Scripturam quæ hæc dicit eſſe Divinam , nam in Alcorano Mahumedis paſſim legitur ipſum Alcoranum de cælo & à Deo miſſum : & tamen ei non credimus.*

Idem qui fatetur altum eſſe ſilentium ſucceſſionis Papæ in primatum Petri, nec plùs eſſe juris Divini , quam Paulum habuiſſe penulam , de qua tamen fit mentio in Scriptura Sacra , at de ſucceſſione illa ne γρῦ quidem : mox vult totam Religionem : imo ſummam rei Chriſtianæ in hac arena fundari, nempe *Papam eſſe ſucceſſorem Petri in regi-*

mine ipſi concredito univerſalis Eccleſiæ.

" Obſervandum eſt licet non ſit forté de " jure Divino Romanum Pontificem Petro " ſuccedere, tamen id ad fidem Catholicam " pertinere, non enim eſt idem aliquid eſſe " de fide & eſſe de jure Divino, nec enim de " jure Divino fuit ut Paulus haberet penulam, " eſt tamen hoc ipſum de fide Paulum habuiſ- " ſe penulam: Et ſi autem Romanum Ponti- " ficem ſuccedere Petro non habeatur expreſ- " ſé in Scripturis, &c. —— Etenim de qua re " agitur, breviſſimé dicam de ſumma rei Chri- " ſtianæ, id enim quæritur debeatne Eccleſia " diutius conſiſtere, an veró diſſolvi ac con- " cidere? quid enim eſt aliud quam quærere " an oporteat ab ædificio fundamentum re- " movere?

lib. 2. c. 12. de Ro. Pontifice.

Præf. in libros de Romano Pontif.

Bone Deus Itane fundamentum totius Religionis Chriſtianæ erit fluxum & in aere pendulum, & cujus ut agnoſcit nulla eſt expreſſa mentio in ſacris codicibus: nec his congruunt quæ ſubinde reponit de clavibus non ſoli Petro datis, de poteſtate Petri communicata cum cæteris Apoſtolis, de æqualitate Petri & Pauli, & æquo Jure hujus & illius in Epiſcopatu Romano; tum Pauli majoribus meritis in Eccleſiam.

lib. 1. de Ro. Pont. c. 12. S. 5. & 48.

Ibid. c. S. 15.

Sané Hypotheſes Bellarmini ducunt ad atheiſmum: Ecce enim authoritas Sacræ Scripturæ, adeoque dogmatum longé graviſſimorum de lege Dei, de redemptione noſtra per Chriſtum fundata in authoritate Eccleſiæ, & hæc in authoritate Papæ & hujus authoritas

in

Digitized by Google

in ejus ſucceſſione in Primatum Petri, quam ſucceſſionem fatetur non eſſe de jure Divino licet ſit de fide, nec expreſſé haberi in Sacra Scriptura: ſic quod abſurditatem omnem ſuperat: textura & compages Papiſmi pendet ab una traditione omnium ineptiſſima, fabuloſa, atque teſtimonio Divino deſtituta. Ita ergo hæc ſe habent, ac ſi aſſeri fluctuanti inſideat multitudo muſcarum; aut ſi de araneæ filo chimeræ ſexcentæ dependeant, quæ ſolâ venti umbrâ difflantur.

Sed de ejuſmodi Chimericis traditionibus ſermo fit, & volumina immenſa ſcribuntur ut fucus fiat populis Communionis Romanæ, & diſtineantur Proteſtantes ab incœpto invadendi arcem & Jugulum Cauſæ, nempe imperium Papæ, divitiis, robore, ſpeciè & uſu mundano magnificum, cujus poſſeſſio jam per plura ſecula ſi fides Papæ Paulo III. longé validum, præcipuum, imo unicum eſt argumentum, quo jus, cauſa & Religio Papæ probantur Regibus, principibus & populis, quodque fucatum ſpecioſis vocabuli *Eccleſiæ, Sanctitatis, Eccleſiaſtici Spiritualis*, tantò acceptius & ſpecioſius ſe præbet illis, qui aut decipiunt aut volunt decipi. Redeo ad Bellarminum.

Idem qui affirmat Papam poſſe in hæreſim incidere, deficere à fide, judicari ab Eccleſia, poſſe ejus ſedem aliò transferri ſine juris Divini violatione aut traditionis: qui agnoſcit

lib.4. de Pont. Ro. c.2. *S. ad ſecundum* & lib.2. c.3. S. *eſt ergo* & lib 5. cap. 2, 3, 4, & 5. & lib. 1. de Ro. Pont. c. 9. S. at *Papa ſolus*, & [illegible]

Papam

Papam non eſſe Dominum totius mundi : nonnumquam omnes Imperatores Reges & Principes mancipat Papæ imperio, ab eo deponendos ſi cauſa ſubeſt, dicit Papam etiam ſecluſo Chriſto eſſe caput Eccleſiæ, ejus eſſe omnes judicare, cum dictum fuerit *Dic Eccleſiæ* ideſt *Papæ ipſi* cæterum *ἀναμάρτητον* eſſe vel ſolum vel cum Concilio duntaxat particulari junctum : quod *ſi Papa prohiberet virtutes. juberet vitia, unumquemque teneri credere vitia eſſe bona, virtutes verò malas eſſe, niſi vellet contra conſcientiam peccare.* Et cum Papa ſit ſupra Concilium, omnem ſtabilitatem Concilii accreſcere à Papa, nec per conjunctionem Concilii cum Papa effici, ut hujus decreta, facta, dicta, plus habeant authoritatis, *tota* inquit *firmitas legitimorum Conciliorum, eſt à Pontifice, non partim à Pontifice partim à Concilio.*

lib.2. de Concil. c.19. l.4. c.2.3. & 4.5. *ultimo* l.4. c.3. S. *tertio probatur.*

lib.4. de Ro. Pont. c.3.

Imprimis multus eſt Bellarminus ut aſtruat imperium rectum, directum & abſolutum Papæ in vitas, negotia & dominia Imperatorum & Regum; vult ab illis deberi præſtationem fidei & homagii, quod eſt clientum : in poteſtate eſſe Papæ Reges deponere, alios in eorum locum ſufficere, quod factum vult à Zacharia in perſona Childerici & Pipini, hoc illi ſubſtituto, & à Leone III. transferente imperium à græcis ad Romanos. Cæterum à temporibus Caroli Magni Germanos Imperatores ſuum imperium debere Papæ, à quo eximantur clerici ab imperio laicorum, hancque exemptionem & immunitatem benefi-

l.2.c.26. de Pont. Ro. & l.1. c.5 & contra Barclaium.

cium Paparum eſſe non Regum; nec Apoſtolos fuiſſe Poteſtatum ſecularium ſubditos. ibid. cap.27. fuſe probat datam à Chriſto poteſtatem ſtatuendi de Regibus & eorum regnis ad libitum.

Porrò victimas Reges ſiſtit Papæ ad libitum mactandos, ut cum factum Clementis Monachi ſic laudat. *Ultus eſt Deus Chriſtum ſuum, dum per alium Sacratum virum, alioqui militiæ imperitum & inermem Regem eundem non ſine manifeſto Divinæ providentiæ Miraculo interfecit.* Hæc habet in libro qui prodiit ſub nomine Matthæi Torti. Idem libro in Barclaium de cædibus Regum à Papa imperatis juſta ſententiâ diſſerit, ut alter Mariana.

p.84.85.

Et qui Patrum authoritatem longâ proſequitur prædicatione & judices ſtatuit controverſiarum, non nunquam hoc judicium ab eis abjudicat & inficiatur habendos pro regula fidei aut quemquam teneri illis adhærere. *Scripta Patrum non ſunt regula, nec habent authoritatem obligandi.* Cum Ambroſius vellet Baptiſmum in ſolo nomine Jeſu validum eſſe dicit, *hæc opinio falſa eſt meo judicio.* Cumque Chryſoſtomus affirmaret ſatius eſſe abeſſe à celebratione Euchariſtiæ, quam præſens eſſe, nec tamen Communicare ait, *dico Chryſoſtomum ut quædam alia per exceſſum, ita locutum fuiſſe*, nec reveretur magis Auguſtinum ejuſque judicium, *reſpondeo Auguſtinum non expendiſſe hunc locum diligenter.*

lib. 2. de Conc. c. 12. — lib. 4. de Pont. c. 12. — lib. 1. de Miſſa. c. 10. — lib. 1. de Euchar. c. 11.

Idem qui fatetur in Chronico nullum extare veſtigium cultûs imaginum in toto veteri in-

inſtrumento & Hebræos ſemper fuiſſe Iconomachos, ſub novo deſipit pluſquam infans circa Pupas Papales, *Imagines Chriſti & Sanctorum venerandæ ſunt, non ſolum per accidens & impropriè, ſed etiam propriè & per ſe, ita ut ipſæ terminent venerationem, ut in ſe conſiderantur & non ſolum ut vicem gerunt exemplaris.* lib. de Imag.c.21.

CAPUT IX.

Ejuſdem Culpæ eſſe affines Doctôres Romanenſes recentioris & temporis & notæ.

POſſem mantiſſæ loco ad teſtimonium citare Doctores Romanenſes, non diverſos homines, ſed eoſdem diverſa, pugnantia & contraria dogmata proferentes, una quidem quibus imperium Papale aſtruunt & extruunt, altera quibus evertunt, modò enim aut deliniti ſacerdotiis, Canonicatibus & Epiſcopatibus qui Paparum adoratoribus accedunt, aut excæcati pompâ, fulgore & divitiis, imperii Papalis, totis viribus id ædificant; modò in contrarias oras delati, an bono animo & conſilio ſe alioſque errore exolvendi, an verò occulto livore & odio, ut eſt Janſeniſtarum in Moliniſtas imperii Papalis acerrimos defenſores, illud ideo à fundamento convellunt, quia cenſent per id aliis ægré eſſe?

Exemplo ſunt quatuor Epiſcopi, (quibus ſi ſe quartum adjunxiſſet Godellus minus de

ſua

ſua priſtina celebritate delibaſſet) in Epiſtola ſua circulatoria: ſunt & Janſeniſtæ & tota Schola ſorboniſtarum in ſua cenſura Johannis de Vernant, ex quo armamentario depromas arma, tum quæ vitam Papæ eripiunt; tum quæ omnem ab eo noxam arcent.

p.272. Cum enim ſacra facultas (ut ſe vocat) palam profiteatur ſe nolle quicquam derogare primatui Pontificis Romani Divinitus ut volunt inſtituto, nec de conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. quibus affirmant & defendunt, ſaltem præſupponunt de jure Divino Epiſcopatum Papæ univerſalem & principatum in omnes Chriſtianos cujuſcunque ordinis, detrahere.

Cumque eadem ſacra facultas non nullibi reponat ut ſuas, ſibique adoptet propoſitiones Bonifacii VIII. quæ affirmant omnem creaturam de neceſſitate ſalutis ſubjici Papæ & approbet articulos contra Lutherum ſuperiori ſeculo ſtrictos, qui eadem clamant.

Cum inquam, facultas eatenus ſit vindex acerrima poteſtatis Papalis; attamen ejus Doctores toto ſuæ cenſuræ opere & ſingulâ pene paginâ, jura, poteſtatem, Juriſdictionem, primatum & imperium Papæ funditus evertunt & diruunt; dum ad teſtimonium allegant myriades locorum ex Patribus & Conciliis deſumptorum, quibus æqualitas Apoſtolorum ſtatuitur, Epiſcopi Romani Juriſdictio intra cancellos & ſepta ſuæ dioceſeos concluditur: appellationes Romam prohibentur: æqualitas non ſolum Epiſcoporum, ſed & Paſtorum

aſtrui-

aſtruitur: Paſtoribus & Epiſcopis, ac proinde & Papæ non alia poteſtas quam functionis & perſuaſionis adjudicatur: poteſtas clavium tum ligandi & ſolvendi, æqualiter omnibus Paſtoribus aſcribitur. Paparum Tyrannis Simonia, labes injuſtæ vendicationes, ſcelera. Imperia in aliena imperia & in alieno imperio evulgantur & odioſé exagitantur.

Itane iidem homines ex uno ore & dulce & amarum, verum & falſum proferunt; ut liquet ex collatione facta vigeſimi tertii articuli contra Lutherum, quem approbant & tuentur ad pleraque cenſuræ loca. Articuli verba ſunt, *nec minus certum eſt unum eſſe jure Divino ſummum Pontificem in Eccleſia Chriſti militante, cui omnes Chriſtiani parere tenentur; qui quidem poteſtatem habet indulgentias conferendi.* Per quem articulum Reges, Principes, Concilia generalia, particularia, Papæ ejuſque judicio (ac proinde infallibili) ſubjiciuntur jure Divino, poteſtatem habenti & primatum in omnes Epiſcopos & Eccleſias mundi, penes quem ſit (cæteros nequaquam) indulgentias conferre, denique per eundem articulum, eadem pené Bonifacii VIII. verba reponuntur, quæ cauſa fuerunt exitii huic Papæ & quæ ſubjiciunt omnem creaturam, ac proinde Reges Papali imperio.

Sed quî poteſt hic articulus Conciliari cum prioribus, ubi infallibilitas affigitur Concilio & poteſtas definiendi & determinandi de controverſiis circa fidem: Papæ hic ubique præterquam in ultimo præterito. Sed

Sed quo tandem modo tanta poteſtas in Papam collata à ſacra facultate concordabit cum pene totius cenſuræ ſyſtemate, quo contrarium (luculentis ſané teſtimoniis) demonſtratur?

Ut cum pag. 13. dicunt cum Cypriano: *Hoc erat utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus pari conſortio præditi honoris & poteſtatis.*

Et cum pag. 18. ex Innocentio docent, cauſas, non Romæ à Papa, ſed à ſenioribus loci, ubi lis cœpit decidi debere.

Et cum pag. 19. ex Leone dicunt poteſtatem clavium, tum ligandi & ſolvendi ex æquo datam omnibus Apoſtolis.

Iidem ad marginem Epiſtolæ Cæleſtini ad Johannem Antiochenum, hæcce annotant. *Nota decreta ſummi Pontificis confirmari ab Eccleſia ſeu Concilio.*

Et cum pag. 44. & 45. dicunt Papam Honorium fuiſſe hæreſeos manifeſtum & convictum: licet ibidem ex Synodo Romano ſub Hadriano II. dicant inauditum hactenus eſſe Romanum Pontificem à cæteris Eccleſiis judicatum eſſe, ſed alias omnes ab eo judicatas, & pag. 46. allegant integram Epiſtolam Bonifacii VIII. ad Regem Galliæ, quaſi approbantes, nec contrario teſtimonio, reſponſione Regis repoſita refellentes: nam & allegant ejuſdem Papæ unam Sanctam ubi Bonifacius poſtquam allegavit prima verba Geneſeos ut primatum ſuum aſtruat, ſubjicit, *porro ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creatu-*

creaturam, *dicimus*, *definimus & pronunciamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis*, ut jam videantur illa eſſe ἀσύστατα quæ cenſura affert; hinc de Honorio convicto, de Epiſcopis eodem jure quo Romanus gaudentibus, illinc de Adriano II. & Bonifacio VIII. omnem humanam creaturam Judicare, at à nemine, Judicari debentibus, illa inquam eſſent ἀσύστατα, niſi longé major eſſet numerus locorum quæ allegat cenſura, quibus Papa, eidem judicio ſubjicitur, cui alii Epiſcopi, quam eorum, qui omnem creaturam Papæ judicio mancipant, eumque faciunt, ἀνυπεύθυνον & nemini reddendis rationibus obnoxium. Adde quod authoritas Adriani II. & Bonifacii VIII. nulla ſit, præ immenſa illa congerie authoritatum ex Patribus & Conciliis Antiquis, quibus poteſtas illa vendicata ab Adriano II. & Bonifacio VIII. diruitur, evertitur.

Et cum allegant pag. 49. Alemannum dicentem Papam errare poſſe ſententialiter, ſententiando in materia fidei, alioquin fruſtra convocata fuiſſe, quatuor prima Concilia generalia.

Et cum pag. 57. afferunt verba Leonis I. ad Theodoſium & Martianum, humiliter rogantis convocationem Concilii in Italia nec tamen obtinentis.

Et cum pag. 152. allegant verba Julii ad orientales, *ſi igitur veré parem eundemque honorem in omnibus Epiſcopatibus cenſetis eſſe: neque in magnitudine civitatum, ut vos ſcribitis honorem hujuſce rei creſcere arbitramini:* qui-

bus verbis liquet; tum Julium, tum Orientales Epiſcopos credidiſſe parem ubique eſſe honorem & dignitatem Epiſcopatûs.

Et cum paginâ eâdem citant Hieronymum, æqualitatem omnium Epiſcoporum affirmantem & minimum imperii Epiſcopum æquantem Romano: cæterum dicentem Epiſcopos ex æquo eſſe Apoſtolorum ſucceſſores.

Et cum eâdem paginâ dicitur ex Concilio Aquiſgranenſi, cæteros Apoſtolos cum Petro par conſortium honoris & poteſtatis accepiſſe: & ex Nicolao I. ibidem Epiſcopos hæreditario jure ſic ſucceſſiſſe Apoſtolis, ut omnes pariter obtineant à Chriſto poteſtatem Juriſdictionis.

Et cum pag. ſequenti verba Magiſtri ſententiarum citantur dicentis, *Majores Pontifices* (ergo non ſolum Romanum) *vicem gerere in Eccleſia Dei Apoſtolorum.*

Et cum pag. 155. ex Petro de Alliaco aiunt omnibus Epiſcopis ex æquo datam poteſtatem ligandi & in ea poteſtate ſucceſſiſſe Apoſtolis, licet ab his non acceperint poteſtatem miracula faciendi ad confirmationem fidei, in qua poteſtate non ſucceſſerunt Epiſcopi & Presbyteri, ut quæ non indiget ulterius miraculis confirmari.

Et cum pag. 160. citatur Cyprianus eatenus vetans appellationes Romam quatenus vult ut ibi cauſa audiatur, ubi crimen commiſſum eſt.

Et cum pag. 165. narrat ex Rodolpho Glabro luculentam Hiſtoriam de Fulcone Andega-

degavorum comite, quâ prolixè Paparum Tyrannis, Simonia, injuſta occupatio alienæ Juriſdictionis, inter alia hæc leguntur.

"Cum inſuper multiplici ſit antiquitus authoritate roboratum, ut non quiſpiam Epiſcoporum in alterius dioceſi iſtud præſumat exercere niſi Præſule cujus fuerit, ſeu compellente ſeu permittente —— licet namque Pontifex Romanæ Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ ſedis cæteris in orbe conſtitutis reverentior habeatur; non tamen ei licet tranſgredi, in aliquo Canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unuſquiſque orthodoxæ Eccleſiæ Pontifex ac ſponſus propriæ ſedis uniformiter ſpeciem gerit ſalvatoris; ita generaliter nulli convenit, quippiam in alterius procaciter patrare Epiſcopi diocæſi: univerſi pariter deteſtantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui Apoſtolicam regebat ſedem, Apoſtolicum primitus ac Canonicum tranſgrediebatur tenorem. Deinde quicquid Cardinalis adverſus illum Canonicum tenorem attentavit, ſpecie quâdam miraculi reprobatum fuit nulli venit in dubium quoniam inſolens præſumptionis audacia irritum conſtituiſſet, votum ſimulque præſentibus, ac futuris quiſque ne huic ſimile agerent evidens judicium fuit.

Sed cum hæc Hiſtoria in Glabro ab Arnaldo Sorboniſta luculentiùs enarretur quam ſit ab authoribus cenſuræ. Sitque cenſuræ Sorboniſticæ pars longè præcipua & quæ funditus

Papatum evertat, juvabit eum audire & unà ſi non Sorboniſtarum ſenſa & totius ſacræ facultatis: ſaltem illius qui inter Sorboniſtas principem locum tenet. Juvabit, inquam, eum audire, unâ paginâ Papæ labes retexentem, ſimoniam, avaritiam, injuſtam alieni vendicationem & occupationem, imprimis ejus Juriſdictionem intra ſuam dioceſim coercentem & concludentem, adeoque ejus primatum, infallibilitatem & ſanctitatem explodentem, verba ejus ſunt, opere quod ſecundum prodiit contra reverendum Claudium.

" Foulques conte d'Aniou ayant fait baſtir " une Egliſe magnifique ne pût obtenir de " l'Archeveſque de Tours qu'il la dediaſt: " cet Archeveſque luy ayant reſpondu que lors " qu'il auroit ſatisfait au domage qu'il avoit " fait à l'Egliſe il ſeroit en eſtat de faire à " Dieu des offrandes de ſon propre bien. Ce re- " fus obligea ce Comte d'aller à Rome, où " par le moyen de l'argent qu'il donna aux " officiers de la Cour de Rome, il obtint du " Pape qu'il y envoyât une perſonne pour la " conſacrer, ſans là participation de l'Arche- " veſque l'ordre en fut donne à Pierre Cardi- " nal qui ſe miſt en devoir de l'executer.

" Les Prelats de France, dit Glaber ayant " appris cet ordre du Pape furent tous perſua- " dez que cette preſomption ſacrilege eſtoit " l'effet d'une aveugle avarice, ils deteſte- " rent cet attentat, eſtimant que c'eſtoit une " choſe tout à fait indigne que celuy qui gou-

ver-

" vernoit le ſiege Apoſtolique violât le pre-
" mier l'ordre étably par les Apôtres & par
" les Canons. La couſtume fondée ſur une
" infinité d'authoritez de l'antiquité defen-
" dant aux Eveſques de faire aucun acte de
" Juridiction dans le dioceſe d'un autre, Si
" l'Eveſque qui y reſide ne le permet. Gla-
" ber adioute que ce Cardinal ayant paſſé ou-
" tre nonobſtant cette oppoſition generale
" des Eveſques à la dedicace de cette Egliſe.
" Elle tomba le jour même qu'on la conſacra,
" & que perſonne ne douta que ce ne fuſt une
" punition viſible de Dieu contre cette en-
" trepriſe illegitime: encore, dit Glaber,
" que le Pontife Romain ſoit le plus reveré de
" tous les Eveſques, à cauſe de la dignité du
" ſiege Apoſtolique, il ne luy eſt pas nean-
" moins permis de violer ce qui eſt preſcript
" par les Canons. Car comme chaque Eveſ-
" que d'une Egliſe orthodoxe eſt l'epoux de
" cette Egliſe & repreſente le Sauveur du
" monde: il n'eſt jamais permis à un Eveſ-
" que d'entreprendre ſur le dioceſe d'un au-
" tre.

" Il paroît par ce recit de Glaber & par le
" Concile de Rheims que les deſordres de la
" Cour de Rome eſtoient deteſtez en ce tems
" dans l'Egliſe de France, & qu'ainſi elle n'y
" participoit pas, & ne les imitoît pas. Auſſi
" il eſt rapporté dans la vie d'Abbo Abbé de
" St. Benoiſt ſur loire, qu'eſtant allé à Rome
" pour y obtenir la confirmation de quelques
" privileges de ſa maiſon, & y ayant treuvé

 le

" le Pape Jehan XV. autre qu'il ne devoit
" eſtre, poſſedé de l'avarice, mettant tou-
" tes choſes en vente, il l'eût en execration,
" & qu'ayant viſité les Egliſes des Stſ. pour
" y faire ſes prieres il s'en revint en ſon mo-
" naſtere, *quem execratus perluſtratis orationis*
" *gratiæ ſanctorum locis ad ſua rediit.*

Redeo ad cenſuram cenſuræ docendo parum congruere cum Papiſmo cui ſe addictos profitentur Sorboniſtæ, ſiquidem ubique tam detetant poteſtatem Papæ quam faciunt Proteſtantes.

Ut cum pag. 168. anno 1082. allegant exemplum Papæ legati, qui quod ordinaviſſet Robertum quendam Abbatem in Epiſcopum Meldenſem ſine præſentia & aſſenſu Richardi & Archiepiſcopi, & coepiſcoporum ab illis fuit excommunicatus.

Et cum pag. 179. allegant Athanaſium ſentientem non ad Papam ſed ad Imperatorem pertinere indicere feſta.

Et cum pag. 252. allegatur locus Chryſoſtomi aſſerentis authoritate St. Pauli Rom. 13. omnes ſacerdotes cujuſcunque ordinis, imo Monachos ſubjici Poteſtatibus ſecularibus.

Et pag. 254. allegant Epiſtolam Pelagii Papæ ad Childebertum, ubi ait Papas à Deo ſubjici Regibus.

Huic cenſuræ ſubnectitur diſcurſus (an Concio) Ludovici Mareſii de moribus Eccleſiæ, in quo præter phaleras eloquentiæ, dictionem comptam & apté cadentem, nihil reperio propter quod properus lector debeat inhibere feſtinationem. Pag.

Digitized by Google

Pag. 16. probat formam judiciorum Eccleſiaſticorum ex Matth. 18. *Si peccaverit*, ubi, nec de cauſis, nec de perſonis Eccleſiaſticis ſermo eſt: nec verba *ſit tibi Ethnicus*, intelligit Dominus de excommunicatione, ſed de appellatione ad forum civile; teſte Petro Gregorio. Et pag. 17. in verbis ad Petrum, *Amas me, paſce oves meas* fundat Petri, adeoque Papæ primatum, contra intellectum omnium Patrum, nominatim Ambroſii, Auguſtini & Chryſoſtomi: & ſententiam Bellarmini, Becani & aliorum qui volunt primatum Papæ haberi & probari non ex Scriptura, ſed ex traditione Apoſtolica. Et cum pag. 21. ex Chriſti verbis, *ſcitis quia Principes gentium dominantur, &c.* & ex verbis Petri *paſcite gregem Chriſti ſponte*, & citra coactionem, confici putat poteſtatem Paſtorum plane abſimilem poteſtati Magiſtratûs, quæ ſe exerit in nolentes: quâ in re verus eſt, quanquam ubique poteſtatem Juriſdictionis attribuat Prælatis, nominatim pag. 15. ex verbis Chriſti, *ſicut miſit me pater, &c.* At illa nomine tenus eſt Juriſdictio quæ non exercetur in nolentes.

Sed quam abſurdè, inficité & fluxo fundamento ordinem Hierarchicum & Papæ in Epiſcopos, horum in Presbyteros poteſtatem probat ex capite 20. Actorum, *Attendite vobis univerſo gregi, in quos vos Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos.* Nam contra Proteſtantes hunc ſibi eligerent locum, quo omnem Hierarchiam, ipſum Papam ex Eccleſia Dei tol-

lerent, hunc & illam everterent, tum æqualitatem & ἰσοτιμίαν Paſtorum in Eccleſia ſtabilirent; nam ibi iidem qui nominantur Epiſcopi, vocantur Presbyteri; nec ibi Paulus præficit Epiſcopum Presbytero, ſed Eccleſiæ & gregi fidelium, ut ille demum ſit Epiſcopus non qui προστασίαν & ὑπεροχὴν habet in Presbyteros, ſed in Eccleſiam & gregem Chriſti, eum verbo & exemplo paſcens: Nam is locus potentiſſimum eſt argumentum quo probatur nullum Paſtorum genus interponendum inter Epiſcopum & gregem, atque adeò demonſtrat validiſſimé eo loci de Papa & Pontificibus qui Papæ ſubſunt non plus mentionis fieri quàm de Rege Chinenſi.

Coronidis loco, ut judicium meum interponam de tota controverſia inter Sorboniſtas & Jacobum de Vernant, exiſtimo meliori conſilio & æquiore animo in ſuum Regem, atque ut poteſtatem immenſam Papæ decurtarent, illos ſuam cenſuram ſcripſiſſe quam Vernantius ſuas propoſitiones, eo tantum ſpectantes, ut Reges faciat Papæ mancipia, & non aliam in toto orbe conſtituat poteſtatem, non aliam Religionem præter Papalem. Cui omnis creatura, omnes Reges, Principes, perſonæ, negotia, cauſæ, regna, imperia, Religio, fides & Eccleſia ſubſint: attamen cum hic & illi conveniant in hiſce Hypotheſibus fundamentalibus, dari perpetuum in Eccleſia Dei tribunal, ad cujus clavum ſedeat ſummus Pontifex, poteſtatem habens concedendi indulgentias, cui omnes Chriſtiani parere teneantur; certum

Digitized by Google

certum eſt quicquid inde arripit & inſert Vernantius, naturalem eſſe conſecutionem, cui nemo ratione præditus refragari deebat: at quæcunque inferunt Sorboniſtæ ex illis hypotheſibus pugnantia eſſe & ἀσύστατα; tum meré paralogiſmos & conſequentis fallacias.

CAPUT X.

Tranſubſtantiationem, purgatorium, cultum imaginum & reliquas ejuſdem farinæ Doctrinas Romanenſes, ſuam non habere authoritatem apud Reges; Principes & populos, imo nec apud clerum ab Eccleſia Romana, nec à Paparum Sanctitate vitæ & Doctrinæ, ſed ab imperio Papali, ſuâ potentiâ, divitiis & fulgore, aut terrorem, aut amorem conciliante.

SÆpe admiratio ſubit me, quî fiat quod tot viri in Eccleſia Romana, etiam ingenii à natura meliore luto formati, vinculo adeo arcto, alligati ſint, tum Pontificibus Romanis quæ fuit, hominum generatio maximam partem vitæ impuræ & ad omnia vitia & ſcelera projectæ, impuritate ipſos Tiberios, Nerones, Domitianos, Heliogabalos provocavit, tum Religioni Romanæ quæ ſemper fuit aut cauſa aut fomes malorum, hæreſium, ſchiſmatum & bellorum,quibus per plura ſecula totus orbis Chriſtianus conflagravit. Cujus dogmata ubi abeunt à Proteſtantibus eorumque placitis congeries eſt impietatum & abſurditatum non

non minor quam Mahumetaniſmus.

Non potui, inquam me ex hoc ſtupore exolvere, in quem pauca hæc me conjecerunt.

1. In primo magis doleo quam ſtupeo, quod licet natio virorum Eccleſiaſticorum optima omnium ſemper fuerit ubi in vero & Sancto perſtitit, omnium tamen ſemper fuerit peſſima, ubi ab hoc & illo abivit. Sed in eo ſtupeo quod viri peſſimæ notæ Johannes XII. & Alexander VI. ea gratiâ valuerint apud omnes ordines Eccleſiæ Romanæ, ut alteruter agnoſceretur caput viſibile omnium Chriſtianorum, extra cujus Communionem non eſſet ſalus: tum vicarius Chriſti, infallibili judicio perinde decreta fundens & imperans.

2. Et ſecundo loco, quod Religio Papalis, cujus dogmata non minus ſunt deliramenta vacui capitis, quam placita Mahumedis, arrepta fuerint à tot ſubacti judicii viris quos Eccleſia Romana capit.

3. Tertio miratus ſum, quod in pluribus placitis quæ ſunt ſublimioris cognitionis difficilioriſque intellectûs, Doctores Romanenſes ſana & recta amplexi ſint: at in dogmatibus obviæ, expoſitæ & facilis intelligentiæ ac cognitionis deſipuerint pluſquam infantes, & ad ea tanquam ad ſcopulum affixi fuerint.

4. Quarto, hinc miratus ſum ſtuporem Romanenſium Doctorum deſudantium circa ejuſmodi chimeras & deliramenta Doctrinarum defendenda & propugnanda, inde verò pertæſus ſum ſtudii & otii miſerè inſumpti à Proteſtantibus Doctoribus, luctando cum ejuſ-

modi

modi Larvis & Chimeras oppugnando, unde nemo fit aut doctior aut melior.

5. Quinto non potui ſatis mirari quî factum eſt, quod cum in primitiva Eccleſia Epiſcopi Romani ordine & ſtatione humiliores, quibus cæteri Epiſcopi ſuppares eſſent, poteſtate, dignitate, ſanctitate; eſſent poteſtatibus ſecularibus ſubditi, cæterum maximam partem boni viri, orthodoxi, re potius quam nomine Sancti, nec altiora ſpirantes, aut de ſe credentes, quam reliqui Epiſcopi, quorum ſui temporis æquales Imperatores monſtra eſſent hominum, vitâ ſuâ impurâ, & impietate quaſi ſanctitas ab Imperatoribus tranſiiſſet ad Epiſcopos Romanæ urbis: attamen, cum is ſtatus eſſet primis ſeculis Eccleſiæ & Epiſcoporum Romanorum, nec Imperatores & populi, imo nec clerus grandiora ſenſerint de Epiſcopo Romano quam de quovis alio: at viciſſim ſtupendum eſt quod deinceps Eccleſiâ Romanâ plané corruptâ Paparum ſanctitate ad Imperatores Germaniæ traductâ; illis verò in alios Nerones Domitianos & Heliogabalos commutatis, atque per fraudes, Tyrannidem, Simoniam, nothas decretales, falſa miracula, injuſtâ occupatione, imperium ſtruentibus in Reges & populos, tum demum, nec unquam antea, habiti fuerint ſupra omnes mortales, infallibiles, Sancti: imo ipſa ſanctitas, eorumque Eccleſia, habita Sancta, Apoſtolica & Catholica, extra quam non ſit ſalus. Ipſeque Papa ſecluſis omnibus Epiſcopis mundi ipſoque Chriſto habitus

Digitized by Google

habitus fuerit iſtius Eccleſiæ caput, ſummus Pontifex, Rector & gubernator cui omnis humana creatura parere debeat.

Tandem, poſtquam hæc diu apud me vovolutavi & reputavi ex eo ſtupore evaſi, ſic apud animum meum ſtatuens.

1. Nec ex bona, nec ex improba Paparum vita, nec ex diſconvenientia, nec ex conformitate doctrinarum Romanenſium, cum Sacra Scriptura, aut cum ratione, accreſcere illis authoritatem: verum eam conciliari ex robore, fulgore & divitiis imperii Papalis in Reges & populos, quemadmodum accedit authoritas deliriis Mahumetaniſmi ex pompâ vi & magnitudine imperii Turcici.

2. Atque tum demum Papam fuiſſe Sanctum, infallibilem, Principem ſacerdotum, ſummum Pontificem, caput Eccleſiæ, Epiſcopum œcumenicum: ejuſque Eccleſiam fuiſſe, Catholicam, Sanctam, Apoſtolicam extra quam non ſit ſalus, quando Papa Romanus factus eſt Dominus territorii & plenam habuit poſſeſſionem imperii non ſolum ſui, ſed & alieni & in alieno imperio longé potentis, in Reges, Principes & terrarum Dominos, cujus juſtitia, bonitas, ſanctitas ſunt in imperii robore, divitiis, pompa & fulgore, atque in Imperantis Papæ voluntate: Papa tum demum evaſit in ſanctitatem ſuam & ſanctiſſimum, non ſolum cum factus omnium Monarcharum pontentiſſimus ſed & omnium mortalium avaritiâ & Simoniâ fœdus. De craſſo ſic Velleius Paterculus, *Vir ſanctiſſimus, nec*

in

Digitized by Google

in pecunia nec in gloria cupiſcenda aut modum norat aut capiebat terminum.

3. Tantò firmius & illuſtrius eſſe, cum Papale, tum Turcicum imperium, pluſque authoritatis, amoris, venerationis & terroris ſibi apud ſubditos conciliare quod fuco vocabulorum Cæleſtis Divini & Spiritualis, hoc & illud imperium, tegantur & obducantur.

4. Tam ridendum ſtuporem Romanenſium, qui ad ineptiarum vindicias ut ſunt pleraque dogmata Romanæ Eccleſiæ, libros in immenſum numerum & molem aſſurgentes, conſcribunt, quàm dolendum, tantum otii, temporis & chartarum ſupereſſe bonis & doctis viris quales ſunt Proteſtantium anteſignani ad confutanda ejuſmodi deliria, quæ non abſimilia pediculis Philippi II. Hiſpaniarum Regis & ſtrumis Catonis, pretium ſumunt à dignitate viri, qui vel his vel illis corripiuntur.

5. Quocirca ut ſordeſcant doctrinæ Romanenſes & omni authoritate excidant, non eſſe à Proteſtantibus ſigillatim confutandas, ſed id imperii debellandum, ſub cujus umbra aut potius fulgore, pompâ & robore, divitiiſque ſecuré conquieſcunt & gratiam & authoritatem acquirunt.

6. Cum id imperii non poſſit dirui & ſubverti, niſi ab illis Regibus, qui ſe ſubjiciunt Papali imperio & Religioni; imprimis eo errore exolvendi ſunt, quem alté imbiberunt, & in quo educati & obfirmati ſunt, non quod Religio Romana concordet, aut

cum

cum ratione, aut cum Scriptura, ſed quod illud imperium, ſit Spirituale & Eccleſiaſticum.

7. Nam eo ſuco deterſo & ablato quod ſine vi & armis perfici poteſt, & ſe prodente Papæ imperio, ſuis coloribus veris & genuinis, nempe terreno in alieno imperio perinde terreno; non magni moliminis opus erit, conſortem imperii pellere, & jubere ut alibi locorum res & imperium ſibi habeat: tantummodo rogandus erit, quo jure & quâ injuriâ ſibi imperium in alieno imperio ædificaverit? Cum enim Papa in alieno imperio, non ſuis, ſed alienis armis & militibus dominetur, nec quicquam audeat inermis: (Monachorum & ſecularis cleri turbâ, alias ſe ad nutum Papæ circumagente, nihil ultra minas & querimonias auſurâ;) non video, quæ obſtantia non facile perrumpat, Rex exolutus errore, ut compedes ſuos & Papæ jugum excutiat.

8. Nec tamen exiſtimandum parem eſſe rationem imperii Turcici quæ Papalis, ut illud tam ad ruinam ſit pronum, ablato fuco Divini imperii & cælitus traditi, quam Papale eſſet, ſuo involucro poteſtatis Eccleſiaſticæ exutum. Lubet accuratiùs ſingula conſectari.

Quod primum occurrit, non eget probatione multa, nam ſané non eſt difficilis; nempe quod viri Eccleſiaſtici, ſemper fuerint aut peſſima aut optima hominum natio, optima quidem ob dignitatem ſacerdotli, Miniſteriique

que Evangelici ac verbi Divini: ſi bonis viris contigit, aut bonos viros reddit: at peſſima, (ut rerum optimarum corruptio peſſima) ubi à vero, recto & Sancto, tantillum deerratur; ut pronus eſt lapſus ad præcipitia: quo enim functio eſt ſanctior, eò fœdius verbi Dei Miniſtri illâ abutuntur ad ambitionem & avaritiam. Omnium autem ordinum de clero, imo omnium hominum, quos capit aut Eccleſia Romana, aut orbis terrarum, Papæ fuerunt genus peſſimum & deterrimum; fatentibus Marcello II. & Adriano IV. & Romanenſibus ſcriptoribus & Doctoribus; quaſi in maximo totius orbis terrarum faſtigio & fortuna maxima, maxima eſſet peccandi licentia. Sané Guichardinus affirmat eatenus eſſe Papas bonos, ſi non excedunt nequitiam & improbitatem cæterorum hominum. Onufrius, Thuanus & alii affirmant non aliâ ratione bonum virum poſſe à recto abire quam ſi fiat Papa. Id dicit Thuanus de Paulo IV. qui de auſtero & caſtigatæ vitæ homine factus eſt Vir arrogantiâ tumens & moribus perditus. Paria dicit Onufrius de Julio III. (quem Thuanus ait ubi factus eſt Papa fuiſſe ad omnem licentiam ſolutum) atque bonos viros potuiſſe ſperare in eo morum emendationem, niſi Papa renunciatus fuiſſet; uſque adeo ſemper fuit lapſus pronus à Papali culmine ad prava quæque.

Porro Papas ſemper fuiſſe authores, cauſas, tubas & Incentores bellorum inter Chriſtianos per octingentos annos dicunt,& eo nomine lugent

gent Onufrius, Sigonius, Fauchetus, Ranchinus, Guichardinus, Vignierius. Verba ſunt Thomæ Campanellæ Philos Realis parte III. in aphoriſmos digeſta cap. 6. *qui cum cura Hiſtorias legerint, deprehendent plura inter Chriſtianos bella à Pontificibus concitata quam ſedata; tantum verò abeſt ut Hiſpanis imperiorum helluonibus illi ſe objicere aut potuerint aut voluerint, ut contrà illorum aviditati authoritas Pontificia calorem commodaverit, ut Navarra teſtatur & Henrici III. temporibus Gallia.*

Bellarminus in Chronico fatetur Sanctitatem Paparum undecimo ſeculo, quanto magis nono & decimo, in viros principes de laicis decubuiſſe. De Johanne XII. affirmat eum fuiſſe omnium Paparum fere deterrimum, agnoſcens eo deteriores, cum tamen in iſtum Johannem viderentur ſcelera, Caligulæ, Neronis, Domitiani & Heliogabali facto fœdere concurriſſe: quorum vita ſæva modeſtia fuit ſi ad horrendos mores Alexandri VI. conferatur. Johannes Sariſburienſis, annotat plus à Papis ad thronum conſcendentibus ſanguinis fuſum fuiſſe, quam à Principibus terrenis. Cujus rei joculari ſcommate reddit rationem, nempe quia non debuit ſummus Pontifex locum Sanctum ingredi abſque effuſione ſanguinis; in eo par Papa Chriſto, ſed diſpar in eo quod Chriſtus, proprio ſanguine tinctus ingreſſus fuerit locum Sanctum, Papa alieno: hujus locus ſit nomine tenus Sanctus, illius ſit ſanctiſſimi ſanctiſſimum domicilium.

l. 8. Polior.

Arnaldus Oſſatius omnium Cardinalium

qui

qui unquam fuerunt (nec Cardinalem Borromæum excipio) optimus, de Clemente VIII, Paparum optimo, nec Gregorium primum excipio, narrat Epiſt. 87. in ea ſententia fuiſſe, non ulterius à viro Principe ſervandam fidem, quam quatenus concordat cum privata utilitate, & ſi jus violandum eſt, regni causâ violandum eſſe, in cæteris pietatem eſſe colendam. At hic tamen Papa eſt ſua Sanctitas, quâ larvâ, vel alter Johannes XII. vitam ad omnia impia & ſcelera projectam velat pari fuco, quo imperium terrenum Papæ, quod mera Tyrannis eſt, aut potius alieni injuſta occupatio per Tyrannidem, obducitur, nempe tectorio poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis; plures enim citra Tyrannidem, ut Pyſiſtratus, alieni fuerunt injuſti poſſeſſores: non ſic Papa, cujus imperium mera iniquitas eſt, & Tyrannide, & iniquâ alieni poſſeſſione; Illa eſt iniquitas de qua Sanctus Paulus loquitur ſecundo capite ſecundæ ad Theſſalonicenſes.

Nec finis eſt, is eſt Papa, cujus cum ſalute conjuncta eſt ſalus omnium Chriſtianorum, ut ait Silhonus in Miniſtro Statûs: is eſt quem ſequi debeas, vel pertrahentem in gehennam, ut affirmat Canon *Si Papa*. Jam quis non videt comprobari argumentum capitis; nempe Papæ non accreſcere authoritatem, à ſanctitate vitæ, ſed ab imperio terreno divitiis florenti, pari inſania, quâ improbitas, ſeu in excelſo, ſeu in imo colitur: nam ſi vecordia eſt & impietas ſanctitatem

affigere loco excelſo, vertiginoſus eſſet illius ſtupor, qui Papam perinde improbum, ſed humi projectum exutumque imperio, titulo ſanctitatis veſtiret.

Denique is eſt Papa à quo manant multa ἀσύστατα, contraria, pugnantia, & invicem diſſidentia, impietas cum ſanctitate juncta, vita Simoniâ infamis, libidinibus diffluens, cum fide orthodoxa, Tyrannis ſuperba illius qui pedem porrigit oſculandum Imperatoribus, nemini mortalium aſſurgit, & regna adimit, cum humilitate illius qui lavat pedes pauperum, & ſe vocat ſervum ſervorum Dei: nam eadem propemodum verba loquitur Cornelius Agrippa. *Ipſe Romanus Pontifex omnibus graviſſimus & intolerabilis eſt, cujus pompam & faſtum nullus unquam Tyrannorum æquavit: atque is interim in ſe ſolo jactat Religionis & Eccleſiæ ſtatum conſiſtere*; volunt tamen inquit, Romanam ſedem, aut ſanctos facere, aut recipere, juxta Symmachum Papam; qui vult Petrum perennem meritorum dotem tranſmiſiſſe ad poſteros, *quis enim ſanctum dubitet eſſe quem apex tantæ dignitatis attolit?* ſed bone Deus quos ſanctos habuit ſedes Petri, nono & decimo ſeculo; cum teſte Genebrardo *per annos circiter centum & quinquaginta à virtute majorum Pontifices prorſus defecerant, Apotactici, Apoſtaticive potius quam Apoſtolici, quando non per oſtium, ſed per poſticum ingrediebantur*; & quos Agrippa ait fuiſſe fures & latrones; pene eadem verba reponens quæ Genebrardus; *qui non ingreſſus*

De vanit. ſcientiar. c. 61.

Diſt. 40. can. *non nos.*

ſus fuerit per oſtium ſed aliunde in Eccleſiam aſcenderit, per feneſtram, per favores hominum, per emptitias voces, per imperium Principum, hic non eſt vicarius Chriſti & Apoſtolorum, ſed fur & latro & vicarius Judæ Iſcariotæ & Simeonis Samaritani. Sed quos Sanctos habuit Petri ſedes refert Baronius loquens de nono ſeculo. *Per Tuſciæ Principes introducebantur in Cathedram Petri Solium Chriſti, homines monſtroſi, vitâ turpiſſimi, moribus perditiſſimi:* Et alibi ait, *viſam Romæ abominationem deſolationis in templo.* Et an 912. *cum Romæ potentiſſimæ, atque ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, & quod auditu horrendum & nefandum eſt, introducerentur in ſedem Petri Pſeudopontifices.* Nec ſanctiora fuerunt ſuccedentia ſecula. De Curia Papali Avenione tempore Clementis V. anno 1305. ſic loquitur Petrarcha Ep. 16. ſine titulo. *In regno avaritiæ nihil damno aſcribitur, modò pecunia ſalva ſit: futuræ ibi vitæ ſpes inanis, quædam fabula, & quæ de inferis narrantur fabuloſa omnia, & reſurrectio carnis, & mundi finis, & Chriſtus ad judicium venturus,* inter nænias habentur. Et Guichardinus lib. 4. Hiſtoriarum anno 1445. de decimo quinto ſeculo horrenda narrat; nempe Papas nihil minus, quam ſanctitatem, fidem & Religionem ſpiraſſe, ſed opes, Principatus, quos compararent per ſcelera & impias & ſimoniacas artes; nec penſi quicquam haberent, quam Principes inter ſe collidere, orbem terrarum factionibus & homici-

an. 897. S. 4.

an. 900. S. 1.

Digitized by Google

micidiis replere, nec de 16. ſeculo Alvarez Pelagius ſanctiora refert; alioquin magnus Paparum adulator & ciniflo, cum ait non minora eſſe peccata Clericorum quam Sodomæ, cæterum ſacram paginam Romæ haberi pro fabula; illud eſt ſeculum in quo cum imperium Papale ad ſummam impietatem perveniſſet, tertia ſui parte decurtatum eſt tempore Lutheri & Leonis decimi, cujus hunc fuiſſe Sermonem fertur in colloquio cum Cardinale Bembo, *quantum nobis, noſtriſque fabula de Chriſto profuerit, ſatis eſt notum omnibus ſeculis.*

Lib. 1. art. 2. fol. 104 de Planctu Eccleſiæ.

Sed nec doctrinis Papalibus, ut ſunt Tranſubſtantiatio, purgatorium, cultus imaginum, accreſcit authoritas ab earum veritate, bonitate, ſanctitate, ſed perinde ac ipſi Papæ ab ejus imperio terreno divitiis, & pompâ coruſcante: id inde liquet, quod tam ſint futiles, & vacui capitis deliramenta quam Alcorani dogmata, nec abſimilia imaginibus, aut Eccleſiæ Romanæ aut Ethnicorum, quæ ex forulis ſuis & præcelſo loco extractæ, tum humi projectæ, nullo loco aut numero habentur.

Incipiam à Tranſubſtantiatione, cujus alternis judiciis ambigo, an major ſit aut futilitas aut impietas. Certè Coſterus Jeſuita, & nuper Arnaldus Sorboniſta affirmant, ſi Chriſtus non eſt realiter præſens per Tranſubſtantiationem in Euchariſtia, impietatem eſſe ſuperantem longè omnem idololatriam Ethnicorum panem adorare. Id innuit Theodoretus

doretus cum dicit ſtupiditatem illam eſſe conſummatam, adorare quod manu feceris & comedere quod adoraveris, ἀβελτερίας ἐσχάτης Trat. 8.
προσκυνεῖν τὸ ἐσθιόμενον. Ideo Averroes teſte Sal- Tom. 9.
merone dicebat potius eſſe ſibi, ut anima ipſius ſit cum Philoſophis, quam cum illis Chriſtianis qui adorant quod comedunt & comedunt quod adorant.

Cæterum Tranſubſtantiatio monſtrum eſt, cumulus abſurditatum, ut corpus conſtans ſuis dimenſionibus naturalibus ſuiſque partibus in unum ſit redactum punctum, ubi exiſtit cum ſua longitudine, latitudine & profunditate: nullum tamen occupet locum, nec ſpatium. Hic habemus accidentia quæ nullo ſubjecto nituntur. Colorem, guſtum, odorem panis expoſitos ſenſibus noſtris poſt ſubſtantiæ ruinam, & corruptionem accidentium, quæ comburuntur & roduntur à muribus & vermibus, dum Jeſu Chriſti corpus ſub involucro horum accidentium permanet inviolabile, impaſſibile & incorruptibile: Hic habemus Chriſtum, qui ſe ipſe voravit, & corpus ſuum in os proprium ingeſſit: habet hic Chriſtus os in capite, & caput in ore; quæ quidem prodigia ſunt & gryphi implicantes contradictionem; ut taceam paria abſurda & incommoda, quæ comitantur ſacrificium Miſſæ: id imprimis quod fiat ſacrificium ſine deſtructione rei oblatæ. Sed quid opus fuit tot miracula congerere in Tranſubſtantiationem, tum in ſacrificium Miſſæ? ſiquidem minor efficacia habeatur hujus & illius

Digitized by Google

quam Baptiſmi, in quo tamen nulla ponitur converſio.

In cultu imaginum, fuit tempus cum Ethnicifmus ſanior eſſet Papiſmo, ut apud veteres Perſas, Afros & Germanos, imo Romanos uſque ad urbis conditæ 570, omnis uſus ſtatuarum & imaginum in Religione repudiaretur, qua in urbe, etiam poſt idolorum uſum: ſapientiſſimi non dubitarunt literis mandare. *Caſtius Deos ſine ſimulachris obſervari, quique primi ſimulacra deorum populo poſuerunt eos civitatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe.* Eſtque in cultu imaginum Mahumetiſmus purior Papiſmo tempore Betlehemgaboris, cum φάσμα terruiſſet Monachum Turcum in urbe Medina in Arabia, oratione quam habuit ad ſuos Turcos, affirmat Chriſtianos ideo exutos Jeroſolymâ & Conſtantinopoli propter eorum abominandam idololatriam & execrandam impietatem in colendis & venerandis imaginibus. Nam Ethnica & impura praxis, iiſdem argumentis defenditur à Pontificiis quibus olim Ethnici utebantur ad vindicias cultûs, quem Tertullianus, Arnobius & Origenes arguebant impietatis, quemque Auguſtinus damnat in Vadianis & Andianis, quibus accendebant cereos, ut ſolebant Ethnici ſuis Diis, *ardet & ad magnos pinea tæda Deos.*

Varro apud Auguſtinum lib. 4. de Civitate Dei c. 31.

Ovid. Epiſt. Medeæ.

Nec inſaniunt Turcæ circa cultum exhibitum Virgini Mariæ, nec oſſibus & reliquiis cultum impendunt, ut nec precantur ad numerum, ut faciunt Pontificii inter volvendum

reſtim

reſtim precatoriam, decies compellando Virginem Mariam, at ſemel tantum Deum Patrem.

Quid quod multò vicinior eſt Ethniciſmo Papiſmus quam Mahumetaniſmus, teſtes ſunt Jubilæus, Apotheoſes, adorationes verſus orientem, ſputum in Baptiſmo, aqua luſtrica, cultus imaginum & Sanctorum: nec futiles habet legendas de Franciſco concionante avibus, eaſque ſuas ſorores compellante; nec ut fidem faciat dogmatibus ſuis fingit miracula, ut ſunt quæ Antoninus refert in Chronico ad Tranſubſtantiationem de adoratione hoſtiæ à mulo & aſino; aut de Virgine Maria & Dominico: is in cælum raptus & cupidus noſcendi, quot de ſuo ordine eo vivo cœlo eſſent recepti, cum omnia luſtraret oculis, ibi vidit Monachos plurimos aliorum ordinum, at nullum de ſuo, quam ob cauſam Vir Sanctus cum ubertim fleret, Angelus juſſit eum eſſe bono animo, & illico ſublatâ veſte Mariæ ei oſtendit plurimos Monachos Dominicanos, ſub hac ſtola latentes, ut pullos ſub gallina: nec Alcoranus quicquam Veſanius habet, quam quod idem Antoninus narrat de Virgine Maria, quæ ingreſſa de nocte locum, ubi Monachi ordine diſpoſiti dormiebant, ſingulis benedixit, uno excepto qui retectis pudendis ſupinus dormiebat.

Nec minus ſunt vero ſimilia Sermonum commercia Mahumedis cum Angelo Gabriele & columba, aut quod Alcoranus refert de fragmentis Lunæ in manicam Mahumedis de-

Baron. an. 755. lapſæ, & redditæ ab eo, ne quid de rotunditate ejus periret, quam Epiſtola St. Petri ſcripta de cælo ad Pipinum & Carolomannum, ut eos hortaretur ad ſuppetias ferendas Papæ Stephano à Lombardis oppreſſo; nec futilius eſt miraculum de Templo Mechæ, de quo Turcæ aſſerunt cum extruendum eſſet, montes omnes vicinos lapides ultro miraculoſé attuliſſe: & marmor quod ibi viſitur ſua ſpontè illuc veniſſe & ante Templi fores reſediſſe: Et quod narratur de Adriano Imperatore, qui mulierculæ viſum reſtituit & muto linguæ uſúm dedit: & de Veſpaſiano qui ſputo ſuo idem fecit elingui: hæc inquam aut tam futilia aut ſaltem tam vero ſimilia ſunt, quam quæ à Pontificiis produntur de imaginibus loquentibus, flentibus, caput aut brachia moventibus, viſum cæcis, loquelam mutis, vitam mortuis reddentibus, nec futilior eſt dialogus Mahumedis cum Gabriele Juſſione Clementis V. facta Angelis, ut rectà in cælum ferrent animas crucigerorum:

Spartianus in Adriano.

Et tam verum eſt Mahumedem eſſe tertium Prophetam venturum in terram, quam Papam eſſe vicarium Chriſti, ſucceſſorem St. Petri in munus Epiſcopi univerſalis, & tam junctura eſt cruda Extravagantis Bonifacii VIII. quam rudia ſunt hetruſca Carmina, aut inconditus Alcoranus, & quam indulgentiæ Papales, liberationes animarum flammis purgatorii, Vicariæ ſatisfactiones! quam Hiſtoria apud Hieronymum Platum de Imaginibus Pauli & Franciſci in feneſtra vitrea Templi, inſigni-

Digitized by Google

inſignibus commutatis, ut viſus ſit Paulus habere crucem Franciſci, at hic tenere manu Pauli gladium, quo deſenderet ſuam familiam contra Prælatos, qui de abolendo ordine Franciſcanorum conſilia inibant: quam ſtigmata St. Franciſci, unguentum Dominici quo confricuit femur puellæ, quam decretales, interpretationes Sacræ Scripturæ Bonifacii VIII. & Panigarolæ ad firmamentum Papalis imperii, Privilegium Gregorii Xenodochio St. Medardi datum, Imago St. Mariæ Loretanæ Nazaretho tranſlata Rhetos & ex Rhetis Alpibus ab Angelo unà cum Cænaculo lata Loretam, Imago Damaſcena, cui mammæ carneæ ſuccreverunt, quæ ſudavit oleum quo illitus Soldanus Damaſcenus, cui effoſſus erat oculus, curatus fuit: Et nuperum miraculum aliquot ab urbe Salmurio lapidibus ab Epiſcopo loci, tantopere decantatum & prædicatum, & ſexcenta ejuſmodi futiliora ſunt quam quæ habet Alcoranus; nam non excurro in interpretationes futiles aut blaſphemas Bonifacii VIII. & aliorum quibus Scripturam imponunt equuleo ut eam faventem habeant Papæ imperio. Johannes de Capiſtrano reperit in hamo Petri Poteſtatem Eccleſiaſticam, de author. Papæ parte 2. nu. 6. *per hamum igitur intellige Juriſdictionem Eccleſiaſticam*: Et Dominicus Tuſchus Cardinalis, practicarum concluſ. Juriſ. to. 3. *piſcatio cum hamo ſignum eſt preminentiæ & Juriſdictionis, ut notant doctores in C. tranſlat. D. conſt. & alibi*: at iidem eidem poteſtati Eccleſiaſticæ affigunt authoritate

ritate Scripturæ, Papam & ſuperſtruunt ejus imperium in Reges & regna mundi: Johannes de Seriano tract. Monarchiali ad verba Chriſti *ubi ſublatus fuero omnia ad me traham*, ſic interpretatur, *omnia regna mundi recuperabo & Principibus auferam:* pari acumine quo volunt Papam omnes, ipſum à nemine judicari, quia S. Paulus, dixit homo Spiritualis omnia dijudicat, ipſe à nemine judicatur.

Quid dicam de iniquitate & abſurditate ſatisfactionum quæ indicuntur pro remiſſione peccatorum, ut cum Paſchalis II. aſtrinxit Robertum Flandriæ comitem ad trucidandum clerum Leodienſem ſtantem à partibus Imperatoris Henrici V. ad conſequendam remiſſionem peccatorum: nam pleræque ſatisfactiones injunctæ, ſunt aut impiæ aut futiles & abſurdæ, ut cum injungitur Aiſtulpho qui occiderat uxorem, ne aliam duceret, nec adulterium committeret, nec Concubinam haberet. Roberto Normanno, qui cognomento diabolus nuncupabatur, indicta fuit hæc pœnitentia, ut per ſeptennium non loqueretur & reliquiis canum ſemeſis veſceretur. Solenne habet Parochus aut conſcientiæ moderator injungere peregrinationes, ad quaſdam reliquias; abſtinere cibis ſtatis diebus, ſecubationem ab uxore, modulationem aliquot Pſalmorum; quaſi pœna eſſet laudare Deum, tum flagellari & nudis pedibus incedere. Sanè ſaniora habet his Alcoranus, in quo nunquam ſe Mahumedes inſignivit elogiis quæ eam inſaniam teſtentur, qualem produnt elogia quæ ſibi

Digitized by Google

ſibi aſſumpſit Martinus V. cum ſe vocat arbitrum imperii Cæleſtis, Chriſtum Domini, Dominum univerſi, Patrem Regum, lumen mundi: Nec unquam Mahumedes ſic voluit quemquam ſibi fidem adhibere: ut potius ſe pateretur in gehennam trahi & in infernum rapi, quam audeat contra hiſcere: nec dum Mahumedes Deum ſe vocavit, nec ſibi tantam aſſumpſit poteſtatem, quantam Papa, diſpenſando contra & ſupra jus & contra Apoſtolum & Evangelium.

Tit. 8. de præb. c. præpoſuit diſt. 34. can. lectori.

Nunquam finis eſſet, ſi ineptiâ & futilitate parallela facerem deliria purgatorii, invocationis ſanctorum, auricularis confeſſionis, calicis adempti, extremæ unctionis, cultûs linguâ ignotâ; & Mahumedis dogmata & ritus. Impar tamen Mahumedes: hic imperium maximé ſibi ferro paravit, Papa fraudibus & impoſturis, illuſionibus chimericis, quibus plus potuit, uti decretalibus ſuis, quam Mahumedes per exercitus ſuos. Nam ſic decuit Papam, undiquaque myſteriis armatum, quibus ille nunquam initiatus: hic non habet imperium extra territorium ſuum: ille habet imperium in alieno imperio: hic propriis expenſis, ille alienis ducit & alit exercitus: fructus agri colligit quem nunquam coluit; de reditu ſemper eſt ſecurus, nec unquam ſors ejus periclitatur. Eſtque illi ſolenne prius venire in partem quam in capturam prædæ.

Artes agyrtarum & præſtigiatorum acetabula & calculi fallentium viſum & retrahentium

tium quod porrexerant, multum vafritie ſubſidunt infra Papales artes, quibus illudunt Regibus, quos beant ut diſtinemus pueros, crepitaculis, crepundiis & munuſculis, quibus ideo ſe jactant Reges, ut cum ſpecioſé oſtentant ſuam poteſtatem terrenam & imperium ἀνυπεύθυνον & nullis reddendis rationibus obnoxium præter quam Deo, dum Papæ ſub fuco poteſtatis Eccleſiaſticæ & Spiritualis, rectum & verum dominium, ut eſt dominorum in ligas & vaſſallos, ut loquuntur poſſident; hi verò, precariò duntaxat regnant. Sanè mendacia circulatorum, deliria Alchymiſtarum, combinationes Lulliſtarum, & pigmenta & figmenta Poëtarum & Pictorum, nullatenus ſunt comparanda cum Papæ incantationibus & faſcinis, quibus ſibi Reges & populos mancipio & nexu devinctos & ſubditos habet & retinet, dum hi ſibi in conditione liberorum capitum placent, ſimiles illi melancholico, qui omnes naves appellentes ad portum Pyræum vendicabat tanquam ſuas, cum ne quidem lintris dominus eſſet. Quid memorem aut futilitatem, aut injuſtitiam. donationum Papalium, injuſtarum quidem, ut cum Papa dedit Navarram Ferdinando Regi Arragoniæ; nam non alio jure eam poſſidet hodie Rex Hiſpaniæ, at futilium & vacui cerebri donationum exempla habemus in Gregorio IX. qui dedit Roberto Comiti Attrebatum imperium Germaniæ, quod tenebat Fredericus II. & in Alexandro VI. qui dedit Imperium orientis Carolo VIII.

Regi

Digitized by Google

Regi Galliæ. Extat apud Franciſcum Lopez de Gomara Hiſt. Indiarum lib. 1. cap. 19. Bulla donationis Indiarum collatarum in Regem Hiſpaniæ, cujus hæc ſunt prima verba. *Nos authoritate Dei omnipotentis quæ nobis in perſona Petri data fuit & quâ in hoc mundo fruimur tanquam vicarius Jeſu Chriſti donamus vobis cum earum Dominio urbibus, caſtellis locis, pagis, juribus, Juriſdictionibus, omnes inſulas & terras continentes, inventas, aut inveniendas.*

Sed ut tantò clarius pateat, Tranſubſtantiationi purgatorio & ejuſmodi accreſcere authoritatem ex ſolo imperio terreno Papæ divitiis & robore florenti, ac amorem aut terrorem conciliante, non verò ab eorum dogmatum veritate & bonitate, imo nec ab ulla probabilitate veri, juvat dividere omnes doctinas, quibus Religio Eccleſiæ Romanæ conſtat, in duas claſſes, quarum altera contineat dogmata de Sacro Sancta Trinitate, de creatione, de providentia, de Divinitate Jeſu Chriſti, de gratia, libero arbitrio, Prædeſtinatione, de peccato originali, Juſtificatione per fidem, aut per opera, de ipſa fide, de pœnitentia, de vera vocatione Paſtorum & ordinatione, de natura Eccleſiæ, de Paſtorum & Synodorum authoritate.

Altera claſſis continet collationem authoritatis Scripturæ, ad authoritatem Eccleſiæ: deinde dogmata de ipſo Papa, ejus authoritate, primatu, infallibilitate, de ſacrificio miſſæ, Tranſubſtantiatione, purgatorio, de ademp-

ademptione calicis, cultu celebrato linguâ ignotâ, confeſſione auriculari, de cultu imaginum, reliquiarum, crucis, Virginis Mariæ, de invocatione Sanctorum, de privatis Miſſis, de peregrinationibus Religionis gratiâ, de indulgentiis Papalibus, cœlibatu ſacerdotum, & de diſtinctione ciborum.

De doctrinis poſterioris Claſſis affirmo & pertendo, ſi Papæ imperium funditus everſum, aut ſaltem concluſum & coercitum eſſet intra aut territorium ſuum, aut dioceſim ſuam, quod nullo loco aut numero eſſent apud Reges & populos Eccleſiæ & Religionis Romanæ, multò minori loco apud Proteſtantes, quodque ſordeſcerent apud hos & illos: nec utrobique ſermo de illis, ut nec mentio nec tractatio plus fierent, quam de Montaniſtis, Marcionitis & Ophitis. Id palam faciam in aliquot ſecundæ Claſſis dogmatibus.

Primùm everſo aut intra territorium coercito Papæ imperio quod merè ſuburbicarium eſt, concideret omnis authoritas Concilii Tridentini, cui ejuſque decretis, ſancitis, anathematis, non accreſcit alia authoritas quam quæ ab eo dogmate conciliatur, quod Concilium Tridentinum legitimè fuerit convocatum, continuatum, & comprobatum à capite omnium Chriſtianorum, rectore ſummo & gubernatore Eccleſiæ Catholicæ & Chriſti vicario in terris, infallibili poteſtate prædito cogente, in omnes ordines hominum, cujuſcunque dignitatis illi ſint, ſeu Reges,

Digitized by Google

ges, ſeu ſubditi, extra cujus Communionem non ſit ſalus, ut expertia ſunt vitæ membra quæ non ſunt ſuo capiti annexa; ſuperflua erit omnis controverſia, de authoritate Eccleſiæ, de primatu Papæ, ejus infallibilitate; nec niſi intra ſuum territorium, aut dioceſim ſuam, Papa erit judex controverſiarum, atque earum duntaxat quarum quæſtio mota eſt in vicinia urbis Romæ, nec habebit poteſtatem extrahendi animas ex purgatorio, aut indulgentias concedendi, præterquam ſubditis ſuis degentibus in Papatûs territorio, aut ſuæ dioceſi; intra quam Papa Gelaſius coercebat poteſtatem cujuſque Epiſcopi indulgentias dandi & conferendi.

Ipſum purgatorium corruet cum authoritate Papæ, cujus erat promus condus, cenſuræ Papales erunt bruta fulmina, nec magis timenda ab Hiſpano, Gallo, Germano, Polono, quam quæ ab Epiſcopo Pariſienſi intorquentur: nam omnia præſtandi quæ præſtat Papa par & æqua erit authoritas, & huic & illi: Ut ex æquo utrique ſit poteſtas & authoritas diſpenſandi à votis, matrimoniis legitimè contractis aut contrahendis. Reges & principes non amplius erunt ſodales clericorum: tot Monachorum mandræ, ſodalitia, colligatæ ſedi Papali, ſoli & ſuo Regi obnoxiæ erunt; vel ſaltem ſuo metropolitano ſubjicientur: & quicquid ſeparatim habent privilegiorum, Papæ beneficio, id imprimis aſcribent Principi ſuo: omnes Papales collationes, proviſiones, monitiones, diſpenſationes,

tiones, diplomata, bullæ pallium tanquam bullæ aquæ ſaponis ad minimum halitum diflabuntur: immenſa pecunia quâ Papa exhaurit puta Galliam, redierit ad ſuum Dominum; Tranſubſtantiatio, auricularis confeſſio, ademptio calicis quæ ſtante imperio Papæ, eum ejuſque clerum conſtituunt dignitate & authoritate, ſuperiorem terrarum Dominis, nullius erunt authoritatis nec pretii, poſtquam & Papa & clerus longè infra Reges & Principes ſubſidebunt. Eoque minor horum dogmatum authoritas erit, quod authoritas & perfectio ſua redierit ad Sacram Scripturam, per caſum imperii Papalis, ad quem caſum, concidet omnis authoritas Eccleſiæ Romanæ, quatenus volunt eam eſſe Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, poſtquam non erit ejus magis rector, gubernator & caput, quam Archiepiſcopus Pariſienſis. Concidet pariter cultus linguâ Romanâ celebratus, qui cum ſit imperii Papalis firmamentum, & ſervitutis authoramentum, non faciet longam moram apud eos, qui ſe ab ejus imperio abſtraxerunt, ejuſque jugum excuſſerunt.

Cujus Barbari involucri caſus penè ſolus, detrahet authoritatem omnibus Romanenſibus dogmatibus & doctrinis, poſtquam per Miſſam intellectam, tam veritas eorum quæ reticentur, quam mendacium aut fucatum aut preſſum impiarum doctrinarum diſpaleſcent, & quaſi in propatulo erunt.

Nec magna erit authoritas, concidente impe-

imperio Papali, quadrageſimæ & diſtinctionis ciborum, imperatæ à Papa, ubi lex & modus de vænalibus in mercatu & foro dabuntur non à Papa, ſed à Rege: Et ubi nulla erit authoritas mancipiorum, & eorum quos Papa intulit cælo, per Canoniſationem; per ruinam Papalis imperii, vileſcet invocatio ſanctorum. Denique cum teſte Bellarmino, Poteſtas Papæ ſit fundamentum, quo tota compages Papiſmi nititur, & fulcitur oportet, ut per ruinam illius hic concidat, & ruat.

Sed nihil apertius docet omnem doctrinis ſecundæ Claſſis, at nullam dogmatibus primæ accedere authoritatem ab imperio Papali, eoque terreno, robore & divitiis florenti quam quod nemo reperiatur eorum, qui illud imperium excuſſerunt, qui retineat, vel unum dogma doctrinarum ſecundæ Claſſis, tanquam partem ſuæ fidei, aut putet eatenus eſſe neceſſarium, ut inde aut in meliorem aut doctiorem ſe evadere credat; quin ponat inter tam vana & inutilia, quam peritum eſſe in dogmatibus pridem exploſis Nicolaitarum, Valentinianorum, Montaniſtarum & Ophitarum: imo non credat peccatum eſſe bonas horas collocare in hiſce, niſi eatenus ut errantem ab eis abducat ad veritatem.

At quotuſquiſque eſt, pius, veritatiſque amans & perquiſitor accuratus, qui nullum commercium habens vel cum Papa, vel cum Eccleſia Romana, putet inutilem eſſe operam venire in ulteriorem cognitionem doctrinarum

N de

de gratia, de peccato originali, & de modo quatenus ad poſteros dimanavit; atque de natura, tum vocationis Divinæ, per quam homo transfertur à ſtatu peccati regnantis, ad Deum & vitam novam, tum Paſtorum, & quem non delectet & juvet tractare aut legere, diſſertationes de Eccleſia; de poteſtate & authoritate Paſtorum: denique qui non aveat doctum eſſe in illis quæ prima Claſſe comprehenduntur.

Hiſce fides aſtruitur, quod qui excuſſit Papæ jugum, ſive intra pomeria Papæ vivat, ſive longè ab eo ſit poſitus, ſemper aliquid inveniat, aut boni aut veri, ſaltem veri aliquam probabilitatem in diſcutiendis doctrinis illis primâ Claſſe concluſis: licet forſan varia ſint ſuper illis judicia eorum, quibuſcum Communionem ejuſdem Religionis colit, concors tamen in ſumma rei: at idem, ne minimum veri aut boni colorem reperiat in tractandis dogmatibus ſecundæ Claſſis, ut doctior aut melior ſe reputet per cognitionem dogmatum de purgatorio, de cultu imaginum, de diſtinctione duliæ & latriæ; differentia inter imaginem & idolum; de indulgentiis Papalibus, de meritis & operibus de condigno & congruo, de ſacrificio cruento & incruento, & ejuſmodi, niſi per accidens, & ea mente ut hiſce deliriis laborantes & correptos curet: quæ quidem docent non ulterius quemquam hiſce ſecundæ Claſſis dogmatibus addictum eſſe, quam quatenus gratiam & authoritatem illis conciliat imperium

rium Papæ, pompâ & divitiis coruſcans, & inde aliquod commodum, aliqua utilitas in ejus rationes redundant, ſiquidem eorum cognitio ſordeſceret apud eum qui id imperii excuſſiſſet, & ſi inde aliqua utilitas mundana non accederet.

Docet inſuper hæc reputatio, dogmata ſecundâ capſulâ incluſa, pretium ſumere ab imperio terreno Papæ circumquaque coruſcante, & fulgente; quod videas plerumque Romanenſes doctores ad illa tanquam ad ſcopulum adhæreſcere concordibus animis & ſententiâ obfirmatâ, utut reipſa vana & futilia; at ſententiis variare in dogmatibus primæ Claſſis, quæ ſunt ſeria & magni momenti, in quibus plerumque ſenſus orthodoxos habent, aut ſaltem abeunt à ſententia recepta in Eccleſia Romana, non ſe reputantes perinde obſtrictos adhærere ſententiæ, quam Eccleſia amplectitur, & ſuper quibus ſenſa ſua & mentem decreto non expreſſit diſertè, ut Concilio Tridentino ſolenne fuit decreta condere de dogmatibus, tum primæ, tum ſecundæ Claſſis, & utriſque quidem ſuam authoritatem imprimere, minus tamen expreſsè & clarè doctrinis primæ Claſſis, quaſi latam portam daret doctoribus Romanenſibus, & licentiam diverſa ſentiendi in doctrinis primâ capſulâ concluſis, ut in doctrinis de gratia, de peccato originali, de juſtificatione, de meritis in quibus non eſt eadem ſententia Dominici à Soto, quæ Vegæ; nec Janſenii quæ Molinæ: ſed in purgatorio, invocatione ſanctorum,

ctorum, cultu imaginum, confeſſione auriculari, cæteriſque dogmatibus ſecundæ Claſſis, quæ arcto vinculo honorum, utilitatum mundanarum, reique aut familiaris, aut culinariæ copulant omnia membra Eccleſiæ inter ſe, junguntque Papæ, ſedulò, cavit Concilium ne diſſiliret id corpus, ſed unà conſtans omnium eſſet ſententia: qui poteſtatem Papæ agnoſcunt, dum expreſſim, diſertis & conceptiſſimis verbis, omnia illa dogmata ſecundâ capſulâ concluſa decrevit. Nempe cenſuit Concilium, grande illud eſſe arcanum imperii Papalis, ne quis concepta dogmata, ut in prima, ſic in ſecunda Claſſe traheret in varios ſenſus, hæſitando perinde in hac ac in illa; nam id fuiſſet Papale imperium convellere.

Nec leve eſt quod licet Romanenſes Doctores arctè adhæreant dogmatibus ſecundæ Claſſis, nec audeant in illis eſſe ἰδογνώμονες, aut ſenſum & ſententiam retinere ſeparatim & diverſam ab ea quæ diſerto Canone Concilii Tridentini concipitur: attamen in pleriſque fateantur ſe ea potius arripere permotos authoritate Eccleſiæ ſuæ, quam pervictos aut vi rationis aut authoritate Sacræ Scripturæ, ut aliquot exemplis palam faciam ſequenti capite. Jam cùm probaverimus, authoritatem Eccleſiæ Romanæ eandem eſſe quæ authoritas imperii Papalis pompâ robore & divitiis florentis, quis dubitet per eam conſiderationem edoceri doctrinas Romanenſes omnem authoritatem debere iſti imperio?

Id

Id etiam fidem facit accedere authoritatem dogmatibus ſecundæ Claſſis non primæ ab imperio Papali divitiis florenti, quod cum ſint dogmata primæ Claſſis difficiliora cognitu altioriſque contemplationis; ſecundæ verò Claſſis δόξαι aut materia de illis ſint magis obviæ & expoſitæ intelligentiæ, & penè ad captum rudiorum, in his tamen turpiter ſemper erraverint Romanenſes; in illis verò plerumque ſana docuerint & retinuerint, ſaltem ſuper eis elucidationes & enodationes rationi conſonas ediderint: quod docet ultrò & deſtinatò Romanenſes ceſpitare in plana via doctrinarum ſecundæ Claſſis: atque à ſua cuique utilitate aliqua commoveri & abripi ad arripienda ea ſecundæ Claſſis dogmata; nempe quia magis faciunt ad ſupportandum Papæ imperium & augendam rem familiarem: id clarius fiet per collationem Patrum imprimis Juſtini Martyris ad Doctores Romanenſes hodiernos, reputando illos in dogmatibus difficilioribus & altioris intellectûs graviter ceſpitaviſſe, qualia ſunt dogmata primæ Claſſis; at ſaniores extitiſſe in dogmatibus ſecundæ Claſſis: eam potiſſimam ob cauſam, quod viris ſanctis ſolenne fuerit caligare ad ſublimia & difficilioris intelligentiæ, adeoque pronus fuerit lapſus ad errorem; at recta ſenſerint in dogmatibus ſecundæ Claſſis quæ ſunt facilioris intellectûs, ut ſunt doctrinæ de Sacramentis, de ſtatu mortuorum poſt hanc vitam, de cultu aut Dei aut creaturarum, de confeſſione peccatorum, de matrimonio cle-

ricorum, in quibus nullo Papæ beneficio à vero & recto abducti ſunt, nec fulgore imperii Papalis excæcati ſunt, ut ſua dogmata inflecterent ad incrementum imperii, quod tunc nullibi comparebat.

Profectò reputatio, tum de Juſtino Martyre deſipiente (pluſquam infans delirat) in ſublimi argumento & illis capitibus quæ ſunt reconditioris comprehenſionis: at orthodoxo in materia fidei expoſita etiam rudiorum intelligentiæ, tum de Eccleſia Romana, ejuſque doctoribus orthodoxis in ſublimi materia fidei, altioriſque & difficilioris intelligentiæ: at deſipientibus in materia tam facilis intelligentiæ quam ſunt prima rudimenta Grammaticæ, ſæpe variè animum meum excercuit, admiratione & ſtupore; nam hic Pater in doctrina de Trinitate, de eſſentia Divina, exiſtentia Dei, providentia, omni præſentia, attributiſque Divinis, videtur ejus mens planè hebeſcere: at in doctrinis de ſacramentis, de traditionibus, de perfectione Sacræ Scripturæ, deque cæteris fidei capitibus, & de credendis & agendis ut viam quæ ducit ad cælos iniſtamus, nec lux, nec ratio, nec recta fides ei defuerunt, viciſſim videas Romam orthodoxam in dogmatibus ſublimioris contemplationis difficilioriſque captûs, in quibus Juſtinus ceſpitavit; & plane hebes fuit: at in illis fidei capitibus quæ ſunt obvia & expoſita etiam abecedariorum captui, heterodoxam & impiam, imo planè deſipientem.

Sed propius inveſtiganti cur Juſtinus erraverit

verit in argumento ſublimi: at recta ſenſerit in materia obvia & expoſita cujuſque comprehenſioni, viciſſim Romanenſes doctores ſaniora arripuerint ubi Juſtinus erravit, verùm illi erraverint, ubi hic recta ſectatus eſt, hæc potiſſimum cauſa occurrit: nempe cum Roma tota ſit congeries & compoſitum fraudum, technarum & tela conſutorum dolorum, cujus tota Religio imprimis flexa eſt ad fulciendam dominationem Papalem, vel rem familiarem augendam, rectiora ſentit in dogmatibus, quanquam altioris comprehenſionis, quæ non officiunt huic privatæ utilitati: at longè à vero abit in dogmatibus de purgatorio, de cultu imaginum, invocatione ſanctorum, quibus maximè, vel dignitas imperii Papalis augetur vel res familiaris inde aliquod emolumentum accipit. Licet ſint mera deliramenta & puerorum næniæ: circa quas nemo communi ſenſu præditus hæſitaret, niſi aut excæcatus privato compendio, aut caligans ad fulgorem Papalis imperii.

Cæterùm non tantum verum eſt doctrinas Romanenſes omnem authoritatem recipere ab imperio Papali, eoque terreno, divite, robore & pompâ illuſtri, ſed & ipſius Papæ Epiſcopatum & functionem quâ ſe infert caput Eccleſiæ, Vicarium Chriſti & ſucceſſorem Petri, à ſola Majeſtate, magnificentia, robore & divitiis, imperii ſui, omnem authoritatem derivare: Nam & ipſe Papa dum ſe diu conſpicit (tanquam in ſpeculum) in imperium ſuum terrenum, licet ſolummodo ſuburbica-

Digitized by Google

rium, commutavit Epiſcopatum univerſalem in imperium & dominationem terrenam in Reges & nationes tam latè patentem, tum ejuſdem naturæ, quam eſt imperium privati ſui Dominii & territorii; quaſi qui eſt Doctor utriuſque Juris ubique in Europa, ſibi arrogaret imperium terrenum tam latè porrectum, quam ipſius poteſtas aut facultas jus dicendi, atque idem faceret Doctor aut Theologiæ aut Medicinæ, imo pictor, aurifaber: nam id fecit Papa. Iſque æquo jure, non virtute ſuæ functionis, aut Papalis aut Epiſcopalis, ſed ſacerdotalis quæ nullis terrarum limitibus coercetur, poſſet ſibi imperium in totum orbem vendicare. Certè tam inſicerè & abſurdè id fieret quam quod uſurpat Papa, dum tam latè diffundit ſuum imperium terrenum quam ſuam Papalem functionem, cui non magis quam functioni medicorum aut Grammaticorum competit aut imperium aut Juriſdictio. Id dicunt disertè quatuor Epiſcopi in ſua Epiſtola circulatoria ad Præſules regni, quâ queruntur de diplomate Papali, eos in negotio Janſeniſmi proſcribente.

" Comme le Pape à deux qualitez, celle de " chef de Prince temporel, & celle de chef " de l'Egliſe, on les confond tellement en- " ſemble, que lors qu'il ne s'agit que des " fonctions de la derniere, qui ne doit rien " avoir que de ſpirituel & de Divin, on eſt " ſujet à y méler beaucoup de cet eſprit de " grandeur mondaine qui inſpire la premiere. " Et c'eſt ce qui fait, que la ſeule qualité de

" ſucceſ-

"ſucceſſeur des Apôtres, quand elle eſt de-
"ſtituée des appuis mondains, n'attire guere
"le reſpect en un lieu, où ceux qui ont plus
"de credit aupres des Souverains Pontifes,
"ſont accoutumez de regarder les choſes par
"des veuës plus Politiques qu'Apoſtoliques.

Summa eſt cum Papa duas in orbe Chriſtiano ſuſtineat perſonas; alteram Epiſcopi & capitis Eccleſiæ, functionem quæ merè ſpiritualia ſapit, alteram Principis terreni ſupparem Poteſtatibus ſecularibus: accidit ut fulgor ille mundanus gratiam & authoritatem conciliet primæ perſonæ apud illos, quorum oculi externa potius ſpecie & pompâ, atque intuitu potius Politico quam Apoſtolico in Papam feruntur.

Hic ſuccurrit grave dictum & pronunciatum à Plinio Juniore, quod eadem aut dicta aut facta, vel obſcuritate, vel celebritate authoris ſui, aut tolluntur altiſſimè aut humillimè deprimuntur: namque tam clara, tam illuſtris Veritas, quæ in ore & Pontificiorum & eorum qui ſunt infulâ Epiſcopali conſpicui, non poteſt humi jacere non intellecta, aut non avidè à pluribus arripi, ſordeſceret in ore Proteſtantis, multò magis ſi eſſet de gente laica, nec digna cenſeretur, ad cujus auditum quiſquam, (multò minus Princeps aut ſapiens mundi) aut negotia ſua moraretur aut feſtinationem inhiberet, unde tamen multa & egregia corollaria deduci poſſunt. Lib. 6. Ep 21.

1. Nempe Papam Romanum de conditione Epiſcopi urbis Romæ, cum Collegis & æquali-

æqualibus juxta ſubditi Poteſtatibus ſecularibus, per acquiſitionem territorii non ſolum æquales & ſymmyſtas Epiſcopos ſibi ſubjeciſſe haud perinde territorio auctos, ſed de ſubdito parem factum terrarum Dominis, majora agitaſſe, nempe ut & illos pariter ſibi obnoxios aliquando haberet.

2. Quod cum deſperaret ex conditione Principis ſecularis anguſti territorii Domini, id peregiſſe per hanc fraudem, dum præſtructim & per gradus Epiſcopatum ſuum univerſalem & Catholicum (ad omnes ex æquo magnarum ſedium Epiſcopos diu pertinentem) nec magis reipsâ Catholicum & univerſalem jure Divino quam ſacerdotium aut miniſterium Evangelicum, non ſolum ſibi ſoli reſervavit, ſed & revera in imperium terrenum tam latè patens quam nomen Epiſcopi univerſalis, commutavit.

3. Sed ne fraus ſuboleret, illud imperium terrenum ſibi retinuiſſe ſub vocabulis Eccleſiæ Catholicæ, cui præſit Pontifex Maximus ſucceſſor Petri Apoſtoli in regimine Eccleſiæ univerſalis.

4. Ex eo ſplendorem & Majeſtatem Imperii ſuburbici maximo cum incremento & fœnore peperiſſe imperium terrenum univerſale, per combinationem & conjunctionem univerſalis Epiſcopatûs cum anguſti limitis territorio: quod quidem fuit pulvis projectionis quæ admiſta Epiſcopatui univerſali, huncce in imperium commutavit ejuſdem naturæ cum ſuburbicario imperio, ſed tam longè

gè lateque porrectum quam Epiſcopatum univerſalem: ut jam Papa, jure Dominii terreni, non ſolum teneat ſuburbicariam partem Italiæ, ſed & magnam partem Europæ, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, & totam Italiam. Ipſe verò ab illorum regnorum incolis ſpecie quidem ut Epiſcopus, ſed reipſa propter imperium terrenum & gloriam mundanam Principis temporalis, ut loquuntur quatuor Epiſcopi, obſervetur & ſuſpiciatur.

5. Neque id novum incœptum Papæ, nam quod fuit molimen omnium ex æquo Epiſcoporum quarto, quinto, & ſexto ſeculo, ut Epiſcopatum ſuum in poteſtatem & dominationem ſecularem commutarent, id ſedulò ad optatum provexit Papa Romanus. Id ipſum dicebant Epheſinæ Synodi Patres, cum metuebant μὴ ἱερουργίας προσχήματι ἐξουσίας κοσμικῆς τύφος παρεισδύηται, *ne Epiſcopali dignitati, ſacræ functionis obtentu ſecularis authoritatis typhus obreperet*: nam ſi ullibi locorum, Epiſcopatus verſus eſt Romæ in τυραννικὴν ἐξουσίαν & αὐτονομίαν ut loquitur Iſidorus Peluſiota Epiſtolâ ad Theodoſium, ἐπειδὴ εἰς ἀρχὴν, μᾶλλον δὲ εἰ χρὴ μετὰ παῤῥησίας εἰπεῖν εἰς τυραννίδα, αὐτὸ μεταῤῥυθμίσαν τινες: *quia nonnulli in dominatum vel potius, ſi liberè loquendum eſt, in tyrannidem commutaverunt.* Socrates Hiſtoricus dicit Epiſcopum Alexandrinum agmen omnium duxiſſe, à quo Epiſcopus Romanus cœperit exemplum; ut jam veritas Epigraphes hujus capitis ulteriori hac veritate locupletetur, nempe non ſolum doctrinas Romanenſes,

nenſes, ſed & inſulam Epiſcopalem, & Papæ functionem, pretium, & authoritatem accipere ab ejus imperio terreno, pompâ, fulgore, robore & divitiis illuſtri: nam id dicunt in ſumma rei quatuor Epiſcopi in hoc fragmento Gallico.

Et ſanè, ubi Papa per poſſeſſionem territorii ſuppar fuit terrarum Dominis, qui ſuperiorem non ferebat, parem diu non tulit, eique accidit quod Titus Livius narrat de virorum Principum in magiſtratura uxoribus: quarum cultui & toti mundo muliebri, cum modus impoſitus eſſet per legem Oppiam, eamque legem reſcindi vellent, viri aliquot accenſi ad id ab uxoribus. Porcius Cato è contra diſſuadebat vehementi oratione abrogationem legis, quæ detrahebat uxoribus, currum, faſces & inſignia, quibus viris æquabantur, eam potiſſimam ob cauſam, quod augurraretur ſi ſemel uxores paria facerent cum viris, proximum fore ut ab illa æquatione pergerent ad imperium vendicandum in maritos, *quod ſi* (inquit) *ad extremum exæquari viris patiemini, tolerabiles vobis fore creditis, extemplo pares eſſe cœperint, ſuperiores erunt.* Profectò hæc non fabula, ſed Hiſtoria eadem narratur de tota Paparum gente.

Niſi metuerem ne hæc diſſertatio in ſpiſſiorem molem creſcat, præſtò haberem novum argumentum longè validiſſimum quo dilucidè palam facerem, non ſolum doctrinas Romanenſes, ſed & Papæ primatum, omnia Romanenſia, ſeu Papalia Concilia imprimis

Tri-

Tridentinum, non aliam habere authoritatem quam quæ conciliatur illis à plena, inconcuſſa, & immota poſſeſſione imperii Papalis terreni longè latéque patentis; tum pompâ, divitiis & robore illuſtris, eòque firmiore poſſeſſione, quod illud imperium ſit fucatum vocabulis Eccleſiaſtici, & ſpiritualis: atque id argumentum petitum eſt ab hac reputatione, quod cum Papa debeat iſtius imperii fucati plenam poſſeſſionem ſolis decretalibus, nono demum ſeculo fabricatis, atque tunc & deinceps creditis & receptis pro genuinis & veris veterum Epiſcoporum ſcriptis, attamen ejuſdem imperii habeat hodie, plenam, quietam & immotam poſſeſſionem, etiam poſtquam falſitas & fraus illarum Epiſtolarum ſunt compertæ: Ut id liquidius edoceam, lubet ſummatim recenſere præcipuas technas & fraudes quibus myſterium iniquitatis de quo St. Paulus ſecundo capite ſecundæ Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes loquitur, incœptum, auctum & ulterius provectum eſt, quoad Papa evaſerit ad id Culminis quod nunc inſidet.

Porro illarum fraudum & impoſturarum, quibus tanquam gradibus & præſtructim Papa pervenit ad plenam poſſeſſionem imperii terreni divitiis & pompâ illuſtris, tum perſonati & fucati vocabulis Eccleſiaſtici & ſpiritualis quibus authoritatem & fidem conciliat doctrinis Romanenſibus: quædam ſunt adhibitæ, antequam Papa caput efferret, imo ipſo tempore St. Pauli, aliæ demum Papa revelato.

1. Cum

1. Cum ergo tota tela myſterii iniquitatis eſſet imperium terrenum Papæ ædificatum in Principes & nationes ſub involucro & fuco Poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis ſeorſim habendæ, primum telæ filum & molimen fuit imbuere animos hac perſuaſione mundum regi debere per duas Juriſdictiones collaterales, alteram Eccleſiaſticam, alteram civilem, hanc cui Magiſtratus & Poteſtates ſeculares; illam (nomine tenus Eccleſiaſticam, cum revera ſit ejuſdem naturæ quæ poteſtas Magiſtratûs) cui Paſtores Evangelici præeſſent, & quibus omnis ordinis homines de gente laica, cum Magiſtratus, tum ſubditi, ſed Chriſtiani ſubeſſent & obtemperarent.

2. Secunda fraus ſeu techna fuit in hoc molimine, ut de agmine Paſtorum jure Divino æqualium, unus de illis per προστασίαν Epiſcopalem haberet in cæteros eandem Juriſdictionem, quæ arrepta fuerat & vendicata à toto agmine Paſtorum in greges Chriſtianorum, Magiſtratus & populos: atque hæc προστασία fuit ſcala aſcenſûs ad Papatum, porro hujus ſecundæ fraudis primum rudimentum habemus in Diotrephe; at primæ in illis qui, 1 Petri cap. 5. verſu 3. imperio, magis quam doctrinâ & exemplo volebant regere greges Chriſti.

3. Tertia fraus cœpit ex occaſione tribunalium Epiſcopalium, ſeu Eccleſiaſticorum conſtitutorum à Conſtantino Magno diſtinctorum à civilibus curiis, ex qua occaſione, tum cadentis in occidente imperii, Epiſcopi confirmati

284

firmati ſunt in conſilio & propoſito ſibi vendicandi & retinendi Juriſdictionem Eccleſiaſticam, non tanquam à Conſtantino habitam, & derivatam, & per diploma Imperatorium, ſed à Chriſto collatam, & virtute clavium, & poteſtatis ligandi & ſolvendi, in ſolos Paſtores.

4. Quarta fraus fuit, ut uni Eccleſiæ Catholicæ, una tribueretur Juriſdictio Eccleſiaſtica, ut tam hæc quam illa latè pateret, unumque daretur in orbe Chriſtiano tribunal ſpirituale, cui cum par ſit ut una perſona Eccleſiaſtica præſit, nulla aptior viſa eſt Epiſcopo Romano urbis præſule, quæ diu fuit caput imperii Romani.

5. Cumque Imperium Romanum nuncuparetur etiam ab Ethnicis, Catholicum, œcumenicum, Roma diceretur caput, ſenatus verò conſilium, ut loquitur Cicero, orbis terrarum: Cumque Epiſcopus Romanus ſemper in longum agitaret conſilia de parando ſibi imperio terreno ſuper ruinis imperii occidentalis, ſeque circa initia & quoad iſtius imperii compos fieret, vocaret ad modum aliorum Epiſcoporum Catholicum & œcumenicum Epiſcopum, hoc eſt orthodoxum & profitentem fidem Catholicam in imperio juxta Catholico. Cum inquam Epiſcopus Romanus ad hunc modum ſe gereret, factum eſt poſtmodum adepto illo imperio terreno ut illud haberet ſub involucro & fuco imperii ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis; inſuper retentis cognominibus Epiſcopi Catholici

Digitized by Google

lici univerſalis & œcumenici, in quibus vocabulis conſtitit hujus fraudis quintæ potiſſima ratio: fraudis ſanè non abſimilis illi quâ uſus eſt Auguſtus, cum initio imperii retinuit eadem Magiſtratuum vocabula, quaſi vetere & libera Republica: nam Papa adepto territorio, & paria faciens, cum mundi Dynaſtis, imperium terrenum quod in eos moliebatur ſtuduit probare illis & acceptum reddere, ſub iiſdem vocabulis, *Catholici*, *œcumenici, Eccleſiaſtici* & *ſpiritualis*, quibus vellet & intelligere & ab illis intelligi, ſe eſſe non Epiſcopum orthodoxum, & fidei Catholicæ addictum, ſed imperii Catholici (quod Reges & nationes mundi in orbe Chriſtiano capit) Dominum.

6. Sed cum nondum roborato Papali imperio terreno in Reges & populos per plenam poſſeſſionem, omnes illæ fraudes infirmi eſſent tibicines, pro quibus non militabant, nec Scriptura, nec ratio, non Patres; imo nec quatuor prima Concilia: quin contra Canones quatuor illorum Conciliorum ſpes aſſurgentis imperii præciderent & diruerent: atque molienti aſcenſum obviam irent. Cum Poteſtates ſeculares, tum Epiſcopi magnarum ſedium, qui ſe æquales Romano vendicabant, & ex æquo Apoſtolorum ſucceſſores: adeoque Papæ ſpes & imperium ad ruinam eſſent quotidie pronæ: Re Paparum ſic diſperata penéque perdita, ulterius promovendi Imperium ſuum, ut quando ad triarios venit, ab audacia conſilium ſumpſerunt circa me-

Digitized by Google

medium noni ſeculi temerarium quidem, & quod ſi diſpaluiſſet, & Papam, & ſpem imperii in ipſo exortu peſſumdediſſet, ſed eventu felix: Id conſilium fuit fabricare decretales Epiſtolas Clementis, Anacleti & Epiſcoporum Romanenſium, quibus is modus imperii & poteſtatis qualem exoptabant in Epiſcopos Romanos conferebatur: nemine eo ſeculo quo cuſæ ſunt & deinceps ſatis oculato, qui harum Epiſtolarum fraudes detegeret: non Hincmaris eodem ſeculo nono, cum Rhemenſi, tum Ladunenſi: non Arnulfo ſeu Rhemenſi, ſeu Aurelianenſi in cauſa prioris, illas impoſturas pervidentibus: quin poſtmodum Iſidoro, Burchardo, Juone Carnutenſi, Gratiano, Benone, Lombardo, Cajetano, Alfonſo de Caſtro, illas Epiſtolas pro veris agnoſcentibus: Nec per plura ſecula quiſquam in Gallia, Hiſpania, Germania refragatus eſt earum authoritati; maximæ ſanè (& majoris quam quicquid contra Papæ poteſtatem vendicatam allegabatur à Patribus & Conciliis) ad mancipandum Papæ, omnem poteſtatem, omnes Eccleſias, Epiſcopos, ipſam fidem; ſi præſupponitur illas Epiſtolas, vera eſſe monumenta: Nam hoc poſito; quorum teſtimonio ſecundum ſcripturam in negotio fidei, Religionis, diſciplinæ habendæ in Eccleſia & uſurpatæ in veteri potius ſtandum erit, quam quadraginta & amplius Epiſcoporum, qui ſeculis quæ proximè contingunt Apoſtolos, vixerunt & vitâ, doctrina & martyrio inſignes fuerunt, & quorum una & conſtans ſen-

Sed una ſola & ſolitaria fraus decretalium plus habuit virium ad parandum Papæ imperium in ſecula duraturum, quam mille aliæ technæ, fraudes, impoſturæ, artes facto agmine & fœdere, adhibitæ ad id moliendum. Cum ergo hæc duo nemo non cenſeat eſſe indubitatæ veritatis. 1. Fidem quam decretales invenerunt in orbe Chriſtiano per plura ſecula longè firmiſſimum peperiſſe imperium Papæ in Reges & populos. 2. Nec tamen hodie Papam debere ſui imperii firmamentum iſtis decretalibus, quarum fraude & impoſturâ, pridem Reges, Principes & ipſi Romanenſes ſunt exoluti, planè ſtatuendum eſt, parem eſſe rationem Imperii Papalis, quæ templi, baſilicæ & palatii: nam quemadmodum illæ fabricæ debent primam ſuam firmitatem & quod durant in plura ſecula, cum operis, tum perticis, fulcris ligneis, fornicibus & tabulatis, ſine quibus latonii, ſtructores & opifices, non poſſunt inſiſtere operi: at ſine quibus tamen fabrica ſemel peracta, ſtat ſtabitque etiam poſtquam opifices iverunt ad plures, & tabulata, aut vetuſtate ſunt collapſa aut flammis conſumpta: par judicium pronunciandum eſt de Imperio Papali in ordine ad decretales. Statuendum eſt decretales fuiſſe illa tabulata ſine quibus imperium Papale nunquam extructum fuiſſet: at ultimâ ſemel manu operi admota ædificio Papali, perinde eſt ad ejus firmamentum ſive decretales veris & genuinis, an verò nothis & ſuppoſititiis annumerentur. Sanè Paulus III. ridebat ina-

nem operam ſuorum qui pro jure quo imperium Papale nitebatur argumenta anxiè petebant & conquirebant ex ſcriptura, ratione, decretalibus, Conciliis & Patribus cum uno argumento præſcriptionis & uſucapionis plurium ſeculorum, ſe abunde tutum prædicaret. Pontificum jus ad imperium, par eſt illi incolarum Cirenes apud Tacitum, qui poſſeſſionem longam per vim & nefas adeptam pertendebant, ſibi jus & æquum acquiſiviſſe. *Cirenes incolæ diutinâ licentiâ & injuriâ quaſi jure & æquo nitebantur.*

Porro de omnibus fraudibus Paulus Sarpius & Fulgentius cenſent ad ſtruendum imperium Papæ in Reges & populos, maximum momentum acceſſiſſe ex introductione Poteſtatis Eccleſiaſticæ in orbem Chriſtianum; illam eſſe, *ſolo centro ove arrivano le lince loro, il fonte onde deriva ogni male:* illam eſſe fucum & larvam quo circumſcribunt Papæ Mundi Monarchas; illam fuiſſe equum ephippiatum per plura ſecula curatius adornatum, priuſquam Papa in ejus dorſum evaderet. Profectò tempore Gelaſii, jam ſe ſupra Reges & Principes extulerat Poteſtas Eccleſiaſtica, licet Papa nondum ei, ut caput aſſueretur, Diſt. *96.* c. ſi Imperator. *Seculi Poteſtates Deus Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubjectas.* Et ibid. *obſequi ſolere Principes Chriſtianos decretis Eccleſiæ, non ſuam præponere poteſtatem: Epiſcopis caput ſubdere Principem ſolitum, non de eorum Capitibus judicare.* Nam licet potiſſimum decretalium beneficio, Papæ venerint

Il maſchara.

in

in poſſeſſionem imperii in Reges & nationes, divitiis, pompâ & robore, magnifici, eòque duraturi; certum eſt, non ſolum ante decretales Papam debuiſſe ſuum modulum aſcensûs Poteſtati Eccleſiaſticæ, aut potius opinioni animis hominum altè infixæ de neceſſitate iſtius poteſtatis habendæ: etiam Papa non comparente ad ejus clavum, ſed & poſtquam fraus decretalium ſuboluit, & Papa affixus fuit huic poteſtati, ut caput corpori humano, durationem Papalis imperii rebus Papæ perinde florentibus, atque tempore Gregorii VII. & Innocentii III. aſcribendam eſſe opinioni longè profundius radicatæ mentibus, cum Pontificiorum, tum Proteſtantium de neceſſitate, ut Eccleſia habeat ſeparatim, ſuum forum, ſuos Judices, ſuas leges, ſuam poteſtatem, quam unquam ejus perſuaſio inerat ante ævum decretalium introductarum: quæ quidem hodie ſic roborata eſt, ut is qui ſedet ad clavum iſtius poteſtatis adhibeat, non ſuos ſatellites & apparitores, ſed alienos ad exſecutionem ſuæ cenſuræ, more longè diverſo ab eo quem uſurpabant Epiſcopi magnarum ſedium, Romanus, Alexandrinus & Antiochenus, quorum poteſtas Eccleſiaſtica, licet ſeculis quarto, quinto & ſexto, cum intra, tum extra ſuam aut provinciam aut dioceſim agnoſceretur, nunquam tamen tanta ejus fuit authoritas apud diſſitos Magiſtratûs à ſede Epiſcopi, ut ſe reputarent conſtitutos à Deo (quemadmodum faciunt hodiernæ Poteſtates quæ Papæ parent) præfectos exſequendæ ſententiæ

Epiſcopi; ſed teneretur lator Epiſcopus propriæ ſententiæ, ſuos ſatellites, militeſve, ſaltem exoratos à præfecto urbis mittere ad ea loca, ubi perſona judicata aut cenſuræ ſubjecta commorabatur, ut liquet ex Epiſtola Patrum Africanorum ad Cæleſtinum in cauſa Appiarii.

Jam cur poteſtas Eccleſiaſtica plus illudat mentibus Regum & populorum qui parent Papæ, etiam poſt fraudem decretalium detectam, quam illis nondum confictis, cauſa redditur à quatuor Epiſcopis Gallis in ſua Epiſtola circulatoria, cujus verba modò retuli, nempe cum fulgor ille mundanus imperii Papalis terreni per decretales & poſt decretales longè major & illuſtrior eſſet, quam ante, factum eſt poſtquam fulgor ille mundanus oculos omnium perſtringens & amorem aut terrorem concilians ſe intulit, ſub involucro & ſpecie imperii Eccleſiaſtici; factum eſt inquam, ut quantò & quando major erat authoritas imperii terreni Papæ (quod evenit decretalibus demum fabricatis,) tantò major eſſet authoritas fides & gratia dominationis ſeu Poteſtatis Eccleſiaſticæ apud omnium ordinum homines, ſub quarum fuco & tectorio ſe infert imperium Papæ terrenum. Atque hæc eſt vera ratio cur nunc huic idolo poteſtatis Eccleſiaſticæ plus cultûs impendatur, tam à Pontificiis quam à Proteſtantibus, quam ante decretalium ortum.

Atque puto hoc auctario, hâc mantiſsâ argumenti me validiſſimè probaviſſe authoritatem

tem Papæ, Eccleſiæ, Religioni & doctrinæ Romanæ imo ipſi poteſtati Eccleſiaſticæ conciliari à ſolo Papæ imperio, divitiis & pompâ illuſtri.

CAPUT XI.

Continuatio Materiæ agitatæ ſuperiori capite, in qua docetur, ut ſub nomine Eccleſiæ Romanæ intelligendus eſt ſolus Papa ejuſque imperium terrenum, ſic à ſolo illo imperio terreno divitiis florenti conciliari authoritatem omnibus Romanenſibus doctrinis imprimis Tranſubſtantiationi.

ANte omnia probandum eſt quod nomine Eccleſiæ Romanæ ſolum Papam intelligant doctores Romanenſes, imo quod per eam Eccleſiam ſolus Papa intelligi debeat, nec poſſit alius intelligi, ut inde conficiam longè à vero abire qui omnem authoritatem Eccleſiæ adeoque infallibilitatem locant ſeu in Papa ſolo, ſeu in Concilio cum Papa juncto, ſed illos qui illam authoritatem ponunt in Concilio, ut faciunt Janſeniſtæ & Sorboniſtæ in ſua cenſura, multò longius à vero & recta ratione diſcedere quam Jacobum de Vernant, qui eam authoritatem volunt reſidere in ſolo Papa.

1. Cum velint doctores Romanenſes, donum infallibilitatis & ἀναμαρτησίαν in perpetuum judicem, vivum, vocalem, loquentem, præſentem conferri, non poteſt illa infalli-

bilitas cadere in Eccleſiam Catholicam, nec in Concilium aut conventum ab Eccleſia Catholica deputatorum, qui cum nequidem ſemel toto ſeculo in unum conveniant locum; oportet per intervalla Concilio vacua, aut nullus ſit in Eccleſia judex, præſens, loquens, vivens; aut is ſit Epiſcopus Romanus. Illud eſt Bellarmini, Andradii, Becani, & Stapletoni argumentum, quod nulla ratione video poſſe eludi aut infirmari à quoquam Romanenſium qui tribunal infallibilitatis ponunt intra cancellos Eccleſiæ Romanæ, ſaltem Concilio cum Papa affigunt.

2. Cum autem Canones conciliorum, ſcripta Patrum, conſtitutiones Paparum, ſuperis aut potius inferis additorum, ſint perinde muta ſcripta, naſus cereus, Lesbia regula, ut blaſphemant de Scriptura, adeoque non ſint idonei judices, omnino ſoli & uni judicio ſtandum erit vivo & vocali aut nulli: Ideo Bellarminus ſi non rectè & verè ſaltem congruè voluit per, *dic Eccleſiæ* intelligi *dic Papæ*: neque enim ſi per Eccleſiam, intelligenda eſt Romana, & per Eccleſiam Romanam, Concilium cum Papa junctum, poterit de quaquam lite aut controverſia extra Concilium ad alium quam Papam referri: non ergo valet quod qui infallibilitatem Concilio affigunt & hoc Papæ præponunt, allegant inter intervalla Conciliorum horum canones eſſe judices infallibiles: namque cum velint præter normam fidei & regulam ſcripto conſignatam, dari Judicem, ejus regulæ interpretem,

pretem, qui ſit homo vivus, loquens & præſens, hi canones non poſſunt eſſe Judex loquens, vivens & vocalis: cumque hi canones tam ſint muta ſcripta & tam varium ſenſum admittentia, ut patet exemplo canonum Tridentinorum, circa materiam de gratia, de peccato originali & de Juſtificatione, quam quod aiunt de Sacra Scriptura, planè conficitur, ſi Papa recuſandus eſt pro Judice competente, & infallibili, licet ſit ſemper vivus, loquens & præſens, aut ad nullum recurrendum eſſe, aut ad eum quem ponunt Proteſtantes, nempe ſacrum codicem, qui potiore ratione præferendus eſt Canonibus Conciliorum. Sanè ſi nec hi nec ille habendus pro ſummo judice, utpote ex æquo mutus judex, planè eundum erit ad Papam, ut ſummum judicem controverſiarum, quem tamen non admittunt Janſeniſtæ, nec Sorboniſtæ; ut jam non dubitem affirmare, hos & illos dum præponunt Concilium, Papæ, & illud ſumma authoritate in Eccleſia veſtiunt eaque infallibili, cauſâ cadere ante Jacobum de Vernant, qui cum tota Schola & ſocietate Jeſuitarum & infallibilitatem & totam Eccleſiæ authoritatem, vult in ſolo Papa reſidere, atque Vernantii argumenta robore & ſoliditate vincere quicquid in contrarium afferunt Sorboniſtæ.

3. Adde quod nunquam legitur Concilio aſcriptam poteſtatem à Romanenſibus doctoribus, addendi Symbolo, diſpenſandi in Evangelio, votis; faciendi gratiam parendi, Deo, paren-

nio concluſerunt ad numerum eorum qui illam authoritatem Concilio œcumenico affixerunt, reperies illorum numerum centuplo majorem.

Andradius, *fide Papæ noſtra continetur & ex ejus unius authoritate ſalus omnium pendet.* Lib.1. defen. Trid.

Idem, ibidem, *non minor eſt Papæ ad controverſias dirimendas quam Eccleſiæ totius authoritas.*

Cajetanus, *veriſſimum eſt authoritatem univerſalis Eccleſiæ principaliter & totaliter reſidere in Papa in determinando ea quæ ſunt de fide.* In 2.2. qu. 1 art.10.

Gregorius de Valentia. *Pontifex Romanus ipſe eſt in quo authoritas illa reſidet quæ in Eccleſia extat, ad judicandum de omnibus omnino controverſiis.* To.3. in Thom. diſp. 1. puncto 5. S. 6.

Gretſerus, *non recipimus pro verbo Dei, niſi quod definivit Papa in cathedra Petri.* Defens c.1. de verbo Dei.

Audivimus Thomam Aquinatem dicentem in ſummo Pontifice eſſe plenitudinem remittendi peccata, quâ poteſtate nemo unquam veſtivit Concilium.

Quin jus Canonicum ſpoliat omni authoritate Concilia ut illâ induat Papam. *Aiunt in Conciliis ſtatutum non inveniri.* Reſpondeo, *quaſi Romanæ Eccleſiæ Concilia, ullam legem præfixerint: cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas.* Et *nullum ratum eſt Concilium, quod non ſit fultum authoritate ſummi Pontificis.* Cor- Extr. de Elect. caput ſignificaſti. Diſt.17. 1.2.

Cornelius Mus ut vidimus plus uni Pontifici viventi credit quam omnibus Papis & Patribus, quorum ſcripta tantum nobis ſuperſunt.

Lib. 2. de Eccleſia c. 203.

Turrecramata, *Papa eſt metrum ſcientiæ & regula credendorum.*

Qu. 59. art. 1.

Auguſtinus de Ancona, *Novum Symbolum condere ad ſolum Papam ſpectat, quia eſt caput fidei Chriſtianæ, cujus authoritate omnia quæ ad fidem ſpectant, firmantur & roborantur: ſicut poteſt novum Symbolum condere, ita poteſt novos articulos ſupra alios multiplicare.*

In cap. cui. Chriſtus num. 2.

Petrus de Anchorano & Abbas Panormitanus. *Papa poteſt inducere novum articulum fidei.*

Super 2. decret. de Jur. jure. nimis numer. 2.

Hoſtienſis. *Jus canonicum eſt jus Divinum; quicquid Juris promulgat Papa, Deus cujus Vicarius eſt intelligitur promulgare.*

To. 2. Inſt. Paruinæ.

Ferdinandus de Inciſi apud Petrum Ciezam. *In manu Papæ ſunt animæ hominum, & in ejus arbitrio Religio conſtitit.* Uſque adeo ut Bellarminus dicat.

Lib. 4. de Pont. Rom. c. 5.

Si Papa erraret præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere vitia eſſe bona & virtutes eſſe malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.

Grege. X. tit. 7.

Ejuſdem commatis hoc eſt κοινοῦ eſt gloſſa decretalium *Papam de nullo poſſe aliquid facere & ſententiam quæ nulla eſt facere aliquam; hæc quippe quia in his quæ vult eſt pro ratione voluntas nec eſt quod ei dicatur cur ita facis? Ipſe enim poteſt ſupra jus diſpenſare: item de juſtitia poteſt facere injuſtitiam.*

Supervacaneum puto allegare Bozium, Baronium,

Digitized by Google

ronium, Becanum & immenſam turbam doctorum & Paparum, qui eadem loquuntur, ne pariam tædium lectoribus, cum mihi conſilium ſit præcipua quæque & ſumma attingere: certe altrinſecus neminem novi è turba quæ ſanè exigua eſt, illorum qui à partibus Concilii ſtant, imo ne unum quidem qui tantum tribuerit Concilio, quantum illi quos allegavi, Papæ, cujus rationem reddit Æneas Sylvius, quod Conciliis non ſit congiarium, non armarium condendis, Cardinalatibus, Epiſcopatibus, Canonicatibus, præbendis, beneficiis, Abbatiis, opimiſque ſacerdotiis ad ineſcandos eos, conducendamque orationem eorum, quorum alioquin æquior fuiſſet animus in partes Conciliorum. Utut ſit, tantum video ubique prædicari authoritatem Paparum, ut etiam nullo vinculo & beneficio aſtricti Papæ (iique de gente laica) quidam, plus tribuant Papæ, quam qui ſunt de ordine Eccleſiaſtico, favent Conciliis, in quorum gratiam nemo inventus eſt qui tam grandia de illis locutus fuerit quam Silhonus de Papa; uſque adeo ut putet eum ſalutis exſpem eſſe qui non eſt affixus Papæ tanquam & fundamento & capiti Eccleſiæ, *le ſt ſiege eſt le fondement ſur lequel la Religion s'appuye. Et il n'y à point de ſalut pour les membres qui abandonnent cette teſte:* qui ſermo congruit illi quem Bonifacius VIII. protulit in ſua Extravagante, *unam ſanctam. De neceſſitate eſt ſalutis ut omnis humana creatura ſubdita ſit Romano Pontifici*, qui ſermo in ore Silhoni malè con-

Miniſtri d'Eſtat livre 2. diſc. 13.

concordat cum ſenſibus quos habet de natione Paparum, quam vult fuiſſe omni ſeculo omnium hominum peſſimam.

Secundum quod mihi incumberet probandum, niſi conſilium eſſet hanc diſſertationem coercere, illud eſt, ſi nomine Eccleſiæ Romanæ non intelligeretur Papa, ſaltem intelligendum eſſe ejus imperium terrenum in Reges & Principes: quod quidem palam faciam aliquot ſubjunctis corollariis, ut inde conficiam ſub nomine *Eccleſiæ* fraudem Imperii latere.

1. Non reperio vocabulo Eccleſiæ *Cahal gnedah* in veteri Inſtrumento deſignari cœtum ſacerdotum, levitarum, Prophetarum, imo ne cœtum hominum qui in unum locum convenerunt, vel ad ordinandas res Eccleſiæ, conſilio aut Concilio ſeparato à curiis Reipublicæ, vel ad vacandum precibus & cultui Divino, cum id vocabuli promiſcuè ſumatur pro omni ſocietate hominum, præſertim pro cœtu Judicum & Magiſtratuum principumque populi.

2. Nec reperio in toto novo Teſtamento, Paſtores, Epiſcopos, rectores Eccleſiæ Chriſtianæ in Synodum coactos vocari Eccleſiam: nam nec verba *dic Eccleſiæ* Matth. 18. aptius intelligi poſſunt de Paſtoribus & miniſtris Evangelicis, quam de Papa & Conſiſtorio Cardinalium; neque enim ibi agitur de cœtu hominum Juriſdictione aliqua præditorum, cum expreſsè ibi dicatur, impune poſſe partem lædentem ejus judicium declinare, neque tamen ſine infamiæ labe. Id dicit Druſus

(& poſt

(& poſt eum Grotius) qui optimè omnium videtur nobis dediſſe loci paraſraſim, *qui arguit ſocium debet primo hoc ſacere inter ſe & ipſum ſolum, verbis mollibus, ita ut non pudefaciat eum; ſi reſipiſcit benè eſt: ſi non, debet, eum acriter arguere & pudefacere inter ſe & ipſum: ſi non reſipiſcit debet adhibere ſocios, ipſumque coram illis pudore afficere: ſi nec hoc modo quicquam proficit, debet eum coram multis pudefacere, ejuſque delictum publicare: nam certè detegendi ſunt hypocritæ.* Ut jam quod Druſius vocat pudefacere coram multis, Chriſto ſit *dic Eccleſiæ.* Præter l. 1. p. 43.

3. Sed nec in novo Teſtamento ullibi nomine *Eccleſiæ* deſignatur niſi Eccleſia particularis: Nec mentio fit Eccleſiæ Galatenſis, ſed Eccleſiarum in Galatia; multò minus ibi reperio corpus variarum nationum ut eſt corpus Eccleſiæ Romanæ ſub uno capite viſibili nuncupari Eccleſiam.

4. Sed nec reperio in toto veteri Teſtamento, ut nec in novo cœtum ſacerdotum, levitarum, Prophetarum, Paſtorum Evangelicorum, præcipuorumque de populo fideli veſtitum fuiſſe poteſtate condendi leges, imperandi, cenſuras infligendi; per Juriſdictionem dictam ſpiritualem & Eccleſiaſticam independentem à Juriſdictione, Poteſtatum ſecularium: namque tam abhorret à recta ratione attribuere cœtui Paſtorum Chriſtianorum & fidelium poteſtatem legiſlationis & Juriſdictionis, quam Collegio medicorum, mercatorum, fabrorum, & grammaticorum, ut in

Digitized by Google

in hos & illos, quatenus ſunt Theologi, Paſtores Chriſtiani, medici, mercatores, grammatici, fabri, cadat poteſtas leges condendi: cum ea poteſtas illis competat, ſub ratione cœtûs hominum, quibus natura & ratio dictitat, ordine, tempore & loco ſua negotia peragenda eſſe: templum illi ædificent, ubi colant Deum, hi tectum & ſuffugium ſibi parent, ſub quo tuti ab injuria aut cæli aut hominum, tractent de rebus quæ pertinent ad medicinam, mercaturam, medicus aut alius quiſpiam ædificet domum, jus ſuum in foro perſequatur, familiam regat, iter faciat, ſui ſit potens & Dominus,non quatenus medicus, Theologus, Faber, nec pro ſua authoritate fabrili, Theologica aut Eccleſiaſtica, ſed merè humana & de jure communi, habita perinde in Synodo à Theologis, ac fabris in ſocietate fabrorum: unde liquet in Eccleſiam Romanam, imo nec in ullam aut imperium aut poteſtatem cadere præterquam quæ eſt Ariſtotelis in Lycæo, Ciceronis in Tuſculano; ac proinde ſi quam exercet poteſtatem aut Papa aut Eccleſia Romana leges condendo, jubendo, puniendo, eam non eſſe poteſtatem, aut Epiſcopi aut Eccleſiæ, ſed terreni ſeu Principis ſeu imperii: illam demum non eſſe authoritatem Ciceronis in Tuſculano docentis, ſed in ſenatu Jus dicentis.

Et quod ſpectat Eccleſiam Romanam quæ in ſuum cognomentum & corpus aſſumit varias nationes, linguis, ritibus, legibus, imperiis Magiſtratibus, & dynaſtiis à ſe invicem diſcrepan-

crepantes, ſub uno capite & duce: neque reperio ejuſmodi ſyſtema, dictum fuiſſe Eccleſiam, aut cum ratione concordare, ut poſſit dici Eccleſia, multò minus Chriſtiana. Sed optimè quadrare ut nomen imperii ſumat, quale fuit Auguſti & Conſtantini, ſub quibus Germani, Hiſpani, Itali, Galli, Belgæ, Britanni, Helvitii in nomen imperantis conceſſerant: quod quidem cum terrenum ſit & ejuſmodi eſſe probaverim ſeparato capite, ponendum pro veritate inconcuſſa, nempe Italos, Germanos, Gallos, Hiſpanos, Belgas, Helvetios, conceſſiſſe non ſolum in imperium quod Papa retinet ſub vocabulo Eccleſiæ; Sed & in idem cognomentum quod Imperator ſibi primitus aſciſcebat, ut tam hodie Papa ſit imperator Romanus quam erat Auguſtus & Conſtantinus.

Nunc ad me accingo quod tertio loco hoc capite conſilium erat perſequi & probare teſtimoniis petitis ab ipſis Romanenſibus doctoribus, nempe Tranſubſtantiationi & cæteris Romanenſibus doctrinis accreſcere authoritatem ab imperio Papali (quanquam fucato vocibus Eccleſiæ Romanæ) cum nullam habeat à Scriptura, imo ne quidem à ratione.

Agmen ducat Tranſubſtantiatio; hanc agnoſcit Scotus (non Eregineus quingentis annis anterior & ὁμόψηφος in doctrina de Euchariſtia) multa impoſſibilia implicare, ſcilicet ſequendo principia Philoſophorum, atque ſola authoritate Eccleſiæ Romanæ niti, fatente Bellarmino, *dicit Scotus non extare ullum lo-*

cum Scripturæ tam expreſſum, ut ſine Eccleſiæ declaratione evidenter cogat Tranſubſtantiationem admittere; atque id omnino non eſt improbabile: nam etſi Scriptura, videatur nobis clara, ut poſſit cogere hominem, non pertinacem, tamen an ita ſit meritò dubitari poteſt, cum homines doctiſſimi & acutiſſimi, qualis imprimis fuit Scotus contrarium ſentiant. Nempe agnoſcit Bellarminus, non unum Scotum, ſed & alios viros & doctiſſimos & acutiſſimos in ea ſententia fuiſſe Tranſubſtantiationem, non alia authoritate niti quam Eccleſiæ; ſed cum Scriptura & ratione pugnare: pergit Bellarminus: *unum addit Scotus quod ante Lateranenſe Concilium non fuiſſet Tranſubſtantiatio dogma fidei.*

In eadem ſententia eſt Durandus. Sanè hic ubique affirmat dogma eſſe, quod ratio
Sent.diſt. 11. qu.1. refugit, & Scriptura non definit: *nec enim aſſequitur quomodo talia accidentia poſſint nutrire, corrumpi, & quomodo poſſit aliquid ex illis generari, cum hæc omnia fiant ex præſuppoſita materia.* Et ibidem art. 14. *Si autem iſte modus juxta quem panis & vinum manent in Euchariſtia eſſet verus de facto, multæ dubitationes quæ occurrunt, circa hoc Sacramentum (tenendo quod ſubſtantia panis non remaneat) eſſent ſolutæ; dubitatur autem, &c. Quid igitur concludendum? Sed quia hic modus non debet teneri de facto; cum Eccleſiæ determinaverit oppoſitum, quæ non præſumitur errare in talibus; ideo, &c.*

Ochamus horum æqualis, pertendit itidem, cum

cum Scoto & Durando, *Tranſubſtantiationem cum Bibliis & ratione pugnare, ut ſpecies & ſubſtantia panis remaneant integræ, in Euchariſtia, & ſoli ſtandum Eccleſiæ authoritati.* In 4. ſent. qu. 6.

Biel dicit, *non inveniri in Canone Bibliæ quomodo ſit corpus Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento:* adeoque illi fidem aſtruit ab Eccleſiæ authoritate. Lect. 49. can. miſſæ.

Idem facit Roffenſis. *Hactenus Matthæus qui & ſolus novi Teſtamenti meminit, neque ullum verbum hic poſitum eſt, quo probatur in noſtra miſſa fieri carnis & ſanguinis Chriſti veram præſentiam. Igitur per ullam Scripturam probari nequit.*

Cajetani ſententiam diſcamus ex Suareſio Jeſuita. *Ex Catholicis ſolus Cajetanus in commentario hujus articuli, qui juſſu Pii quinti in Romana editione expunctus eſt, docuit ſecluſa authoritate Eccleſiæ verba illa hoc eſt corpus meum ad confirmandam hanc veritatem non ſufficere.* Porro clauſula expuncta hæc eſt: *quod Evangelium non explicavit expreſſè ab Eccleſia accepimus, videlicet converſionem panis in corpus Chriſti.* Tom. 3. diſp. 46. To. 3. qu. 75.

Alphonſus de Caſtro pariter vult ſtari potius authoritati Eccleſiæ quam verbis Scripturæ aut teſtimonio Patrum: *nam de Tranſubſtantiatione* (inquit) *panis in corpus Chriſti rara eſt in antiquis ſcriptoribus mentio.* Lib. 6. contra hæreſes.

Nec deſunt Romanenſes qui negent Tranſubſtantiationem eſſe Eccleſiæ ſententiam. Certè Cardinalis de Alliaco qui interfuit Concilio Conſtantienſi affirmabat, non poſſe ſtabiliri 14. ſent. qu. 6.

Digitized by Google

biliri nec inferri ex Sacra Scriptura, nec ex determinatione ſeu definitione Eccleſiæ.

In ea ſententia videtur fuiſſe Johannes Pariſienſis Dominicanus, ut ſuperiori ſeculo docuit Guillelmus Perkinſius, & recentiſſimè Vir doctiſſimus de Rocca qui Hiſtoriam Euchariſtiæ conſcripſit: nam nec articulus eſt fidei (inquit Arriaga Theolog. tom. 5. diſp. 21. Sect. 6. *quod Chriſtus ſit ſub hac numero hoſtia*, niſi certò conſtet tum de legitima vocatione Presbyteri, tum de ejus intentione conſecrandi; hoc ſi eſt nemo noſtrum dicendus eſt hæreticus, qui non admittit dogma quod non eſt articulus fidei.

Sed non puto quicquam clarius edocere dogma Tranſubſtantiationis, non aliâ authoritate niti quam Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt Papæ imperii, divitiis & fulgore ſuo mentis & corporis oculos perſtringentis, quam hæc reputatio, id dogmatis non tantum recens receptum fatentibus Scoto, Durando & Ochamo, uſque adeo ut teſte Johanne Pariſienſi nondum obtineret ut Eccleſiæ dogma initio decimi quarti ſeculi: ſed nec ulterius creditum à quoquam illorum, quam quatenus præſupponeretur firmatum eſſe, authoritate Eccleſiæ, cum nullam putarent habere à Sacra Scriptura. Sanè ſi ratio recte putatur (atque ea ſententia fuit Jacobi Uſſerii Archiepiſcopi Armachani) ne quidem decreta fuit in Concilio Lateranenſi; ſed demum, (nec prius ante) in Concilio Tridentino, nec magis quam declaratio circa cultum celebrandum potius linguâ

linguâ vulgari quam Latinâ: quæ tamen non habita fuit à Romanenſibus pro decreto, multò minus pro ſententia Eccleſiæ, quam omnes Chriſtiani tenerentur amplecti. Adde quod Platina, Nauclerus & Matthæus Paris pernegent quicquam in eo Concilio fuiſſe decretum.

Id quoque fidem facit id dogmatis non tantum recens & nuperum, ſed ſolâ authoritate nixum præſentis Eccleſiæ Romanæ (hoc eſt Papæ) ire in vulgus, quod non vulgaris doctrinæ & notæ doctores inter Romanenſes videantur in Auguſtinum, Theodoretum & Gelaſium commotiores, quod de præſentia in Sacramento ſecus ſenſerint quam Papa docet. Non obſcurè Cuſanus hos intellexit, Exercitationum lib. 6. cum ait *nonnullos ex veteribus minime conſideratè in ea opinione eſſe, panem in Sacramento, non eſſe Tranſubſtantiatum nec naturam ſuam mutare.* In editione Romana Theodoreti, præfatio ſic excuſat eum durius loquentem de re Euchariſtica, *quia ea de re Theodoreti tempore nihil erat ab Eccleſia promulgatum. Et minus mirum ſi adverſus hæreticos, dum acerrime diſputat, veritatis ſtudio longius provectus, in alteram partem nimium quandoque declinat.*

Gregorii de Valentia verba notatu digniſſima ſunt: *Minime mirum eſt ſi unus aut alter, aut etiam aliqui ex veteribus minimè conſideratè & ritè de hac re ſenſerint*, intelligens per unum aut alterum Scotum, Durandum & Ochamum, & per aliquos ex veteribus Theo- De tranſ. lib. 7. c. 7.

 dore-

doretum, Auguſtinum, Gelaſium, & Ephremum; & quos Petrus de Marca aſſirmat non crediſſe Tranſubſtantiationem, imo nec creditam ante tempora Chryſoſtomi & Auguſtini tractatu Gallico.

Du ſacr. de l'Euch. p. 12. 13.

Sic Maldonatus, *hæc dico perſuaſum me habere Sanctum Auguſtinum, ſi noſtra ætate fuiſſet longe aliter ſenſurum fuiſſe, hominemque generi hæreticorum inimiciſſimum, cum videret ad eum fere modum Calvinum hunc & illum Divi Pauli locum interpretari.* Nempe ægrè fert Maldonatum quod Auguſtinus, aut potius S. Paulus, Calviniſmum redoleat, in quoquam dogmate ut eſt Euchariſticum, in quam rem acutè dicebat Pater Ægidius S. Paulum nimium redoluiſſe Calviniſmum & Huguenotiſmum.

Fides iſtis accedit ex definitione facultatis Theologicæ anno 1139. referente Vignierio ex Balæo, quod verbum (eſt) æquipolleat verbo (ſignificat) in pericope *hoc eſt corpus meum:* quod docet eo ſeculo quod fuit duodecimum, non receptam fuiſſe Tranſubſtantiationem à doctoribus Pariſienſibus: quod vero tanto ſimilius eſt quod, ne decimo quarto ſeculo crederent quemquam incurrere crimen anathematis, qui ſententiam Johannis Pariſienſis retineret, quæ fuit, ſubſtantiam panis & vini remanere, in Sacramento, certè non credidit Guido le Gros Archiepiſcopus Narbonenſis ſe illud crimen incurrere cum anno 1267. profeſſus eſt apud Clementem IV. ſe amplecti ſententiam adverſam Tranſubſtantiationi,

296

tiationi, qualem admittebat Facultas Theologica Pariſienſis, ut refert Clariſſimus Rocha, cui debeo locum in Bibliotheca Patrum to. 12. p. 132. de confeſſione conſcripta à Niceta & dictata Mahumetanis ſe ad Chriſtianos aggregantibus, in qua dicitur id quod Chriſtiani offerunt & accipiunt ad menſam Domini, eſſe panem & vinum.

Poſſem pariter in miſſis in quibus ſacerdos ſolus communicat, ademptione calicis, liturgia linguâ ignotâ, cultu imaginum, invocatione ſanctorum, indulgentiis, ad teſtimonium citare non minorem numerum apud Romanenſes, agnoſcentium haſce doctrinas non alia authoritate niti quam Eccleſiæ Romanæ, & quidem nuperæ, quæ in ſumma eſt ipſe Papa, aut imperium ejus divitiis & robore potens, ſub cujus umbra omnes proteguntur.

In miſſis privatis reperio Durandum ſic loquentem, *in primitiva Eccleſia omnes qui celebrationi miſſarum intererant ſingulis diebus communicare ſolebant. Domino dicente bibite ex eo omnes:* qui locus tanquam unâ fidelia duos parietes dealbat, & Miſſas privatas, & ademptionem calicis damnat. Et Canon *peracta, peracta conſecratione omnes communicent qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus, ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt & Sancta Romana tenet Eccleſia.*

Ration. 4. c. 53.

De conſ. diſt. 2. c. 2.

De liturgia linguâ ignotâ ſic loquitur Lyra *in primitiva Eccleſia benedictiones fiebant in vulgari lingua.*

In 1. cor. 14.

Digitized by Google

Biblioth. Pap. Maſſ. libro de picturis & Imaginibus.

In cultu imaginum audiendus Agobertus Epiſcopus Lugdunenſis, *recte ad evacuandam ſuperſtitionem ab orthodoxis Patribus definitum eſt picturas in Eccleſia fieri non debere:* paria habent Hincmarus, Nicolaus Clemengis, Polydorus Virgilius, Cornelius Agrippa & Caſſander.

Parte 3. conſ. 7. de cultu Sanct.

Circa invocationem ſanctorum diſerti ſunt Eckius in Enchiridio, & Martinus Perelius. Hic affirmat ante Cornelium Martyrem nullam fieri mentionem invocationis Sanctorum. Ille: *ſub Evangelio non fuit præceptum ut Sancti invocarentur, ne gentiles crederent ſe iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more Sanctos non ut patronos ſed ut Deos adorarent. Porro ſi Apoſtoli & Evangeliſtæ docuiſſent Sanctos venerandos, id arrogantiæ datum fuiſſet, ac ſi ipſi poſt mortem, illam gloriam quæſiviſſent.*

In 2.2. qu. 88. art 5.

Cajetanus, *nos certa ratione neſcimus an Sancti vota noſtra cognoſcant, quanquam piè id credamus.*

4 ſent. diſt. 20. qu. 3.

De indulgentiis (ſic loquitur Durandus) *pauca dici poſſunt per certitudinem, quia nec Scriptura expreſſè de iis loquitur. Sti. enim Patres, Ambroſius, Hilarius, Auguſtinus, minime loquuntur de indulgentiis.*

Contra hæreſ. 8. verbo indulgentia.

Alfonſus de Caſtro, *harum uſus videtur ſerò receptus in Eccleſia.*

Silveſter Prierias contra Lutherum: *Indulgentiæ authoritate Scripturæ non innotuere nobis, ſed authoritate Eccleſiæ Romanæ & Romanorum Pontificum.* Et Roſſenſis ait *indulgen-*

gentias cœpiſſe cum ad purgatorii cruciatum trepidatum eſt. Art. 8. contra Luth.

De ipſo purgatorio teſtatur Thomas Anglus quem Kenelmus Digby Eques Auratus mirè laudibus effert & prædicat tractatu de ſtatu animarum poſt mortem, impreſſo Pariſiis anno 1653. cap.9. ait ſi eximuntur loci Patrum qui loquuntur de igne ultimi judicii, ne unum ſupereſſe qui valide probet purgatorium. Ipſe Digby ſub finem diſſertationis ſuæ de immortalitate animæ credit cum Thoma Anglo purgatorium non eſſe Eccleſiæ, ſed vulgi ſententiam, verba ſunt, *quicquid verò felicitatis, quicquid miſeriæ fatale hoc momentum adfert, totâ deinceps æternitate fruendum vel perferendum eſt*, quod quidem opus Kenelmi frequenti ſenatu Sorboniſtarum lectus fuit & probatus Pariſiis.

Sed imprimis Eckium fulgor Eccleſiæ Romanæ, hoc eſt Papalis imperii, vertigine & ſcotomate perculit mentiſque oculos ſic excæcavit, ipſo fatente, ut rapiatur in dogmatibus de invocatione ſanctorum & de gratia ad amplectendum quicquid Eccleſiæ Romanæ authoritate firmatum eſt, etiam refragantibus Scriptura & ratione: nam poſtquam in dogmate de Prædeſtinatione & de gratia, authoritate, tum Sacræ Scripturæ, tum Auguſtini Patrumque præcipui nominis, atque etiam ratione docuit Prædeſtinationem eſſe opus miſericordiæ, nec ex præviſione aut fidei aut bonorum operum, ut nec meritorum, nec quicquam afferri poſſe, *quod contra* Lib. 5. c. 2. & ultimo di de gratia & libero arbitrio.

rationes

rationes validiſſimas, authoritates Sacræ Scripturæ efficaciſſimas, & argumenta adamantinis vinculis colligata faciat: Subjicit tamen, ſe & ſuum judicium authoritati Eccleſiæ.

Diſp. 22. in c. 8. ad Ro. Eadem reponit in pari argumento Pererius ſubmittens ſenſa ſua authoritati Eccleſiæ, quanquam non diffitetur ſuam diverſam eſſe ſententiam à ſententia Auguſtini, Proſperi, St. Pauli, dicentium Prædeſtinationem eſſe gratuitam, nec fieri ex præviſione operum.

Illa authoritas Eccleſiæ Romanæ eſt caput Gorgonis quod ubique Proteſtantibus opponunt, id eſt Scripturæ, rationi & teſtimonio Patrum etiam fatentibus quos allegavi authoribus: irâ in Proteſtantes ſtimulos addente ad recipienda quæque dogmata quæ inde illi maximè refugiunt, hinc Eccleſia Romana, hoc eſt Papa ſua authoritate comprobat. Sanè Maldonatus non diffitetur ſe amplecti, quicquid eſt ægrè Proteſtantibus. In 6. Joh. *Eam ſententiam eo libentius amplectimur quia diſplicet adverſariis, præſertim Calvino.*

Sed accipe ſtropham, cum Romanenſes conſcii eſſent authoritatem quæ accedit doctrinis Eccleſiæ Romanæ, ab illa Eccleſia, hoc eſt à Papa ejuſque imperio, claudicare; atque infirmam eſſe, nec ante Concilium Tridentinum diſertè & expreſsè, ullum fidei dogma Romanenſe decretum eſſe quod meritò audiat Eccleſiæ Romanæ ſententia, conſilium illud fuit perpetuum Doctorum Eccleſiæ Romanæ, imprimis Bellarmini, authoritatem Concilii Tridentini uſque adeo magnifacere

& an-

Digitized by Google

& anteponere toti antiquitati Patrum & Conciliorum, ut non dubitarent affirmare, illam veram eſſe Catholicam & Apoſtolicam traditionem, ſpiritûſque St. Dictatum cujus primum facta eſt mentio in Concilio Tridentino, atque id dogma non ſolum ſemper & ubique creditum, ſed &, Sanctum & Catholicum eſſe debere & pro tali habendum, quod demum, nec prius ante definitum, latum & decretum eſt ab ullo Concilio.

Cum Bellarmino deeſſet diſertum teſtimonium quo probaret ſeptenarium numerum ſacramentorum præter Concilium Tridentinum ſic loquitur, *quod teſtimonium etiam ſi nullum haberetur debere ſufficere. Si tollimus authoritatem præſentis Concilii, in dubium revocari poterunt aliorum Conciliorum decreta & tota fides Chriſtiana.* De ſacr. effectis l.2. c.25.

Et cap. 3. in Barclaium. *Non rectè de Eccleſia Chriſti ſentit qui nihil admittit niſi quod expreſſe in veteri Eccleſia & ſcripturis, aut factum eſſe aut dictum legitur, quaſi Eccleſia poſterioris temporis, aut deſierit eſſe Eccleſia, aut facultatem non habeat explicandi & declarandi, conſtituendi etiam & jubendi quæ ad fidem & mores pertinent.*

Vaſquez eadem loquitur, cum Bellarmino, cum *vult non eſſe majorem poteſtatem Apoſtolorum, quam hodiernæ Eccleſiæ & Pontificis in ferendis præceptis.* Tom. 3. in 3. part. Thomæ diſp. 216. c. 5. nu. 60.

Salmero pertendit non aliâ ratione poſſe defendi authoritatem Eccleſiæ Romanæ, quam præſentem aut æquando aut præferendo Eccleſiæ deceſſorum. Diſp. 52. ad Rom.

Al-

Lib.8. adver. hæreſes.

Alphonſus de Caſtro ait præſentem Eccleſiam tantò majoris eſſe authoritatis quam primitivam, quantò cognitione & lumine intellectuali longè provectior & illuſtrior. *Eccleſia quotidie proficit in melius in membris ſuis Deo quotidie magis illam illuſtrante.*

Videntur hi doctores ſuam ſententiam quæ plus authoritatis tribuit, aut præſenti Eccleſiæ, aut poſteriorum temporum habere à Cardinale Cuſano Epiſtolâ ad Bohemos, in qua vult Chriſtianos ſequi ſenſum & Spiritum non Scripturæ aut Patrum, ſed præſentis Eccleſiæ, etiam cùm doctrinæ nunc arreptæ & receptæ pugnant cum doctrinis receptis à Patribus & Eccleſia priorum ſeculorum. Id docet exemplo ſenſus verborum Chriſti Johan. 6. qui longè alius eſt ſuo tempore ab eo qui fuit in primitiva Eccleſia.

Hiſce puto palam fieri omnem authoritatem accreſcere Tranſubſtantiationi & cæteris dogmatibus, de quibus lis eſt cum Proteſtantibus, non ab eo quod concordent cum Sacra Scriptura, ratione & Patribus. Sed quia authoritate Eccleſiæ Romanæ firmantur, hoc eſt ſerviunt incremento & honori Papalis imperii & utilitati eorum quorum maximè intereſt, ut ſtet, fulgeat, potens & dives ſit. Id dicebat Johannes de Veſalia anno 1479. docebatque omnia dogmata Romanenſia conficta eſſe ad amplificandum Papale imperium & congerendas opes; Romamque ipſam in perſona Petri primum condidiſſe conſtitutiones quæ futuræ eſſent compendioſæ ſibi & ſucceſſoribus

Digitized by Google

ſoribus Romanenſibus Epiſcopis; ut cum interdixit uſum carnium, quò piſcium ſuorum major eſſet mercatura.

CAPUT XII.

Infallibilitatem Papæ fidem invenire apud illos qui juraverunt in ejus verba ab ejus imperio terreno, divitiis, robore, & pompâ illuſtri: tum firmamentum Papæ & Eccleſiæ Romanæ deberi Papali Imperio, non verò ejus infallibilitati.

ID uno penè ſyllogiſmo probatur: nempe quicquid dat validitatem legibus, dat etiam firmamentum & robur imperio: atqui validitas non accedit legibus ex eorum infallibilitate, bonitate, aut veritate, ſed à ſola voluntate legiſlatoris & acutiori gladio, quo accinctus vim legum imprimit à ſe ſancitis.

Minor probatur argumentis petitis à Sacra Scriptura, à ratione & à praxi omnium ſeculorum.

Ante omnia Sacra Scriptura nos docet leges Divinas non acquirere vim ac validitatem ab earum juſtitia, & bonitate, ſed à ſolius Dei legiſlatoris voluntate, neque leges Divinas eatenus eſſe validas & pollere authoritate quia ſunt bonæ & juſtæ, ſed juſtas & bonas eſſe quia à Deo ſunt conditæ & imperatæ.

Par ratio legum Papæ, imo cujuſlibet autocratoris & ſedentis ad clavum imperii, ut non acquirant aut bonitatem aut juſtitiam in foro

foro humano externo, præter eam quam conciliat, aut voluntas aut authoritas Papæ, aut illius qui imperii habenas tractat: neque etiam mandatum Divinum ut Deo obtemperemus potius quam hominibus, reſtringitur ad obſequium præſtandum Poteſtatibus, legibus & conſtitutionibus quæ ſunt bonæ & juſtæ, ſed illis Poteſtatibus quæ ſunt in poſſeſſione imperii, quod vel nolentes cogat ad obſequium, & parendum illis legibus, juſtis aut injuſtis, bonis aut malis quas illa Poteſtas ſanciverit.

Ratio aſtipulatur: nam ſi ſolum bonis legibus, juſtis & æquis, ſua eſſet authoritas, imo ſolis Poteſtatibus quæ per jus & æquum ad culmen imperii pervenerunt; tunc, nec Poteſtates ipſæ ſummæ, nec leges ab eis latæ, quaquam authoritate præditæ eſſent, niſi apud eos à quibus probantur, & juſtæ ac bonæ videntur: & eatenus earum vis inhiberetur, quoad Judicia omnium privatorum congruerent cum publicis: quod quidem Rempublicam peſſumdaret, omnem ordinem, jus Divinum & humanum: Suſque deque verteret evacuaretque vim legum & Magiſtratuum.

Experientia omnium ſeculorum concordat cum Sacra Scriptura & recta ratione: neque enim vis aut authoritas Senatûs conſulti accreſcit, ab ejus bonitate, juſtitia & æquitate, ſed à voluntate legiſlatoris. Lex etiam iniqua, tam valida eſt quam juſta: nam & Prætor Jus dicit cum iniqua decernit.

l. penul de Juſt. ff.

Haud diſpar eſt ratio & conſtitutionum & Canonum

Canonum latorum à Synodo, puta Tridentino aut à Papa: nam ut vis, robur & executio ſenatus conſulti aut arreſti ut loquuntur curiæ ſeu Parlamenti Pariſienſis non ſuſpenduntur quoad apud ſapientes tum bonos viros conſtet de ejus bonitate; ſic pronunciandum eſt de Imperio Papali, tum de legibus & cenſuris à Papa latis, quas non cenſendum validitatem contrahere ab earum aut infallibilitate aut ἀναμαρτησία, aut bonitate, juſtitia & æquitate, ſed à ſola voluntate illius qui ſedet ad clavum imperii, ſeu terreni ſeu (perperam dicti) Eccleſiaſtici: nec dubitandum quin tam ſint valida conciliorum Nicæni II. Epheſini II. & Ariminenſis placita quam Niceni I. & Conſtantinopolitani I. licet illorum δόξαι tam ſint heterodoxæ quam harum ſunt orthodoxæ, quandiu hæ & illæ Synodi juxta, fuerunt convocatæ, continuatæ & comprobatæ à ſuprema & ſumma authoritate & Poteſtate.

Sed reputatio naturæ Poteſtatis ligandi & ſolvendi quam Pontificii intelligunt de poteſtate anathemate conſtringendi, & enodandi, infligendi cenſuras, eaſque revocandi, illuſtre eſt documentum, vim & authoritatem non accreſcere ab infallibilitate, æquitate & juſtitia decretorum & cenſurarum Papalium, ſed à ſola voluntate eorum, qui admoti ſunt clavo tribunalis Eccleſiaſtici, ſiquidem volunt ſententiam etiam iniquam in terris latam à Paſtoribus ratam haberi in cælis; nam, quanquam non alia in cælis rata eſſet ſententia

quam

Digitized by Google

quam juſta & infallibilis, tunc non minus periret vis & authoritas ſententiæ, niſi apud illum cui videtur juſta & infallibilis: quid quod juſtum eſſe & infallibile eſſe, non convertantur, poſſitque eſſe juſta ſententia, quæ non eſt infallibilis, niſi à Chriſto aut ab Apoſtolo pronunciata, ac proinde poſſit cuipiam videri ſententia juſta, æqua & vera quæ non ſit infallibilis.

Accedit argumentum Achillæum quo probatur infallibilitatem, non eſſe columnam, quo maximè nititur & fulcitur imperium Papale terrenum, ſed contra ab eo imperio terreno fulciri infallibilitatem, nempe quod cum fuerit Imperium Papæ longè florentiſſimum & robore validum toto tempore inter Gregorium VII. & Leonem X. minor tamen tunc facta fuerit mentio infallibilitatis Papalis, quam recenter & à temporibus Leonis, indicio tunc robur & vim non accepiſſe apud omnes ordines hominum à conſcientia & ſcientia quam haberent Papalis ἀναμαρτησίας: neque enim, aut nota aut ſaltem ubique recepta erat niſi poſt exortum Jeſuitarum, & tunc maximè cum imperium Papale tertiâ ſui parte acciſum eſſet: neque enim ævo Lombardi, quod duodecimum fuit cognita erat. Is enim dicit neminem præter Deum in verbo ſuo non obnoxium errori: cæterum in Eccleſiam ſubinde cadere errorem, quod quidem dicit cum Auguſtino libro contra Creſconium *Eccleſiaſtici Judices ſicut homines plerumque falli.*

Lib. 1. diſt. 18. E.

Lib. 1. 21.

Porro

Porro ſive infallibilitas in ſubſidium venerit imperio Papali, aut ruenti, aut ad caſum prono, ſive inde, quod credibilius eſt tantò imbellius factum fuerit, certum eſt per 400. annos imperium Papale fuiſſe longè florentiſſimum abſque illa ἀναμαρτησία affixa, aut Papæ, aut Eccleſiæ, imo nec obſtitiſſe, ſi quæ fuit, quo minus aliqua ex parte rueret: imo nec per ruinam infallibilitatis expectandum excidium Papalis imperii. ſed contra ruinam infallibilitatis conjunctam eſſe cum ruina Papalis imperii.

Sed nec poteſt illud eſſe columen & firmamentum imperii, quod mere chimericum eſt, imo nequidem accidens eſt certo ſubjecto adhærens, quod de Imperio terreno Papæ, imo, ne de fuco vocabulorum Eccleſiaſtici & ſpiritualis, quo obducitur quiſquam dixerit, cum hic fucus arctè adhæreat imperio terreno, id verò imperium tam terrenum ſit & viſibile, tamque certo fundamento nixum, quam Imperium Regum: at infallibilitas Papalis chimera eſt in vacuo ſaltans, nec cuiquam certo ſubjecto affixa, ſi ipſis Romanenſibus doctoribus creditur: quibuſdam eam Concilio ſoli, licet paucis; aliis Papæ & Concilio, pluribus ſoli Papæ alligantibus, quod accidentibus nunquam uſu venit, ut quis dubitet an albedo adhæreat parieti, an verò alteri ſubjecto.

Nec leve eſt cum (ut probavimus) Eccleſia ſeu cœtus, aut fidelium aut Paſtorum, non ſit magis ſubjectum capax leges condendi,

cogendi, & legibus non obtemperantes puniendi quam Societas Mercatorum aut fabrorum: neque etiam poſſit infallibilitas magis illis quam his tribui: neque etiam infallibilitas poſſit ſtatui, ejus rei quæ non extat in rerum natura; quiſquis dicit hominem eſſe animal rationale, præſupponit dari hominem: pari modo non poteſt lex Eccleſiæ aut Synodi ſtatui infallibilis, quin præſupponatur dari ejuſmodi legem, quod tamen conſtanter pernego, neque enim magis Eccleſia facit legem quâ Eccleſia; quam medicus ædificat domum quâ medicus, ut jam non poſſit affigi infallibilitas aut Papæ aut Eccleſiæ, ſed imperio, cujus eſt in omni cœtu condere legem, at non infallibilem: namque functio ſacra ut eſt Papæ, Epiſcoporum, Paſtorum Evangelicorum, ſeu orthodoxorum, ſeu heterodoxorum; tum cognitio, peritia, ſcientia Divini humanique juris, denique ſapientia, probitas & pietas, poſſunt in quaquam Synodo condere bonam legem & conſtitutionem, atque decernere æquam & juſtam cenſuram, ſed nunquam poterunt efficere, ut ſint lex conſtitutio & cenſura, & eam vim habeant, neceſſitatem imponendi, ut eis obtemperetur: cum ea neceſſitas concilietur, non à functione, non à peritia, non à ſapientia, pietate, probitate, ſed ab Imperio; non à bonis moribus, ſed à voluntate decernentis; non ab infallibili judicio, ſed ab Imperativo, neque enim infallibilitas, ſed Imperium cogit ad obſequium, ut jam ne Papæ infallibili homo obtemperet ſed Poteſtati cogenti & Imperatori.

Nec

302

Nec omittendum in Gallia infallibilitatem explodi, licet imperii Papalis authoritas maneat integra & illibata, unde experientiâ evincitur imperium terrenum Papæ in Gallia & in Galliam ſuum robur non aſſumere ab infallibilitate, ſed contra infallibilitati robur accreſcere ab imperio terreno Papæ. Non multum tamen refragarer hanc catenam nectenti, nempe ut imperium Papale terrenum, potens, dives & florens conciliat authoritatem infallibilitati, ita infallibilitatem doctrinis Romanenſibus pretium & æſtimationem afferre: ita tamen ut ſublata illa infallibilitate (ut videmus in Gallia fieri) doctrinæ Romanenſes, quas hæc infallibilitas commendabat, nunc demum pretium acceptum ferre fulgori & robori Imperii Papalis.

Hiſce fidem aſtruit quod infallibilitati Papæ, Eccleſiæ Romanæ & ejus dogmatum, non concilietur authoritas ab eorum ſanctitate, quæ quidem concipi poteſt ineſſe ſubjecto alicui, ut viro ſancto aut Eccleſiæ abſque infallibilitate: at ne cogitatione comprehendi poteſt infallibilitatem miſſe aut perſonæ aut cœtui à quibus ſanctitas abſit: ut ſemper abſuiſſe docemus capite decimo, poſtquam Simonia, avaritia, ambitus, prenſationes, nundinationes rerum ſacrarum, non ſolum perpetua fuerunt adjuncta, ſedis Romanæ, ſed & exinde jugiter ſub nomine ſanctitatis ſe intulerunt. In quam rem juvat audire virum Aulicum, ſed nobilem ſcriptorem de gente laica (is eſt Gombaldus) publici juris factum ab

ejuſdem ordinis illuſtri viro, V. C edocentem monſtra & prodigia eſſe & gryphos implicantes contradictionem; ut cum infallibilitas, tum fœdi mores & horrenda praxis ſedis Romanæ bene conveniant & in una ſede morentur.

Pag. 74. " Quelle apparence que ceux qui ne ſont " créez que par voix achetées, par brigues, " par corruptions, par menaces, par con- " trats & par monopoles, ſoient les depoſi- " taires infaillibles de la volonté de Dieu, & " les arbitres de la foy du monde? quelle pa- " tience ne ſeroit laſſée de voir que ceux qui " ne ſont gouvernez par autre eſprit que par " celuy de l'intereſt, qui font de l'Egliſe une " maiſon de trafic, une caverne de brigans, " ſoient encore portez en cet excez d'im- " pieté, que de vouloir rendre le S. Eſprit " complice de tous leurs crimes. Encore, ſi " pour, tant de credit qu'ils ont dans le ciel, " ils ſe temoignoient un peu moins alterez " des biens de la terre; peut eſtre que l'on " douteroit ſi leur authorité, comme ils pre-

Pag. 167. " tendent, iroit du pair avec la Divine —— ce " qui temoigne bien que ſous le nom de " ſpirituel, cette authorité temporelle n'eſt " qu'une uſurpation tyrannique, qui eſt bien " plus fondée ſur les predictions de l'Apoca- " lypſe que ſur les preceptes de l'Evangile

Pag. 245. " —— quelle apparence que la verité de Dieu, " ou plûtôt que Dieu même puiſſent habiter " parmy tant de brigues, qui rempliſſent tout " ce conclave; que la ſainteté ne puiſſe eſtre

" miſe

“ miſe dans ſon thrône que par les ſuffrages
“ de ces mercenaires, & que S. Pierre ne puiſ-
“ ſe maintenir ſon ſiege que par des corrup-
“ tions & des monopoles. —— Je ſuis con- Pag. 299.
“ traint d'avouër que re ne trouve pas ſeule-
“ ment une etincelle de pur Evangile, un om-
“ bre du vray Chriſtianiſme dans toute cette
“ hierarchie Romaine : C'eſt un corps affli-
“ gé d'une lepre irremediable, un corps hy-
“ dropique & tout bouſy de ſa mauvaiſe hu-
“ meur : C'eſt un lethargique qui dort d'un
“ ſommeil de mort, & dont il n'y a point de
“ voix aſſez forte pour le reveiller: au con-
“ traire je treuve ma ſatisfaction tout entiere
“ dans la profeſſion des Egliſes reformées.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Fraudem illam imperii terreni vocabulis Eccleſiaſtici & ſpiritualis *fucati, ſemper fuiſſe in reputatione Paparum ejuſque adulatorum, morbum, qui apud medicos vocatur* Noli me tangere; *& maximè ſemper veritum & vetitum ne attingeretur, tum ab amicis, tum ab inimicis, in hosce ideo ferro & flammâ ſævitum quod hoc arcanum, atque hanc fraudem, aut detegerent, aut pertentarent. De illis verò conſilium fuiſſe perpetuum Paparum, ut potius quamvis materiam tractarent, quam quod tentat arcanum illud imperii Papalis, reipſa terreni, ſed vocabulis Eccleſiaſtici & ſpiritualis obducti, ne terrenum diſpaleſcat.*

PAulus Sarpius in Hiſtoria Concilii Tridentini, duo imprimis arcana imperii fuiſſe dicit in eo Concilio à Papis, primum ut minimum de indulgentiis aut ſermo, aut quæſtio haberetur. Licet cauſa ab illis & defectionis Lutheri & convocandi Synodum cœpiſſet, & in eum potiſſimum finem, ut de earum uſu aut abuſu decerneretur. Secundum fuiſſe ut Epiſcopi & doctores (& ea provincia imprimis data eſt Papæ legatis) non attingerent materiam de Juriſdictione Papali, imo ne de ipſa Juriſdictione Eccleſiaſtica & cleri, quam ſibi conſcii erant larvam, involucrum & tectorium eſſe, quo ſuum imperium

rium

rium tegunt Papæ & ſucant Principibus & terrarum dominis,& potius diſtinerentur circa ventilanda & diſcutienda doctrinæ & Religionis Romanenſis dogmata, quam circa ſubjectum de imperio Papæ; quod attrectatum poſſet totum ſyſtema Romanenſe & Religionis & imperii, in ſumma totum Papiſmum, percellere, concutere, peſſumdare. Nam duo fuerunt illa ægra, & ulcera quæ nunquam ſine querela, invidia & injuria Papæ tetigerunt quidam Patres Tridentini.

Sed iſtius argumenti non fuit parcus Sarpius noſter; nam libro quarto totum myſterium recludit & retecto velo aperit, edocetque, quâ occaſione, quibus gradibus Juriſdictio Eccleſiaſtica fuerit in mundum introducta, ut cœperit à Conſtantino Magno, licet bono animo & conſilio, & collata fuerit in totam gentem cleri, dum ubique in imperio Romano tribunalia Eccleſiaſtica erexit à civilibus diſtincta; ut creverit illa Juriſdictio Eccleſiaſtica ex ruinis imperii Romani, & tandem ut Papa iſtius Juriſdictionis caput,promum & condum ſe intulerit toti mundo, & ſub ea larva imperium terrenum in Reges & populos ſibi ſtruxerit & Religionem ſuam illis probaverit.

Sed maximum ait fuiſſe & periculoſum opus in obturando ore eorum qui in hanc materiam ſubinde excurrebant, tum ſi quæ ejus mentio fiebat in Concilio in conciliandis duabus ſententiis ſe invicem deſtruentibus & oppugnantibus, unâ quidem quâ Jus Divinum po-

teſtatis Papalis probandum erat Principibus & terrarum dominis; tum ipſi clero: alterâ quæ maxime ad rem faciebat & Epiſcopis inſtillari opus erat: nempe ὑπεροχὴν quidem Papalem in Epiſcopos eſſe Juris Divini, ſed horum προστασίαν in Presbyteros, eſſe juris humani: metus enim erat ne Epiſcopi à Papa defectionem molirentur, ſi ſemel imbibitum eſſet non à Papa, ſed à Chriſto derivatam eſſe; quæ ſententia etiam utilitatibus Papæ congrua, ubi res agebatur Epiſcoporum, neque ſatis tuta videbatur à Papæ legatis, veritis ne in ejus contagium ingens turba laicorum, populorum & Principum pertraheretur ad ſe ſubſtrahendum Papali ὑπεροχῇ quam ſibi Papa arrogat in eos Jure Divino, tanquam tam juris humani quam eſt ſuperlatio, fatente Papa, Epiſcoporum in Presbyteros.

Sed nec cohærebat apud Patres Tridentinos προστασία Papæ Jure Divino in Epiſcopos cum ὑπεροχῇ in Presbyteros jure humano, cum adhuc recens eſſet ſententia affirmantium, προστασίαν Epiſcopi in Presbyteros eſſe Juris Divini, namque cum ſpatio multorum ſeculorum opus fuerit ut Papæ præſtructim pervenirent ad culmen quod nunc inſident, toto tempore aſcensûs iſtius clivi perpetuum fuit arcanum Paparum inſtillari Principibus & clero ὑπεροχὴν & prælationem Epiſcopalem eſſe de Jure Divino, per quam ſcalam facilis eſſet aſcenſus ad ſummum Papalis Imperii faſtigium. Sed ſimul ac eò pervenit Papa, eam ſcalam ὑπεροχῆς Epiſcopalis de Jure Divino ut

ſolent

305

ſolent architecti ſua tabulata, poſtquam perfectum eſt ædificium, tanquam eo tempore inutilem, procul à ſe abjecit, & ſoli humano juri Epiſcoporum ſtetit, ut melius congruenti duraturæ poſſeſſioni imperii, tanto ſanè ardore, ut Pius IV. in exitu Concilii Tridentini, hos ſolos ad Cardinalatum provexerit, qui in Concilio fuiſſent acerrimi propugnatores iſtius prælationis Epiſcopalis de jure humano, ut narrat Sarpius in clauſula ſuæ Hiſtoriæ.

Majus adhuc fuiſſe molimen dicit Sarpius, in deſcrepantia aſſignanda inter Juriſdictionem civilem & Eccleſiaſticam, namque ait illos qui de actibus propriis, tum huic, tum illi Juriſdictioni differebant, pene totum myſterium iniquitatis revelaviſſe, dum reipsâ nullam poſſent prodere differentiam, quæ intercedat inter civilem & Eccleſiaſticam Juriſdictionem, unde metus ne daretur laicis animus quod ſuum eſt, id eſt totum ad ſe trahendi, relicta Eccleſiaſticis ac proinde Papæ, inani poteſtate & Juriſdictionis umbrâ. *Si nega* (inquit Sarpius) *in parole che la Juridictione ſpirituale ſia un dominio come quella del ſecolare; ma non ſi ſa por tra loro differenza reale.*

Et revera cum Papæ ſatis conſcii eſſent, nullam reipsâ intercedere differentiam inter poteſtatem civilem & Eccleſiaſticam; nec majorem quam inter Juriſdictionem civilem & fabrilem, ſummam & ſubalternam: nec ſatis tutum cenſerent Eccleſiaſticam cum civili con-

confundere, nec planè diſparatas facere, hanc imprimis ſtuduerunt credi & approbari ſententiam, nempe civilem mancipandam eſſe Eccleſiaſticæ, ſubjiciendamque tanquam ſubalternam ſummæ & ſupremæ, vilioremque nobiliori: nam id omne conſilium, omnis vis & conatus ſemper fuit Paparum & Canoniſtarum, tum Baronii, Bellarmini & totius Scholæ Jeſuiticæ, cui imprimis præeſt Papa, ut non eſſent duo imperia niſi nomine, ſed reipſa unum, idque Eccleſiaſticum & Papale toto orbe. *Juriſdictio temporalis* (inquit Durandus cujus librum Bellarminus ait egregium eſſe) *nullo modo ſe extendit ad ſpiritualia, de quibus nihil novit ſpiritualis Juriſdictio; primò & principaliter ſe extendit ad ſpiritualia, ſed per quandam conſequentiam ſe extendit ad actiones hominum circa temporalia quæ ordinantur ad ſpiritualia tanquam ad finem.*

De Juriſdictionib. qu. 3.

Alvarez. *Licet Romanus Pontifex non habeat toto orbe Juriſdictionem temporalem regulariter, ſive directè: nihilominus habet ex conſequenti & hoc proprio jure, ſcilicet quantum neceſſarium eſt ad conſervationem rerum ſpiritualium.*

[illegible]eccl. [illegible]m. Pont.

Salmero, *tam ſacerdotalis quam Regia poteſtas collata eſt Eccleſiæ Paſtoribus, ut ſic regnet Chriſtus in æternum.*

Diſp. 12. de Eccleſia tom. 13.

Et Joſephus Stephani quem alibi allegavimus dicit Principes quamprimum Chriſtiani facti ſunt, non amplius abſolutè regnare, ſed unà cum Chriſto ejuſque ſacerdotibus: ideo jus Canonicum omne genus cauſas refert ad

tribu-

306

tribunal & cognitionem Eccleſiæ: at viciſſim ſolent Papæ & canoniſtæ arcere Magiſtratus & laicam gentem à cognitione, judicio & imperio circa ſacra.

Sed hanc ſententiam refellit Sarpius. Imprimis duas haſce hypotheſes à Romanenſibus pro poſtulatis aut potius conceſſis arreptas, pene ſolo habitu difflat.

1. Quod ad laicos non pertineat Judicium de ſpiritualibus & Eccleſiaſticis, ſed eſſe ineptos & imparatos ab illis dotibus & conditionibus quæ ad Judicia Eccleſiaſtica requiruntur; ſecunda quod cauſæ quæ verſantur in foro Eccleſiaſtico ſint purè & mere ſpirituales.

Hanc & alteram hypotheſim falſitate laborare pertendit & probat: de hac quidem dicit cauſas quæ deciduntur ab Epiſcopis nomine tenus dici ſpirituales, tamque remotas eſſe à natura & conditione cauſarum ſpiritualium quantum cælum à terra: nec de altera ſecus ſentit.

"Cio i laici ſono incapaci di cauſe ſpiri-
"tuali eſſer aſſorda & impia, perche eſſi ſo-
"no preſi in adottioné del Padre Celeſte,
"digni della gratia Divina del Batteſmo, del-
"le communione della carne di Chriſti: ma
"ancor eſſer falſa minore che le coſe appro-
"priate à giudicii Epiſcopali ſiano ſpirituali,
"perche tutto ſono de delitti, ò de contrat-
"ti, che conſiderata la qualita aſſignata della
"ſcrittura Divina, alle coſe ſpirituali ſono piu
"lontane da eſſer tali, che la terra del cielo.

Subjicit Sarpius quantumcunque conſtaret

apud

apud viros altioris intellectûs de falſitate harum propoſitionum, nihilominus invaluiſſe, apud pleroſque, aut excæcatos præjudiciis aut rationibus circumactos; atque jam Papam ſub hac larva Juriſdictionis Eccleſiaſticæ reipſa ſibi ſtruxiſſe imperium terrenum in Reges, Principes & populos, erecto ſibi imperio in imperio alieno, duplici ad id adhibito molimine & conatu: primo quidem fabricato tribunali Eccleſiaſtico independente à tribunali civili, at ſecundo huicce tribunali, civili mancipato, ad probationem iſtius moliminis & incœpti non alia allegata ſcriptura quam verborum Chriſti ad Petrum *paſce oves meas*.

"Ma l'oppoſitione della parte migliore "non ha pottuto ottinere che la maggiore "non ſupperaſſe, è coſi ſopra la ſpiritual po-"teſta data da Chriſto alla Chieſa di ligare & "ſciogliere, & ſopra l'inſtituto de ſan Paro-"lo di componer le liti tra Chriſtiani ſenza "andar al tribunal de gli infideli, in molto "tempo & per molti gradi è ſtato fabricato "un temporale tribunale pui riſguardevole che "mai nel mondo foſſe, & nel mezzo di ciaſ-"cun governo civile independente del publico "che mai ſiſcriſſe de governi, haverebbe ſa-"puta imaginare che un tal ſtato di republica "poteſſe ſubſiſtere. Tralaſciero de dire come "le fatiche di tanti altra l'haver ottenuto, il "deſignato fine di farſi un foro independente "del publico ne habbino ſortito un altro un-"proveduto di fabricar un imperio & con

"mi-

304

"mirabili progreſſo radicata una nuove opi-
"nione, molto piu ardua, che tutto in trat-
"to da al ſolo Pontifice Romano quanto in
"1300. anni è ſtato da tanti veſcovi, in tanti
"modi admirabili aquiſtado, removendo dal
"eſſer fondamento della giuriditione, il li-
"gar & ſciogliere, ſoſtituendo, il paſcere &
"con queſto facendo che tutta la giuridittio-
"ne di Chriſto ſia data al ſolo Papa nella per-
"ſona di Piettro, quando gli diſſe *Paſci le*
"*mie pecorelle.*

Hæcce cum Sarpius non diſſimularet inter amicos, nec dum tamen ſcripto promere auderet: advolarent tamen ad aures Papæ; Pater Fulgentius in vita quam ſcripſit Sarpii, ait eo nomine odio pluſquam Vatiniano Papam ei fuiſſe infenſum: nec tam cauſas tantæ iræ, machinationumque & inſidiarum, quas ſubinde in vitam Sarpii ſtruebat, fuiſſe quod occulta commercia haberet cum Proteſtantium anteſignanis Beza, Pleſſæo, Caſaubono & Molinæo, & cum illis conſpiraret in ſequius ſentiendo de doctrinis Romanenſibus, de Tranſubſtantiatione, ſacrificio miſſæ, purgatorio, imo de ipſo Papa, quam quod illud *Noli me tangere* Juriſdictionis Eccleſiaſticæ quo Papa ſuum imperium terrenum in Reges & Principes incruſtabat, attingeret, quodque ejus fucum & fraudes, non obſcurè & clam exagitaret, ſed palam faceret; imprimis quod diceret illam eſſe centrum ad quod omnes lineæ & ſtudia Paparum ſpectabant. *Originem eſſe omnium malorum* quæ in Eccleſiam graſſantur

ſantur, caput eſſe Meduſæ larvamque, quâ indutus ſucum facit, aut potius inſultat capitibus Regum & Principum. " La giuridittione " Eccleſiaſtica hogidi il ſolo centro ove ariva-" no tutte linée loro, fu che maraveglia s'ado-" pera tutti mezzi per ampliar la ſua giuridit-" tione, il ſonte onde deriva ogni male; i " nuntii Eccleſiaſtici vengone ſempre maſcha-" rati della Religione.

Addit Fulgentius quaſi à Sarpio non alia ratione poſſe Principes eripere Papæ ſuam larvam Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam animum applicando ad ſtudium internoſcendi, quæ ad fidem pertinent ab illis quæ merè faciunt ad Papalis Juriſdictionis & Curiæ Romanæ incrementum.

" Si ſapeſſero quali foſſero canoni elle che " non toccano la fide, ma grandezza delle cor-" te, & ſapeſſero & voleſſero mantener in " queſti la poteſta che Dio a data à Principi " gli cavere bono bene la maſchara un arcana " delle corte Romana dopo che s'ha tirato " l'autorita di tutte l'ordine Eccleſiaſtico, & " gran parte di Principi per far paſſare in Re-" ligione, cio che gli torno à Conto.

CAPUT

Digitized by Google

305

CAPUT XIV.

Unde fit, quod, cum Poteſtas Eccleſiaſtica, ut habetur & retinetur à Papa & quæ fucat ſuum imperium terrenum ſit merum figmentum humanum; nihilominus tantum roboris tantumque ſtabilitatis creet imperio Papali, ut per ejus præſentiam, & quandiu ejus fucus & fraus non intelliguntur, ſtet, ſitque in ſecula duraturum: at contra per ejus abſentiam corruere & concidere debeat.

PRofectò cum totus mundus exerceat Hiſtrioniam, non mirum ſi imperia mundana fuco ſemper illita, non unum ævum ſed plura durant; quo mangonio qui ſedent ad clavum imperii, non Religione, ſed Religionis fuco, non veritate, ſed ſpecie veritatis & rerum ſimulachris, non juſtitiâ ſed acutiori gladio imperant, aut potius illudunt populis, unde non mirum ſi iniquitas imperii, quod jam per plura ſecula ſibi Papa ſtruxit in Reges & Principes, non ulterius ſtet ſtareque debeat, quam quatenus & quandiu fucatum eſt vocabulis Eccleſiaſtici, ſpiritualis & ſanctitatis.

Hactenus Reges & populi obnoxia capita ſubmiſerunt Papali imperio, illuſi perſuaſione iſtius Chimericæ traditionis, quam & illi altè imbiberunt, nempe Deum præter terrenum & civile habere Eccleſiaſticum imperium in mundo longè nobilius & præſtantius, in impe-

Digitized by Google

imperiis & in imperia mundi, in cujus regimine Papa tanquam vicarius Chriſti, vices ejus obeat, vi ſucceſſionis in primatum, principatum & Apoſtolatum St. Petri, poteſtatem exercens & exerens independentem à quoquam; nec cuiquam præterquam Deo reddendis rationibus obnoxiam.

Sub his tamen vocabulorum involucris latet ſubjectum reale, nempe imperium terrenum, cui Papa inſidet, conſimile imperio Davidis, Conſtantini & Caroli magni, circa, tum ſacra, tum civilia, & tam quæ attinent negotia ſecularia, quam Religionem, cui ideo clerus & ſecularis & Religioſus miniſtrant, cui ſunt latifundia, reditus, præmia, punitiones, Judices, ſatellites, & milites; tum inſtrumenta ſervitutis & Reges: dein pompa, purpura & ſulgor, quibus imperia omnia, altas radices agunt, tum in mundo, tum in animis hominum, ſibique & amorem & terrorem conciliant.

Eſt & illud imperium infallibile eo ſenſu quo dicunt ejus leges & mandata ac imperia eſſe ἀναμάρτητα, valida, vimque ac robur habere, non ab eorum bonitate, æquitate & juſtitia, ſed à voluntate legiſlatoris: nam ſi per infallibilitatem, intelligis immunitatem à peccato aut errore, tum duplici nomine chimera eſt, quod nec per ſe ſubſiſtat, nec cuiquam ſubjecta affixa ſit, ſitque inane nomen ſine re; nec ſit cauſa durationis Papalis imperii: fuit enim tempus cum Papale imperium longè eſſet florentiſſimum longius & latius

tius patens, quam nunc patet, nulla tamen aut minima fieret mentio ἀναμαρτησίας Papalis, quæ tum demum introducta eſt in mundum exortis Jeſuitis, qui ruenti imperio, aut ad ruinam vergenti, ut cum res ad triarios venit, ſucceſſerunt, ut id imperii ſuccolarent & cervicibus ſubjectis ſupportarent.

Hæc eſt chimera, meraque illuſio, ſimilis coloribus Iridis, nulli ſubjecto adhærentibus: at non par eſt ratio tectorii & fuci, quo Papa incruſtat ſuum imperium terrenum: eſt enim accidens pene proprium, ſaltem ſic arctè annexum imperio terreno Papæ, ut ſine ſubjecti interitu amoveri non poſſit. Etenim exue Papam ſua infallibilitate, (ut illa pene denudatus eſt in Gallia) integrum tamen & illibatum remanebit, ut hodie remanet perſeveratque in eo regno nulla parte ſui acciſum; at non, ſi auſers tectorium *Eccleſiaſtici* & *Spiritualis* quo Papa incruſtat ſuum imperium terrenum, par eſt hujus incolumitas, ſiquidem per ademptionem iſtius fuci futurum ſit ut duo imperia ejuſdem naturæ conſpicua, in eodem territorio invicem collidant, & alterum ab altero brevi evertatur; impar tamen debeat eſſe congreſſus, ſemel detectâ fraude vocabulorum Eccleſiaſtici & Spiritualis, Papæ inermis cum Rege armato qui non diu feret æmulum & conſortem imperii.

Neque tamen per id conficitur, involucrum illud ſive tectorium aliquid eſſe reale ſeparatim ſubſiſtens extra ſubjectum cui adhæret, aut vim habere commutandi imperium

Papæ reipſa terrenum in imperium, quod ſit merè Eccleſiaſticum & Spirituale, cum hoc pugnet cum natura accidentium. Id tamen videtur ſuperare fidem quod ruere debeat ſubjectum per accidentis interitum. Sed id fit per accidens, poſtquam enim Reges & Principes errore illo poteſtatis Eccleſiaſticæ liberati erunt & compertum habebunt, ſe Papam in imperio ſuo terreno aut ſocium aut ſuperiorem habere, brevi conſortem aut Dominum procul à ſe arcebunt.

CAPUT XV.

Licet imperium Turcicum ſit quoque fucatum titulis cæleſtis, Spiritualis & Divini, & ſub ſpecie Religionis retineatur, ad terrorem venerationem & amorem conciliandum, non tamen ad ruinam eſſe pronum aut ruere debere per detractionem fuci quo obducitur.

LIcet in eo ſit par ratio imperii Papalis & Turcici quod ambo ſint terrena, ambo fucata, par tamen utrique non impendet ruina ex detractione titulorum Divini & cæleſtis, quibus hoc & illud Imperium fucantur.

1. Duabus imprimis columnis ſupportatur & ſuſtinetur Papale imperium, una eſt turba ingens clericorum, ſeu ſecularium, ſeu regularium, beneficio crumenæ, aqualiculi, culinæ & honorum arctiſſimo vinculo Papæ alligatorum, qui plus in officio & ſubjectio-

ne

310

ne Papali retinent addictos Papæ imperio per Religionem & terrorem injectum conſcientiis Reges & populos, quo velint ducant pecuniæ emungant, ut excæcatis & ignaris facilius illuditur, quam armis, munimentis & caſtellis, ut multitudo melius vatibus quam ducibus ſuis paret. Secunda columna, eſt altum mentibus omnium Romanenſium de gente laica præſertim Regum & Principum infixum præjudicium, amor inſitus, reverentia venerationi propior erga larvam & involucrum vocabulorum, titulorumque *Eccleſiaſtici, Spiritualis, regni Chriſti, Eccleſiæ*, quibus Papa imperium terrenum fucat & obtegit. His intellectis, non dubitandum quin Reges & Principes, hoc errore aut fuci aut fraudis exoluti, & poſt amotum horum titulorum tectorium, ſine mora Papam ſubmoveant, vendicatione & occupatione imperii terreni ad cujus præſidium & defenſionem, non alii adhibentur quam Religioſorum ordines & monachorum mandræ plerumque inermes. Curt. l. 4. c. 10.

Jam cum nulla natio, nulla gens in imperio Turcico extet quæ non ſit armata ad nutum Imperatoris, nec cuiquam qui non eſt Chriſtianus nota ſit vocabulorum *cæleſtis* & *Divini* ratio & diſtinctio à vocabulis terreni imperii, conficitur imperium Turcicum non eatenus magis invalidum, aut quod deſint armati ad Sultani imperium, aut quod periculum ſit ne fucus vocabulorum, quo etiam Turca ſuum imperium obducit, ſuboleat: adde quod clericorum ingens turba Papæ ad-

Digitized by Google

dicta, potius ſit tuba alios ad ſervitium Papæ accendens, quam continuò in armis & armata ad nutum Papæ, ut eſt omne genus hominum ad Turcæ imperium.

2. Id etiam non leve eſt quod, tametſi Imperium Papæ, tam terrenum eſt quam Turcicum, adeoque pari jure id videtur poſſidere poſt occupationem tot ſeculorum, atque Turca poſſidet ſuum, attamen illud retineat non ſub veris ſed ſub falſis & ementitis titulis & involucris *Spiritualis* & *Eccleſiaſtici*, adeoque certum ſit nullam injuriam illatum iri Papæ, ſi exuatur vero imperio terreno, quod ipſe ſub hoc titulo non ſibi vendicat, nec retinet. Cumque non detur præſcriptio contra jus Divinum; ſed detur contra perperam aſſumptum & vendicatum; nec longa poſſeſſio debeat officere Juri Divino Regum, nullò niſi æquo jure poſtliminii & redhibitionis, certum eſt Reges redituros ad ſua, Regem larvatum & ſcenicum ſuis finibus expellendo: at non par ratio imperii Turcici, quod tam ſub veris quam ſub falſis & ementitis nominibus retinetur, quodque per longam poſſeſſionem, jus Divinum acquiſivit.

3. Adde quod Papa qui in ſua diocaſi aliquâ congruentiâ, æqualitate & juſtitiâ, ſaltem juſticiæ ſpecie retinebat vicarium Chriſti imperium, idque Spirituale & Eccleſiaſticum (quod eſt potius imperium Dei per doctrinæ ſermonem quam hominis) ubi compertum eſt nomine tenus eſſe Spirituale & Eccleſiaſticum ſeu intra ſeu extra ſuam diœcœſim, per de-

detectionem fraudis & larvæ vocabulorum reddet ſuum imperium, non ſolum reipsâ terrenum in alieno imperio, perinde terreno, ſed & planè ineptum, incongruum, & diſconveniens (ut hoc vocabuli utar) merumque monſtrum imperii, cujuſmodi eſt imperium terrenum Papæ in Gallia & in Galliam ἀνυπεύθυνον, in imperio, & in imperium Regis perinde terrenum, quo tanquam ἀνυπευθύνῳ perinde gloriatur, nulliſque rationibus reddendis obnoxio, quæ ſanè ſunt ἀσύστατα.

4. Et licet Imperium Mahumetanum ſit perinde fucatum ſpecie Religionis & cæleſtis dominii, certum eſt tamen eo nomine non eſſe ad ruinam pronum per detectionem iſtius fraudis à populis & nationibus qui iſti imperio parent, ſi quidem veris quoque coloribus nec fucatis Turcicus Imperator approbet populis & nationibus, imperium ſuum, nec minus terrenum, quam cæleſte omnibus palam velit eſſe, ut vel amoto hoc fuco cæleſtis imperii altè ſatis ſedeat animis omnium Turcæ ſubditorum hæc opinio, illud imperium reipsâ eſſe terrenum & legitimè ab eo ſub ea ſpecie habitum & retentum; eoque firmius & immotius: & quod percellere inanis ſit conatus. At cum Papa non niſi falſis & ementitis titulis ſuum imperium retineat in Reges & nationes, & vix uni aut alteri qui non eſt de clero, nec venit in partem prædæ, notum ſit ejus imperium eſſe terrenum, ſtatuendum eſt fraude ubique ſemel detecta & comperta infirmiorem futurum Papam Turcâ

& cauſâ & imperio, orbatum veris & non fucatis titulis, quibus inſiſtat, poſtquam in ementitis, nec ſpes, nec firmamentum.

5. Cumque imperium Turcicum non ſit imperium aut terrenum aut Eccleſiaſticum in imperio alieno, nec quemquam habeat in toto imperio ſuo aut æmulum aut conſortem imperii, nullus poteſt eſſe metus Imperatori Mahumedano, à detectione cujuſquam fraudis, qua quis obduceret ſuum imperium, nec à quoquam qui hanc fraudem ulciſcatur, & cui obnoxium caput ſubjicienti imperio Turcico, imo de ſumma rerum decertanti & in dominum inſurgenti perinde eſt quibus tandem vocabulis aut titulis imperium Turcicum obducatur, ſive cæleſtis ſive terreni imperii: nam ne quidem Papæ par eſt metus à populis Regum ſubditis per detectionem fuci quo obducit ſuum imperium, quam ab ipſis Regibus illiſque qui ſedent ad Magiſtraturam & clavum imperii, ut mox ſeparato capite dicam: cum perinde ſit ſubditis, cui ſerviant Papæ an Regi, an huic & illi conjunctim, & quandoque liberiores ſint ſub duobus dominis quam ſub uno: at certa maneat Papam ruina, ſi aliquando Reges & Principes hanc fraudem vocabulorum detegerent.

Non levis eſt hæc reputatio, ſi Papa ad modum Sultani poſſideret imperium (non in alieno, ſed) in ſuo, ut in agro Romano & patrimonio St. Petri, ut vocant, citra ſocium, æmulum & conſortem imperii terreni, quod tunc nullum Papæ periculum impendere-

ret

ret à detractione fuci vocabulorum Eccleſiaſtici & Spiritualis. Siquidem, nec Sultanus in Romania, nec Papa in Romaniola debeant ſuum imperium terrenum fuco illorum vocabulorum, quemadmodum Papa totum ſuum imperium terrenum in Gallia debet iſtis verborum involucris, & quibus ſemel detractis tam rueret Papæ imperium in Gallia, quam nullum eſt in Anglia.

Per hæc luce meridianâ clariùs liquet, nec minus robore validum futurum imperium Turcicum, nec magis ad ruinam pronum per detectionem fraudis latentis ſub vocabulis cæleſtis & Divini Imperii, quam feciſſent omnes populi qui Turcico imperio parent, neque parem metum nec par periculum ei impendere ab ea detectione, illi ruinæ periculo quod capiti Papæ impenderet, ſi Reges & populi eam larvam Spiritualis & Eccleſiaſtici amoviſſent, quâ ſuum obtegit imperium terrenum, & ſpeciem veri & juſti inducit, authoritatemque conciliat infallibilitati, Tranſubſtantiationi, purgatorio, cæteriſque Romanenſibus dogmatibus, quæ ſub umbra, tum imperii terreni, tum ſucati coloribus Eccleſiaſtici & Spiritualis conquieſcunt & florent.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Robur, divitias, Pompam & fulgorem Imperii Papalis terreni, potiſſimum diſtinere animos plebis & mancipare eos Papæ, & perſuadere ut in ejus Religione & Communione permaneant: at titulos Eccleſiaſtici & Spiritualis, illudere imprimis Regibus & Principibus, terrarumque Dominis eoſque retinere in obſequio & Religione Papæ.

IPſe titulus docet hæc duo, nempe, tum tectorio vocabulorum Eccleſiaſtici & Spiritualis Papam ſuum imperium terrenum obducere, tum inde opinionem natam & altè imbibitam id quod reipſa eſt imperium Romanum eſſe Eccleſiam Catholicam, ad cujus caput ſedeat Papa Romanus tanquam Eccleſiæ rector & vicarius Chriſti, vi ſucceſſionis in Apoſtolatum & primatum St. Petri, ejuſque imperium & poteſtatem adigendi omnes Chriſtianos cujuſcunque ordinis ut ipſius Religioni legibus & mandatis pareant & obtemperent: hæcce, inquam, duo fucum faciunt tum populis, tum terrarum dominis, eoſque in obſequio Papæ & amore Religionis & doctrinarum, quas ille aut profitetur aut approbat, ſic retinent, ut credant exſpem eſſe ſalutis, qui nec communicat cum Papa, nec ei adhæret tanquam ſupremo gubernatori, rectori & capiti Eccleſiæ Catholicæ, ut non ſit dubitandum, ſi fraus fucuſque ſubolerent populis

pulis & Regibus quibus Papa ſuum imperium terrenum obducit, quin Religio aut Romanenſis aut Papalis multum de ſuo pretio amitteret & æſtimatione in animis horum & illorum, licet non pari modo, menſura & gradu apud hos & illos juxta.

Namque totus clerus qui conſcius eſt fraudis, quique in partem prædæ venit, & delinimentis voluptatum & commodorum mundanorum, quæ ex ſtante imperio Papali, divite & magnifico accedunt, mulcetur & retinetur in Communione Papæ. Cæterum imperium Papæ terrenum & fucum vocabulorum Eccleſiaſtici & Spiritualis quo tegitur ex æquo amat ſuſpicit & veneratur, cum ex utroque par commodum, honor & voluptas in ejus rationes redundent.

At longè alia eſt ratio Regum, alia populorum: hi enim cum in negotio Religionis, ſint ſequaciores de eaque plerumque ſtent arbitrio aut Eccleſiæ, aut Papæ; Parocho aut Exceptore ſacræ confeſſionis ignaros, attonitos & trementes facile circumſcribente, obſidente & obſequentiores habente: hi inquam potiſſimum reverentur, (ut faciunt imagines in præcelſis forulis) quicquid in alto poſitum eſt, & quod divitiis & robore fulget & floret, nec tam ſpecie ulla vocabulorum ſeu Eccleſiaſtici & Spiritualis, ſeu terreni, quam quia potens eſt & dives (licet non diteſcens quemquam eorum qui ejus fulgore excæcantur) ut eſt imperium Turcicum & Perſicum, cui populi non tam parent, quia eſt aut cæleſte aut ter-

terrenum quam quia eorum Imperator potens eſt & acutiori gladio accinctus, quo & ſui dominii robore & legibus aut amorem, aut terrorem populis imprimit, eoſque in obſequio continet: adde quod perinde ſit ſubditis parere aſſuetis, nec unquam ſperantibus in partem ullius prædæ venire, utrum uni Domino Papæ, an pluribus & Regi & Papæ ſe præſtent obedientes, quove colore aut nomine veſtiatur imperium aut jugum ſeu Papæ, ſeu Regis cervicibus ſuis impoſitum, modò ſit leve & æquum,& quod ſperant tanto levius futurum, ſub pluribus Dominis quam ſub uno, ut habeant gratiam obſequii & ſervitutis, more ſolito ut dum plures imperant nemo obſequatur.

At non ſe eadem habet ratio retinaculorum, quibus, terrarum Domini, Reges, Principes & dynaſtæ qui ſedent ad reipublicæ aut imperii terreni clavum Papæ connectuntur; neque enim illi eodem modo ſunt affecti erga Papam, quo populi, hominesque privatæ ſortis & inferioris conditionis: nec ex æquo aut infirmis, aut validis vinculis alligantur Papæ: nec tam ſuſpiciunt quam invident Papæ ſuum imperium, ſeu terrenum ſeu Eccleſiaſticum, quia florens potens & dives eſt; nec ejus poteſtatem reverentur, niſi ut æmulentur: nam quanquam aut timent, aut venerantur Papæ jugum, jugum tamen putant & norunt ſuis cervicibus impoſitum, quo in arctum compelluntur, nec quicquid libet licet, quo ſentiunt partem imperii, ſaltem divitiarum regni accidi

31h

accidi & alio transferri, quoque ſi non liberari; attamen id mitigari & levari, ut æquius ſit & levius, cupiunt.

Verum Papæ vinculo vocabulorum Eccleſiaſtici & Spiritualis arctius ſibi alligant Reges & Principes quam populos qui in nullam imperii partem veniunt. Illi retinentur in obſequio ſola reputatione iſtius opinionis, quam altè imbiberunt, nempe Papæ imperium non merè, imo nullo modo terrenum eſſe, ſed regnum eſſe Chriſti, idque planè Eccleſiaſticum & Spirituale, cui inſideat Papa, tanquam caput Eccleſiæ, & vicarius Chriſti; tum, quod non minus profundè eorum mentibus hæret, mundum per duplicem Juriſdictionem, regi: unicuique Juriſdictioni, ſuos Judices, ſuas leges, ſuum tribunal, ſeorſim deberi, ut quemadmodum ſinguli dynaſtæ Juriſdictioni civili ſui territorii præſunt cum ſummo imperio: ita Eccleſiæ Catholicæ, quæ limitibus nec terrenis, nec humanis concluditur, præſit aliqua perſona Eccleſiaſtica. Tum inſtillatur illis ſubinde, omnes Chriſtianorum cauſas, lites, controverſiasquibus ſubrepit peccatum, error, injuſtitia, fori eſſe Eccleſiaſtici, cui præeſt Papa, tum ordinationes, electiones, nominationes, monitiones, Excommunicationes, cauſas delicti Communis, de decimis, matrimoniis, non eſſe Regiæ cognitionis, ſed pertinere ad Judicem Eccleſiaſticum, ac proinde ad Papam, à quo omnis Poteſtas Eccleſiaſtica manat tanquam à fonte & origine.

Hæccc

Digitized by Google

Hæcce cum quotidie inculcet vel Jeſuita, vel Capucinus aliquis, aut conſcientiæ moderator aſſiduus & continuus Principi, non mirum ſi Monarchæ obſervant Papam, non ut terrenum dominum, ſed tanquam Eccleſiaſticum & Spiritualem: Eamque Religionem cæca mente & judicio amplectantur, cui ſola authoritas accedit apud Reges, non ab imperio Papæ terreno divitiis, robore & pompâ florenti, ſed à ſolis vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis, quibus veluti melle circumlitum imperium facilius ab eis deglutitur, ut ſolenne eſt inquit Plutarchus Tyrannis aliquo fuco πότιμον καὶ γλυκεῖαν παρέχειν τὴν βασιλείαν, unde planè conficitur: nec Papæ imperium terrenum, nec Religionem poſſe cadere, nec ſua authoritate excidere apud Reges & Principes, priuſquam larva Eccleſiaſtici & Spiritualis detrahatur Papæ, ipſique ejus fuco & errore exolvantur, & compertum habeant omnes illos actus Juriſdictionis quos modò recenſui perperam dici Eccleſiaſticæ Juriſdictionis actus, cum pertineant ad forum civile; in ſumma, quicquid Papa Juriſdictionis & juris exercet & ſibi vendicat, puta in Gallia, alieni juris eſſe iniquam vendicationem & occupationem.

Denique per hæc conficitur, quod Papa imperium terrenum in Reges & populos, retinet retinebitque eos in obſequio, non ulterius quam quatenus fucatum eſt titulis Eccleſiaſtici & Spiritualis, alioquin fuco hoc amoto in ruinam eſſe pronum, nec diu ſtare poſſe.

CAPUT

Digitized by Google

315

CAPUT XVII.

Quicquid contra obtendunt Pontificii, illum demum, non ulterius pro hæretico haberi quam quatenus deficit à Papæ imperio. Definitionem hæretici datam à Jure Canonico, nequaquam quadrare in Proteſtantem, ſed optimè in Papam: parem eſſe rationem definitionis Schiſmatici, ut in Papam melius quum in Proteſtantem cadat: de natura Schiſmatis.

REm ſine ambagibus & circuitu expediam, hæreticus ſic deſcribitur à Jure Canonico.

Hæreticus eſt qui alicujus temporalis commodi & maximè gloriâ, principatûſque ſui gratiâ falſas & novas opiniones, vel gignit vel ſequitur: quæ quidem definitio duabus partibus conſtat, nam dicit. 24. qu. 3. c. 28.

1. Romam à Nicolao. I. 1. Non aliud agitaſſe quam ut terrenum ſibi imperium in Reges & terrarum Dominos & populos ſibi pararet, idque pompâ, fulgore, divitiis & robore firmiſſimum.

2. Per fraudes, technas, ementitos titulos, ſpeciem & larvam Religionis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, falſas donationes, falſa miracula, falſos & ſubdititios ſanctos, nova & impia dogmata, imprimis per ſimoniacas artes, illud imperium ſibi fabricaviſſe. Vel ſi mavis characteriſmus hæretici quatuor capitibus exprimitur.

1. Quod

1. Quod imperium ſeu principatum ſibi ſtruet.

2. Quod ille honore, gloriâ, fulgore & pompâ longe illuſtris erit & in alto & excelſo poſitus.

3. Quod florens erit divitiis, robore & commodis mundanis.

4. Quod ille qui ad clavum iſtius imperii ſedet novas opiniones cudet. Atque hæc quatuor conſtituunt verum hæreticum hic deſignatum, & quæ totum Papam referunt; quibus adjici poteſt, quod & inſinuare videtur hæretici definitio, nempe adepturum imperium per falſos colores & fraudes; quin & conſervaturum imperium per Simoniacas artes: nam ut illa Simoniacorum hæreſis figitur à jure Canonico, tanquam omnium hæreſeum teterrima, ſic in Papam maximè quadrat & eum eo nomine conſtituit, ut Simoniacorum anteſignanum, ita omnium hæreticorum teterrimum. *Simoniacorum hæreſis cæteris damnabilior & prima diabolica inſtigatione contra* 1. qu. 1. c. 21. *Dei Eccleſiam ſubrepſit.*

Hunc morbum Romæ, Papæque agnatum eſſe, non tantum altè imbiberunt, ſed eo nomine quæſti ſunt Baronius, Matthæus Paris, Onufrius, Theodoricus à Niem, Genebrardus, Platina, Cuſanus, Alvarez, Æneas Sylvius, Spencæus, Cornelius Mus, Guichardinus, Vignerius, & nupere Arnaldus Sorboniſta, imo Poëtæ per luſum, ſed ridentes, verum dicentes, ut Petrarcha, Dantes, Mantuanus & Sannazarius cujus jocus eſt, at verus in Leonem X. Epigr. lib. 3. *Sacra*

316

Sdora ſub extrema, ſi forte requiritis horâ.
Cur Leo non poterat, ſumere, vendiderat.

Theodoricus à Niem memorat de Bonifacio IX. *quod cum morti proximus interrogaretur quomodo ſe haberet, optimè inquit, ſi ſatis pecuniarum haberem.*

Antonius in Chronico de eodem Bonifacio, *tempore hujus Bonifacii curia infamis habebatur de labe Simoniæ, ut beneficia non tam meritis conferrentur quam plures pecuniis offerentibus, & replevit orbem terrarum indulgentiis plenariis, ita ut parvæ Eccleſiæ in ſuis feſtivitatibus parvo pretio eas obtinerent.* Ad annum 1388. parte 3. tit. 22.

Æneas Sylvivus, *nihil eſt quod abſque argento Romana curia dedat, ipſa manuum impoſitio & Spiritus Sti. dona venduntur, nec peccatorum remiſſio, niſi nummatis impenditur.* Epiſt. ad Peragellum.

Bernardus ad Eugenium, *Indica mihi quemquam qui non pretio adductus fuerit ut te Papam renunciaret —— hæc ſunt paſcua diabolorum non ovium.* Lib. 4.

Alvarez magnus Paparum cinifло & adulator, attamen damnat ubique in Papis & clero Romano Simoniam. *Ad Papam pauci intrant, niſi qui ſolvunt; nullus quaſi pauper hodie ad Papam intrare poteſt, clamat & non auditur.* Lib. 2. art. 15. fol. 118.

Adrianus VI. oratione ad Principes Germaniæ fatetur, *in hac ſancta ſede multa abominanda fuiſſe; ægritudinem à capite in membra à ſummis Pontificibus in alios deſcendiſſe.*

Ipſa vox *Roma* hiſce concinit, ut ſit per cujuſque vocabuli primam literam Radix omnium

Digitized by Google

nium Malorum Avaritia: quemadmodum Poculum Aureum Plenum Abominationum eſt *Papa*; tum amor præpoſterus qui Romæ dominatnr Roma eſt literis retrogradis: quocirca cum deſperarent multi ſanctitatem Romæ reperire in moribus, eam quæſiverunt in ejus robore, pompa, fulgore, & Throno Papali omnium eminentiſſimo, ut de Roma dici poſſit quod Apelles, ad conſpectum Hèlenæ in tabula auro argento & purpurâ in veſtibus collucentis de ejus pictore, *cum non poſſet pingere pulchram, pinxit divitem.*

Taxa Cancellariæ inſigne eſt documentum mercaturæ rerum ſacrarum quam Papa exercet; ut non perſequar artes compendioſas quibus Papa undique nummos corrogat per collatitiam ſtipem, per indulgentias, præventiones, commendationes, diſpenſationes, ordinis, ætatis, irregularitatis, vitii corporalis, gratias, expectativas, devolutiones, cauſarum matrimonialium cognitionem, expeditiones in forma congrui, collationes, legitimationes, altaria portatilia, indulta, datas, annatas, alioſque mille modos æruſcandi: non perſequar illam definitionis partem quæ dicit hæreticum novis & falſis nominibus, dogmatibus, miraculis ſanctis, larvâ poteſtatis Eccleſiaſticæ & Spiritualis, ſpecie Religionis, fucum feciſſe in imperio illo extruendo in Reges & populos: ſingula enim hæcce attigimus alibi paſſim in hac diſſertatiuncula.

Cum autem definitio hæretici data à jure Canonico non quadret in Proteſtantem, qui nec

Digitized by Google

nec imperium terrenum ſibi ſtruxit; nec commercium habet cum artibus Simoniacis, ſed optimè conveniat Papæ; oportet ut qui ab imperio deficit, ſit in æſtimatione illius, qui ad iſtius imperii clavum ſedet, hæreticus.

Nam cum hujus imperii Dominus ſit perperam dictus Papa, ejus imperium ſit nomine tenus Eccleſia, ejus Epiſcopi & Paſtores non ſint Chriſti, ſed Imperatoris illius Miniſtri, aut potius adminiſtri; Salus in eo imperio, non ſit animam, ſed pecuniam, honores, fundos, lucrifacere; tum flagranti eſſe gratia apud Dominum Papam; ſalute excidere, etiam intra, multò magis extra illam Eccleſiam, ſit nullas partes habere, nulla authoritate eſſe in orbe Romano apud Principem, Dominum Papam, nullis beneficiis, aut ſacerdotiis diteſcere, imo ſit ipſi inſenſum eſſe: cum hæc ita ſint, quis dubitet, quin hæreſis ſit perinde ac rebellio? hæreticus ille ſit, non qui de purgatorio, de Tranſubſtantiatione, de invocatione ſanctorum ſequius ſentit, ſed qui palam bellum indicit Papæ qui larvam Eccleſiaſtici & ſpiritualis detrahit imperio Papali, eoque, reipſa terreno; is eſt manifeſtè rebellis, tum rebellionis & Majeſtatis reus.

Poſſem ad hujus rei probationem allegare ingentem turbam virorum qui tanquam hæretici vapularunt à Papa, non quod in quoquam dogmate fidei abirent à Papa, aut quod Tranſubſtantiationem, purgatorium, cultum imaginum, invocationem ſanctorum damnarent,

rent, ſed quod imperium Papale terrenum concuterent aut convellerent. Sanè Johannes Hus & Hieronymus Pragenſis, eo nomine imprimis, ut hæretici fuerunt damnati ad flammas, licet in præcipuo Romanenſis fidei articulo, qui eſt Tranſubſtantiatio cum Papa conſpirarent. Sed

Exemplum Henrici VIII. Regis Angliæ mihi erit inſtar omnium. Ille enim poſtquam imperii Papalis jugum excutiiſſet, nec dum ab ejus Religione defeciſſet, quin edicto ſanciviſſet, illam ubique in Anglia retinendam eſſe: cæterum durius ex æquo in retinentiores Papalis imperii & de Religione Romana malè ſentientes ſtatueret; nihilominus audiit & habitus eſt hæreticus & Religionis Romanæ deſertor à Papa & Concilii Tridentini Patribus, quaſi tota fides, ſeu Chriſtiana, ſeu Romana, ſolâ Papali imperio ſubmiſſione conſtaret.

Nam ii fuerunt ſermones referente Paulo Sarpio in Hiſtoria ſua Concilii Tridentini habiti à Papæ legatis & Patribus Tridentinis, quos vult in ea ſententia fuiſſe nominem poſſe à Papæ imperio deficere (etiam fidei Romanenſis retinentiſſimum) niſi unâ operâ fidem Romanam imo Chriſtianam deſerat; & palam pronunciaſſe nullam debere differentiam poni inter defectionem Henrici à Papæ imperio & mutationem Religionis; atque perinde eſſe ſe abſcindere ab Imperio Papæ, atque ab Eccleſia & Religione Romana, cujus Papa ſit; ut & Eccleſiæ ſummus rector, gubernator

& ca-

Digitized by Google

& caput, etiam ſecluſo Chriſto, ut loquitur Bellarminus: cæterum nullam, aut vanam eſſe Religionem quæ non ſit in vera Eccleſia; hanc nomine tenus eſſe Eccleſiam, cui non ſit admotus Epiſcopus Romanus, à quo & Eccleſia & Religio, nomen, vim, legem & animam recipiant, ut omnis motus & ſenſus defluit à capite ut loquitur Thomas.

Lib. 1. de Rom Pontifice c 9. S. *& Para ſolus* & ne forte.

Denique is erat ſenſus & ſermo Patrum Tridentinorum, ſic ſtatuendum fuiſſe de Henrico VIII. ut de grandi hæretico, illum eatenus defeciſſe ab Eccleſia Romana ejuſque Religione, fide, doctriniſque de purgatorio, cultu imaginum, Tranſubſtantiatione, invocatione ſanctorum, quatenus fundamentum quibus Romana & Eccleſia & Religio nituntur ſubruiſſet & evertiſſet; namque, illa eſt ſententia Baronii, Bellarmini, Cajetani, Gregorii de Valentia & Stapletoni, idem eſſe primatum, authoritatem & imperium Papale abrogare, ac Religionem Chriſtianam inficiari, *Primatus Papæ* inquit Bellarminus *eſt ſumma rei Chriſtianæ & fundamentum*; & *fide Papæ*, inquit Andradius, *noſtra continetur, & ex ejus authoritate omnium ſalus pendet*, ut fide Religione & ſalute excidat qui non agnoſcit Papæ authoritatem, & ſe de ejus imperio ſubducit, licet ejus Religionem retineat; nam utrumque præſtitit Henricus VIII. nec hic ſolus eſt ſenſus Papæ mancipiorum, ſed & virorum de gente laica, ut eſt Silhonus pars illuſtris Academiæ, quæ ſibi uni eloquentiæ artem & laudem aſcivit. *Sancta ſedes eſt fundamen-*

Præf. ad libros de primatu Papæ.

Lib. 1. def. Trid.

Part. 1. l. 2. diſc. 13.

damentum quo Religio nititur: nec ſalus eſt cujuſquam certa qui ſe ab eo capite abſtrahit.

Porro cum hæreticus Romano ſtilo idem ſit quod ille qui de Papa ſequius ſentit & qui ab eo deficit: hæreſeos crimen multò gravius cenſetur parricidio aut Regicidio: ideo volunt hoc premi debere revelatum in confeſſione, hæreſim verò minime, Juxta verſiculum *hære- ſis eſt crimen quod nec confeſſio celat*: nimirum cremare hæreticum id eſt qui non credit Papæ aut deficit ab eo, melius eſt opus quam ſervare Regem, aut Patrem. Et interficere Regem, etiam fidum Papæ, minus crimen eſt quam deficere à Papæ imperio, quia, ut volunt, hæreſis gravius eſt crimen Regicidio; ſiquidem hoc fas, illam nefas ſit in confeſſione premere.

Sed licet eò nomine Papa non eſſet hæreticis accenſendus, quod ei competat definitio, à Jure Canonico data; Sanè nullo nomine Proteſtantes inter hæreticos ponendos eſſe hinc liquet, quod de tot hæreſibus quæ per mille annos & quod excurrit, Eccleſiam corruperunt & quarum Catalogum texerunt Vincentius Lirinenſis, Auguſtinus, Epiphanius, Iſidorus; Gratianus, ne unum quidem reperias errorem in tam lato ſpatio temporis à Chriſto nato quod fuit duodecim ſeculorum ob quem Proteſtantes à Baronio & Bellarmino hæreticis accenſentur: at contra plura dogmata atro carbone notata ab Auguſtino & aliis, ut Angelicorum Vadianorum, &c. itidem culpari in Pontificiis à Proteſtantibus. Sanè ne unum

eorum

318

eorum errorum reperias apud Gratianum, qui duodecimo ſeculo vixit, quorum ut hæreſeos teterrimæ pertrahit Bellarminus reos Lutherum, Zuinglium & Calvinum: indicio certiſſimo eas doctrinas quas culpant Proteſtantes in Romanenſibus tam nuperas eſſe quam falſas & mendaces, alioquin ſi antiquæ & orthodoxæ eſſent, non minus habituras infenſos & oppugnatores, quam hodie veræ doctrinæ, de Trinitate, de Divinitate Chriſti, de Juſtificatione per fidem, habent nunc ut olim ſuos adverſarios: quod de negantibus purgatorium, cultum imaginum, invocationem ſanctorum, nemo dixerit: nempe quemadmodum hodie extant hæretici, ut vocant, qui eas doctrinas damnant, ita extitiſſe olim, qui eas damnarent & eo nomine damnatos pro hæreticis ab orthodoxis habitos, niſi aſſerere velit non potuiſſe peccari in doctrinam ut eſt purgatorium, & cultus imaginum, quorum prorſus nulla mentio erat per multa ſecula. Et cum Bellarminus in Chronico Lutherum pronunciet hæreticum quod docuerit hominem ſola fide juſtificari, liberum arbitrium periiſſe poſt peccatum, Papam eſſe Antichriſtum, indulgentias nihil valere, non dari purgatorium, peccata non ulterius remitti, quam quatenus non imputantur: cumque in Caroloſtadio, hæreſim hanc invenerit non eſſe in Euchariſtia corpus Chriſti niſi in ſigno: Et in Calvino gratiam ſemel acceptam non poſſe amitti; fideles omnes eſſe Prædeſtinatos; Cum, inquam, Bellarminus ob hæc placita

arrepta, Proteſtantes annumeraverit inter hæreſiarchas, nec tamen aſſirmare poſſit, quemquam paria ſentientem cum Proteſtantibus circa hæc dogmata, pro hæretico habitum ante tempora Gratiani: planè conficitur eas doctrinas quas Proteſtantes damnant in Pontificiis, novitiola eſſe commenta, adeoque immeritò eo nomine hæreticos dici.

Nam ſi tam hæreſis eſt in Proteſtante negare purgatorium, damnare cultum imaginum, invocationem ſanctorum, ademptionem calicis, aſſirmare Papam eſſe Antichriſtum, quam negare Divinitatem Chriſti, confundere naturas, dividere perſonas; omnino reputandum eſt, errantes tam in his quam in illis dogmatibus ex æquo debuiſſe poni inter hæreticos, ab Auguſtino, Epiphanio & Gratiano: quod tamen nequaquam ab illis fit: indicio longè illuſtri ea dogmata quæ Proteſtantes damnant, eſſe nova & adhuc ab incude calentia: illa vera quæ Pontificii nominatim Bellarminus in Luthero & Calvino culpant eſſe puram orthodoxam & antiquam fidem: neque enim credibile eſt (ut nec id admittunt Pontificii,) omnes doctrinas de quibus lis eſt cum Proteſtantibus, & quas in his Pontificii damnant demum cum Luthero & Calvino exortas & enatas eſſe: multò minus ſi revera hæreſes fuiſſent & antiquæ prætermiſſas fuiſſe, ab Auguſtino, Epiphanio, Iſidoro & Gratiano.

Poſſem ad epimetrum docere eum demum pro ſchiſmatico haberi in Eccleſia Romana, non

320

non qui deſcivit ab eo aut ab ejus doctrina, ſed qui à Papæ imperio, & non ulterius quemquam deſciſcere ab Eccleſia Romana, aut ejus doctrina quam quatenus deſciſcit ab Imperio Papæ. Sed id palam modò feci exemplo Henrici VIII. Regis Angliæ. Sanè cum Eccleſia Romana, (ſi tamen Eccleſia) ſit particularis Eccleſia, non eſt ſchiſma ſe ab ea abſcindere; nec per ſchiſma quis deſciſcit ab Eccleſia Catholica ſed per apoſtaſiam: ut nec ſchiſma morbus eſt hominis particularem Eccleſiam deſerentis, ſed particularis Eccleſiæ (manente eadem Eccleſia) factionibus laborantis, ut accidit in Eccleſia Corinthiaca, cujus ſchiſma erat, non quod una pars, cœtus agitaret ſeparatim, ſed quod varii eſſent ſenſus inter præcipuos de grege, factionibuſque laborarent, unus diceret ſe eſſe Pauli, alter Apollos; ſed nec diſceſſio, ſed cauſa facit ſchiſmaticum, ut Tertullianus de martyre dicit, *non pœna ſed cauſa facit martyrem:* nam ſi Eccleſia dedit cauſam ſchiſmati, tum illa cenſenda eſt ſchiſmatica, ut eſt Romana à qua qui ſe avellit non eſt dicendus ſchiſmaticus. Cæterum Romana Eccleſia duplici nomine eſt ſchiſmatica, tum quod ipſa intercutibus vitiis laboret, & factionibus, tum quod dederit cauſam Luthero & Calvino deſerendi Romanam Communionem. Tum eatenus Eccleſia Romana ſchiſmatica eſt quod nova ſit & deſciverit ab antiquitate: namque hæc ultimorum temporum Eccleſia Romana, non ſolum ab Apoſtolica & priorum ſeculorum Eccleſia

ſchiſma fecit, ſed etiam confirmatam mille & amplius annorum uſu doctrinam corrupit & innovavit; ſchiſma non eſt à tali Eccleſia ſeceſſiſſe, ſed ſchiſmatis vitatio, unitatis retentio, ſanitatis recuperatio; nam ut rectè ait author conſtitutionum Apoſtolicarum, ὅτι ἀποσχίζει οὐχ' ὁ τῶν ἀσεβῶν χωριζόμενος, ἀλλ' ὁ τῶν εὐσεβῶν ἀφιστάμενος, *quod ſchiſma facit non qui ſeparat ſe ab impiis, ſed qui ſegregat ſe à piis.*

CAPUT XVIII.

Reſponſio ad exemplum Henrici VIII. Regis Angliæ, quod affertur ut probetur, nec imperium Papale Conciliare authoritatem doctrinis Romanenſibus, nec harum ruinam implicitam eſſe ruinâ imperii Papalis.

UT probetur ruinam doctrinarum Romanenſium non eſſe neceſſarium conſequens excidii, Papalis imperii, allegatur exemplum Henrici VIII. qui cum excutiiſſet jugum Papæ, quatenus, tum ſe venditabat Epiſcopum & caput Eccleſiæ Catholicæ adeoque Angliæ, tum Angliam jure privati dominii tenebat, nihilominus Religionem Romanam integram & illibatam reliquit: quin publico edicto juſſit & ſanxit, ne quis ſibi præſumeret per caſum imperii Papalis in Anglia & in Angliam hanc licentiam & poteſtatem ſequius de Religione Romana ſentiendi, quam antea, neque expectandi aut moliendi mutationem in Religio-

Religione: cui imperio Regio maxima pars plebis morigeram ſe præſtitit, imprimis clerus: quod quidem exemplum aiunt luculentam eſſe probationem poſſe in aliquo territorio retineri Religionem & doctrinam Romanenſem, etiam poſt excidium imperii Papalis, nec Papa agnito univerſali Epiſcopo. Sed nihil hoc exemplo commoveor, quin contra obfirmato animo, ſed ſubacto judicio pertendam eam objectionem nullatenus infirmare enunciatum illud noſtrum, nempe ruinam doctrinarum Romanenſium, neceſſariò involvi ruinâ Papalis imperii, nec quicquam officere, imo juvare exemplum ab Henrico VIII. petitum; nam vix benè fuit Papa ſuo imperio in Anglia exutus, cum cœperunt, cum Religio & fides Romana concuti & convelli; tum ubique apud omnes ordines vapulare pleræque Romanenſes doctrinæ, quoad faventibus Poteſtatibus ſecularibus, Rege nimirum & regni comitiis, populiſque faſtidientibus Religionem cui authoritas nulla nec à Papali, nec à Regio imperio accedebat, non fuit magnus labor Religionem Romanam peſſumdare, eamque cum Papali imperio ex Anglia exigere, quod ſanè effectum eſt brevi poſtea tempore.

Sed nec ſi in hunc diem regnaret Romana Religio in Anglia, amoto Papali imperio quicquam decederet de vi aut veritate effati noſtri, quod nec gratia nec authoritas accedunt Religioni Pontificiæ & doctrinis Romanenſibus niſi ab imperio Papali, divitiis, pompâ & robore florenti & illuſtri.

Cum

Cum non potuerit exule imperio Papali, utut Rex animatus eſſet, uno hortationis ictu populus in longum imbutus Religione Romanenſi, & diu aſſuetus inſanire circa Papales pupas, ab ea abduci ad Lutheraniſmum, non mirùm ſi in multos annos, imò ſi in ſeculum duraſſet populus in Religione Romanenſi, eoque magis durante amore imperii Papalis cum amore Religionis Romanæ.

Erat enim illa imperii Papalis proſcriptio opus non populi, ſed pene ſolius Regis eoque nomine paſſim ejus incœptum damnabatur; perſtante plebe venerari & adorare Romanum imperium, quod licet non fulgeret ullâ pompâ in Angliâ, ejus auditus quod fulgeret extra Angliam & florens eſſet divitiis & robore, maximum erat incitamentum ad retinendam Religionem, cui authoritatem illud imperium conciliabat.

Cumque plebs non eſſet exoluta errore in quem induxit aut iniquitas Papalis imperii, aut fraus larvæ Poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis; quâ Papa ſuum imperium obducit, vix potuit quin tandiu in amore Religionis Romanæ perſtaret, quandiu in amore imperii Papalis preſeverabat: nec potuit exuere cultum, cui hoc imperium gratiam & authoritatem conciliabat, quoad agnoſceret fraudem fuci quo Papa illud obtegit. Vis enim mei pronunciati aut effati ea eſt non poſſe apud quemquam, Regem, populum aut hominem perire amorem & venerationem Religionis, apud quos authoritas imperii Papalis, magna

eſt.

eſt. Et contra nullum Regem, populum, aut hominem exolutum fraude vocabulorum Eccleſiaſtici & ſpiritualis, quo fuco Papa obducit ſuum imperium terrenum, poſſe diu perſeverare in amore & cultu Religionis Papalis. Denique non magis verum eſt bis duo eſſe quatuor quam hoc dictum: neminem jugum Papalis imperii excutientem poſſe, ſaltem animo, diu in amore Religionis ſeu Romanenſis ſeu Papalis, perſeverare.

Nec Regi quem detinebat amor, tum imperii ἀνυπευθύνου, tum mulierum, curæ fuit quæ Religio obtineret in Anglia, modò de voluptatibus ad quas magno impetu ferebatur nihil decederet.

Nec qui nupere Religionem Romanam defenderat Scripto publici juris facto, poterat ſine infamiæ apud ſuos aut levitatis nota amplecti Religionem Lutheri, & pati ut iret in vulgus. Quid? quod Lutherus ſic contrario ſcripto pupugerat Regis animum, ut in vindictam aſtringi ſe putaret præbere ſe patronum Religionis quæ Luthero adverſa eſſet.

Sed Henricus palam edocuit Romanenſem Religionem & fidem, ſolâ authoritate Papæ niti aut ſuppari, quando ſummam quam in Anglia excercebat authoritatem & poteſtatem tranſmovit in ſe, ſeque induit Papali poteſtate, ut ipſe Papa foret, ſi non nomine ſaltem re, in orbe Britannico: tum ſumpſit ſibi titulum capitis Eccleſiæ, vicariumque ſibi conſtituit generalem ad imitationem Papæ Romani, qui ſuo nomine cum ſummo Imperio ordina-

ret

ret res Eccleſiæ; quique excelſiora ſcamna premeret, etiam ante Archiepiſcopum Cantuarienſem, cum in ſacro Regis Conſiſtorio, tum in comitiis regni, atque in conventione cleri: in quo incœpto Henricus, ne poteſtas Papalis aut conſimilis proſcripta ex Anglia, pariter ſecum raperet Religionem Papalem quam conſilium erat retinere, voluit Tyrios imitari ab Alexandro obſidione cinctos; qui cum vererentur ne ſimulachrum Apollinis, quem eximiâ Religione colebant, urbem deſereret, aureâ catenâ devinxere, aræque Herculis, cujus numini urbem devoverant, inſeruere, quaſi Apollinem retenturi. Idem fecit Henricus, dum Poteſtatem Eccleſiaſticam & Papalem ſibi devinxit ne Romam avolaret & unâ ſecum adduceret Religionem Romanam.

Lib. 4. Curtii.

Sed, ut hanc rem magis ſeriò agam: Magnus Cujacius ait optimo conſilio id factum ab Henrico ad exemplum Julii Cæſaris, qui ſummum Pontificatum junxit Cæſarianæ potentiæ, ratus ſeparatim, neutrum poſſe haberi, nec diviſim à duabus perſonis ſuſtineri.

De origine Juris Civilis.

Adde quod potuit Henticus exolvi errore fuci & tectorii poteſtatis Eccleſiaſticæ quo incruſtabat Papa ſuum imperium in Anglia, ac cenſere illud imperii injuſtâ occupatione retineri ab eo, nec tamen inter hæc exuere omnem reverentiam exhibitam imperio & Poteſtati, quæ ubique extra Angliam, potens, dives & fulgens erat, quæque ſi non amorem, ſaltem terrorem vicinis, aut authoritatem Romanenſibus doctrinis conciliabat: potuit

potuit ſuſpicere eam poteſtatem illudve imperium pari veneratione, quâ etiam Chriſtiani Reges obſervant & ſuſpiciunt imperium Turcicum, ut faciunt quicquid in alto & excelſo faſtigio poſitum eſt.

Sed vix credo Henricum liberatum fuiſſe errore, in quem, vel iniquitas imperii Papalis, vel fraus larvæ, quâ obducitur cæteros conjiciebat: ſed erga Papam ſe geſſiſſe ad modum ſubditi inſurgentis in Dominum, cujus ſubditi rebellio, nec dat animos deficiendi à Religione Principis: nec dictat hanc opinionem ſui Domini imperium eſſe injuſtè occupatum.

Cumque non tam Papæ imperium quam conſimile & paria cum eo faciens conciliet authoritatem Romanæ Religioni: atque id imperii Papalis perinde pompâ & divitiis illuſtre in ſe Henricus tranſmoviſſet, non mirum ſi eadem Romanenſis Religio placuerit, cui eadem authoritas, eadem gratia ab illo imperio Papali in Anglia retento & perinde perſonato & ſucato vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis, conciliabatur.

Non leve eſt quod valeret objectio, ſi Henricus excutiendo & imperium Papæ & ejus Religionem habuiſſet ſuos ſubditos reluctantes, nam quod Regi obtemperaverint proſcribenti Papæ Imperium, docet potuiſſe eum, tam morigeros habere in mutatione Religionis, ſi quam molitus fuiſſet.

Sed Pius IV. docuit ſe in ea ſententia fuiſſe Romanenſium doctrinarum ruinam, neceſſa-

rio

rio involvi ruinâ Papalis imperii; cum Elizabethâ primum regnante dedit clam in mandatis Vincentio legato ſuo, ut ſi quæ foret ſpes retinendi poteſtatem Papæ integram & illibatam in Anglia per indulgentiam liturgiæ Patria linguâ & Communionis ſub utraque ſpecie, eam audacter nomine Papæ faceret poteſtatem.

CAPUT XIX.

Occurritur objectioni, petitæ à Græcis, Moſchovitis & aliis extra Communionem Eccleſiæ Romanæ, retinentibus dogmata in quibus perinde peccant ac Romanenſes, ut probetur, nullam accedere authoritatem Papalibus doctrinis, Religioni & Eccleſiæ à Papæ imperio, divitiis & pompâ illuſtri, nec hujus ruinâ, involvi ruinam Religionis & doctrinarum Eccleſiæ Romanæ.

AT aiunt non eſſe credibile propter caſum imperii Papalis populos depoſituros dogmata Papalia, cum multæ δόξαι Eccleſiæ Romanæ, ut eſt invocatio ſanctorum, retineantur à Græcis etiam poſt excidium imperii in oriente, quæque multò minus deponerentur ſi concideret imperium Papæ. Ad quæ dico non eſſe parem rationem, neque enim unquam veneratio & fides fuit apud Græcos dogmatum conſimilium Romanæ fidei, vel ab imperio Papali quod non agnoſcunt, vel ab imperio aliquo terreno divite & illuſtri, eoque perſo-

32 h

perſonato & fucato, atque habito apud ſuos ab Epiſcopo aliquo Græco ad modum Epiſcopi Romani inter ſuos. Sed nec exolvi poſſunt Græci errore aliquo, aut fraude Epiſcopi puta Conſtantinopolitani, à quo nunquam fuit vindicatum imperium in omnes Græcos, ac proinde nec excuſſum jugum ab illis, nec ulla cauſa fuit, quod per caſum imperii orientalis, annitente & invadente Turca ſequius ſentirent de tota Religione Græcorum, quemadmodum accideret populis de Communione Romana ſimul ac injuſtam occupationem imperii Papalis præſentirent, eique ſuum fucum imperii Eccleſiaſtici detraherent.

Nec valet objectio ni ſtatuitur Græcos exolutos & liberatos ſemel imperio fucato & perſonato, nihilominus retinuiſſe eas falſas doctrinas cum Romanenſibus conſpirantes quas ſtante illo imperio profitebantur. Nam vis noſtri pronunciati, quod ruina doctrinarum Romanenſium involvatur ruinâ imperii terreni Papalis fucati & perſonati in eo eſt, quod non poſſint Romanenſes exolvi grandi illo errore imperii illius fucati & perſonati, quin ſequius ſentiant de omnibus doctrinis Romanenſibus, quas imperium illud, aut ille qui ad ejus clavum ſedet illis probavit & commendavit, & qui in uno & præcipuo ſe ſentiunt deceptos, non reputent ſe perinde in reliquis circumſcriptos. At hic alia res eſt Græcorum, qui errores Romanenſes retinent, non tanquam à Papa aut Romanenſibus commendatos, & quos nullam habent cauſam

depo-

Digitized by Google

deponendi propter aliquam fraudem in quam à ſuis illecti, & quâ exoluti eſſent. Nam non negarim poſſe vel futiliores Romanenſibus doctrinas, vel ab ipſis Romanenſibus, (multò magis à Græcis) retineri, modò præſupponatur nullo vinculo ſuæ cuique utilitatis, non amoris, venerationis & approbationis fuiſſe colligatas, cum aliquo imperio terrenò (ut eſt Papale) ſuâ pompâ, fulgore, robore & divitiis illis gratiam & authoritatem conciliante; cumque tantùm authoritatis concilietur doctrinis Romanenſibus à ſolo Papa ejuſque ſucceſſione in primatum Petri & regimen Eccleſiæ Catholicæ, quantum dogmatibus & Religioni Eccleſiarum Græcarum ab univerſis Epiſcopis, & antiſtitibus Græcis; par utrobique eſt ratio, ut ſi authoritas Religionis & dogmatum Græcarum Eccleſiarum cadere debet ad ruinam omnium Epiſcoporum & antiſtitum Græcarum Eccleſiarum, multò magis id cenſendum ſit de Papa ut ad ejus caſum, concidere debeat omnis authoritas Eccleſiæ & Religionis Romanæ.

Sed non ſi imperium pompâ, divitiis & robore illuſtre, fucatumque ſpirituali & Eccleſiaſtico, non conciliat authoritatem dogmatis arreptis à Græcis, Moſchis, Æthiopibus, Maronitis quæ ſunt conſona Romanenſibus, ſequitur idem non fieri in Eccleſia Romana, cum eadem doctrina diverſis nominibus & cauſis retineri poſſit à Chriſtianis, ut in Eccleſia Romana; quia Jubetur à Papa, apud Moſchos & Græcos, quia imperatur inibi ab Antiſtibus Eccleſiæ.

Quid

325

Quid quod non minor authoritas conciliatur Religioni Moſchovitarum ab Imperatore Moſcho, quam Romanæ à Papa cum illius placita tanquam vox Dei ſuſpiciantur, ipſeque vocetur vulgò claviger Paradiſi & magnus Dei Cubicularius, ut procul dubio, ſi juris ſui & imperii faceret Turca imperium Moſchovitarum, periret omnis authoritas Religionis Moſchoviticæ, quæ non conciliatur à Sacra Scriptura.

Sed nec idem animus, nec eadem mens Græcis retinentibus dogmata Romanenſia, atque populis Religionis Romanæ; quod liquet exemplo invocationis ſanctorum, qui nec eodem conſilio, nec iidem invocantur apud Græcos, atque apud Romanenſes, neque enim illi invocant Sanctos quos Papa intulit cælo per Canoniſationem.

Nec ea eſt ſententia Græcorum, Ruſſorum, Æthiopum & aliorum Chriſtianorum, qui nullum habent commercium cum Eccleſia Romana, fide cujuſquam Præſulis, Metropolitani, aut Patriarchæ inter ſuos, contineri ſuam & fidem & ſalutem, ut ejus ſint exſpes extra Communionem cum eo, quemadmodum ſententia eſt pene omnium Pontificiorum, nempe nullam cuiquam ſperandam ſalutem qui non adhæret Papæ ut membrum capiti, nam ea ſententia eſt Silhoni in ſuo miniſtro ſtatûs viri illuſtris de gente laica, multò magis Baronii, Bellarmini & omnium de ordine Eccleſiaſtico Romanenſi, ut jam non mirum, cum authoritas fidei Romanenſi concilietur à ſolo

Papa, ſi cadente Papâ, ejuſque imperio, fidei quoque Papalis cadere debeat authoritas apud omnes Romanenſes: quod de Græcis dici nequit, palam profitentibus ſe nulli præterquam Deo loquenti in ſcripturis authoritatem ſuæ fidei aſcribere.

Sed quo tandem animo, quo authoramento, retinentur puta à Græcis doctrinæ quæ ſunt Romanenſibus conſonæ: certum eſt de Romanenſibus & Græcis illa quæ ſubjungam corollaria eſſe veritatis indubitatæ & quibus explicatius objectioni propoſitæ reſpondetur.

1. Eam opinionem altè animis populorum Romanenſium infixam eſſe Papam eſſe vicarium Chriſti in regimine Eccleſiæ Catholicæ in terris, cujùs legibus, decretis, conſtitutionibus parere omnes Chriſtiani teneantur, cujus fide ut loquitur Andradius fides omnium Chriſtianorum contineatur, & extra cujus Communionem non ſit ſalus.

2. Eam opinionem altè infixam conciliare authoritatem pleriſque Romanenſibus doctrinis quæ nullam à Scriptura habent, ut ſunt purgatorium, cultus linguâ Latinâ celebratus, diſtinctio ciborum, cœlibatus ſacerdotum, ademptio Calicis, miſſa ſine communicantibus, cui authoritas accedit ex ſolo Innocentio III. & Concilio Tridentino, tum invocatio ſanctorum, quorum maximæ turbæ, gratia, honor & authoritas accedunt à Canonizatione Papali.

3. Illi opinioni lenocinari, imo gratiam & au-

326

& authoritatem conciliare, Imperium Papæ terrenum longè lateque patens, atque divitiis, robore firmiſſimum & florentiſſimum, quod jam pene octingentos annos ſibi Papa in maximam Europæ partem ædificavit.

4. Ac proinde diruto illo imperio ut accidit in Anglia ſtatim evelli debere illam opinionem altè infixam, & unà authoritate excidere totum ſyſtema Romanenſium doctrinarum.

5. Cæterum hæcce non poſſe applicari Græcis retinentibus doctrinas, in quibus perinde ac Romanenſes peccant. Namque ſi quos errores habent in quibus cum Romanenſibus conſpirant, ut ſunt invocatio ſanctorum, cultus quarumdam imaginum, ſignaculum crucis, tum in Baptiſmo, tum ad alios uſus adhibitum, totus propemodum miſſaticus apparatus; illos cum non habeant à Romanenſibus, ſed potius hi ab illis plane retinerent, quicquid demum fieret de Papa & ejus imperio: nam neque inficior, ſi Reges & populi, qui cum Papa communicant, errore illo grandi, imperii perſonati & fucati quod in eos extruxit exoluti eſſent, idque excuterent, evenire poſſe ut retinerent illius doctrinas, utut falſas, ſed exortas cum Græcorum erroribus priuſquam Papa ſuum imperium in Reges, & nationes ædificaret. Sed conſtantiſſimè affirmo illos errores demum poſt extructum Papale imperium enatos, quique ſunt maxima pars Romanæ fidei; ſi caderet imperium & interiret, eâdem ruinâ interituros, ut

Digitized by Google

qui totam ſuam authoritatem debent illi imperio Papali, pompâ, divitiis, & robore illuſtri. Nam & pronus eſſet lapſus illorum errorum antiquioris epochæ, quique procul dubiò dubiæ & nutantis eſſent fidei, apud illos qui Æram ſingulorum Papalium errorum non didicerunt: & qui reputantes ſe hactenus deceptos in præcipuo dogmate Romanæ fidei, ut eſt Monarchia ſpiritualis & Eccleſiaſtica, ſed revera perſonata Papæ, facile adducerentur ut crederent potuiſſe à Papa in reliquis circumſcribi: quod de Græcis, Moſchovitis, Æthiopibus & Jacobitis dici nequit; ut ad caſum cujuſquam imperii, ut Papalis deponant errores in quibus conſpirant cum Eccleſia Romana, & quibus nunquam authoritas apud illos acceſſit à Papa, quoſque non retinent, ut à Papa commendatos, nec deponere poſſent eodem nomine & conſilio, quo facerent populi qui ſe à Papæ imperio abſcinderent, in ultionem fraudis, in quam ſe illaqueatos & implicatos non habent quod conquerantur Græci, ut dogmata ſua damnent longè Papa antiquiora.

CAPUT

CAPUT XX.

Quod & quatenus Poteſtas ſecularis cum ſummo imperio admota Reipublicæ clavo, ſit caput, rector, imo Epiſcopus Eccleſiæ intra ſepta ſui territorii.

LEmma hujus capitis duo dicit & docet, ſaltem promittit me palam facturum in ſequentibus.

1. Summum Magiſtratum non tantum caput eſſe & ἡγέμονα ſed & Epiſcopum Eccleſiæ intra ſepta & cancellos ſui territorii. 2. Quod non derogando dignitati miniſterii Evangelici & poteſtati collatæ in Miniſtros Chriſti præſtantiâ & nobilitate ſuperanti altiſſima faſtigia Magiſtratús, hic tamen poſſit proprie & citra ἀκυρολογίαν dici rector, caput, gubernator, imo Epiſcopus Eccleſiæ ſui territorii.

Profectò ſi rectè ratio putatur, tanta eſt dignitas Miniſtrorum Evangelicorum, ſacrique miniſterii, muneris & poteſtatis, ut non verear affirmare longe ordine, ſtatione & præſtantiâ antecellere alta culmina mundi Monarcharum, uſque adeo, ut de Paſtore Evangelico aſſumente aut Regium munus aut maximam dignationem in adminiſtratione reipublicæ uſurpari poſſent verba Conſtantii ad Themiſtium Philoſophum, quem dignitate ampliſſima Magiſtraturæ ornaverat, *cum olim ſurſum deſcendiſſet nunc debere ſurſum deſcendere* νῦν ἀνάβηθι ἐκάτω καὶ γὰρ ἄνω κατέβης. Sane planè cenſeo Epiſcopos in Anglia digniores eſſe

Digitized by Google

propter ſuum Miniſterum Evangelicum quo ſunt æquales Presbyteris, quam propter ſuas Baronias quibus ſuppares ſunt proceribus regni.

Antequam hæc expediam, quædam ſunt præmittenda, de natura Poteſtatis, tum miniſtrorum Evangelicorum, tum Magiſtratus circa ſacra. 2. De natura Eccleſiæ ejuſque authoritate.

De natura poteſtatis miniſtrorum & Miniſterii Evangelici, non ulterius inſtitui dicere, quam quatenus facit ad probationem & elucidationem argumenti quod eſt hujus capitis titulus. Sane ſi quis longo ordine recenſet omnia novi Teſtamenti loca quæ de poteſtate clavium, ligandi & ſolvendi, verbi, Paſtorum ad ſalutem, transferendi à poteſtate Satanæ ad Deum, à tenebris ad lucem, quæ hominem, novo homine induit, agunt, comperiet toto cælo differre non tantum à poteſtate Magiſtratûs, ſed & ab ea poteſtate quæ in Synodis & Conſiſtoriis habetur & exercetur, cum hæc ſit ejuſdem naturæ atque poteſtas Magiſtratûs: quin & comperiet de centum locis quæ de poteſtate verbi & Paſtorum mentionem faciunt, ne unum quidem applicari poſſe ad poteſtatem illam tantopere decantatam & nomine tenus Eccleſiaſticam.

Sed Scriptura Sacra hanc chimericam poteſtatem explodit, 2. Corinth. cap. 10. verſ. 5. ubi ſplendidis verbis & elogiis veram poteſtatem Paſtorum deſcribit. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed Divinitus valida ad*

ſub-

ſubverſionem munitionum, dum ratiocinationes evertimus omnemque ſublimitatem quæ extollitur adverſus cognitionem Dei & captivam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto; quorum verborum hæc eſt Paraphraſis.

“ Arma Paſtorum Evangelicorum ſunt po-
“ teſtas ligandi & ſolvendi, poteſtas verbi,
“ quæ tota eſt ſpiritualis, & toto cælo differt
“ & diſtat à poteſtate Regum, Principum &
“ Magiſtratuum qui ſedent ad clavum reipu-
“ blicæ: horum poteſtas ad externum homi-
“ nem pertinet, in corpora duntaxat agens,
“ adigens ad obſequium ſui, etiam nolentes,
“ invitos & repugnantes, & ſolas externas
“ actiones regens. Illorum poteſtas ejuſmo-
“ di eſt, ut in ſolos quidem volentes agat,
“ ſed quos ex nolentibus, invitis & repug-
“ nantibus, volentes præſtet, ſic afficiens illos
“ in quos agit, ut omnia argumenta, conſi-
“ lia & mandata ſuggeſta à Satana, mundo &
“ carne poſthabeant, rationibus Divinis &
“ neceſſitati parendi Deo, poteſtas eſt Dei,
“ ad ſalutem, novam vitam, novam imagi-
“ nem, quæ ſua natura & perſe compedibus
“ peccatorum & affectuum vinctos ſolvit; at
“ per accidens rebelles & immorigeros arctius
“ conſtringit: poteſtas eſt quæ animum prius
“ vincit, & pervincit, movet & permovet,
“ ſuadet & perſuadet, quam corpus ſecum tra-
“ hat: denique poteſtas eſt quæ omnes affe-
“ ctus internos, amorem mundi, vitæ retina-
“ cula, pretia & lenocinia voluptatum aut ju-
“ gulat, aut mancipat cruci Chriſti.

Atque huic paraphaſi convenit jus Canonicum, cum dicit *ſacerdos officium ſuum exhibet, at nullius poteſtatis jura exercet*, nec alium gladium Eccleſiæ tribuit quam ſpiritualem, qui ſtringitur declarando jus Dei, & quod peccatori ſua ſunt peccata remiſſa, ut loquitur Adrianus VI.

De pœnit. c. 23. diſt. 1. c 51. & 3. qu. 3. qu. 5. quodlibet fol. 32.

Ea poteſtas, potiſſimum ſe exerit in cœtu fidelium, in exercitio ſacræ functionis per prædicationem verbi, adminiſtrationem ſacramentorum, tum per hortationes, monita, tum privatim, tum publicè, ad fidem & pœnitentiam inculcata, quibus homo carnalis renovatur: at in Synodis, Conſiſtoriis, conventibus, ſeu Eccleſiaſticis, ſeu Politicis non ulterius ſe exerit, quam quatenus Paſtor Evangelicus, de omni ſubjecto, negotio, lege, conſtitutione, tum lite, controverſia & materia in quam, peccatum, æquitas, iniquitas, juſtitia, injuſtia, convenientia ſeu conformitas cum lege Dei & diſcrepantia ab ea, cadunt; juſque Dei aperit; ſaltem ſuper his ſenſa ſua promit, & declarat, argumenta profert, quæ ſibi aſſidentes pervincat, & ad hanc potius quam ad illam partem trahat & flectat: non aliâ aut in cœtu aut extra cœtum vi quam flexanima adhibitâ, virtute ſacræ functionis, multò minus quæ repugnantes, aut cogat, aut puniat.

Nam ſi quid Paſtor Evangelicus, in quocunque cœtu, civili, aut Eccleſiaſtico peragit, cum definitis per majorem partem ſuffragiorum vim decretorum, aut legum imprimit,

primit, leges publicat, cenſuras latas per legem infligit, tum non eatenus partes Paſtoris Evangelici implet, ſed viri poteſtate veſtiti, quæ illi Communis eſt cum Magiſtratu, cujus poteſtas non ſe exerit in eos quos interna luce & ratione pervincit, ſed promiſcuè & in volentes & in nolentes juxta: alioquin cenſendum eſſet, omnem legem, Canonem aut cenſuram, à majori parte ſuffragiorum latam, concordare aut cum lege Divina, tum cum vero, æquo, &c. aut cum internis ſenſibus & approbatione illius ad quem pertinet, aut ejus qui legem tulit, quod tamen falſum eſt.

Cumque ab omnibus capitibus cœtús etiam diſſentientibus, tuendum ſit quod à majore parte, (licet non potiori forſan aut graviori) decretum eſt, neceſſariò conficitur, actum illum in Paſtore Evangelico vindicandi aut aſſerendi legem aut Canonem quem non approbat, non eſſe actum illius poteſtatis ſpiritualis quâ veſtitus eſt Evangelii miniſter, ſed ejus qui ſibi & aliis vim facit & forſan nolens cogit ad obſequium nolentem & repugnantem, ſimilis Gregorio I. qui quidem ut Paſtor Evangelicus diſſuadebat Mauritio legem, quam mox ipſe quatenus Imperatoris Miniſter, præco aut ſatelles, promulgavit. Notanda ſunt verba legis, *quod major pars curiæ effecit pro eo habetur ac ſi omnes egerint.* Et Plinius *ſingulos integra re diſſentire fas eſt, peractâ quod pluribus placuiſſet cunctis tuendum.* Strada ait Philippum II. Hiſpaniæ Regem Senatores in Belgio adegiſſe, ut quæ ſententia in ſenatu

Digeſt. l. quod l. 6. Ep. 16.

præ-

præpolluiſſet eam uti meliorem extra curiam tuerentur ii qui contra ſenſiſſent: quæ quidem regula obtinet in omni cœtu hominum, ſeu Eccleſiaſtico, ſeu politico: nam ſecundum hanc regulam, quæ tum humano, tum maxime Divino juri congruit, Paſtor in Synodo ſenſa ſua quidem promit de illis quæ vera & ſana ſentit, quatenus eſt verbi Dei miniſter, ſeu conveniant cum jure Divino ſeu ab eo abeant, ſed is actus quo ſe vel majori numero, vel minori adjungit, & quo vim legis Canoni in quem major numerus conceſſit, imprimit, & à quo forſan ipſe ſenſibus abit, non eſt actus Paſtoris præditi poteſtate ligandi & ſolvendi, quæ claudit & recludit peccatoribus regnum cælorum, ſed qui Communis eſt omni cœtui hominum, Magiſtratuum, fabrorum, medicorum.

Reperio aliquid ſimile aut factum, aut eveniſſe in duabus Synodis in Gallia, in una quendam cenſuræ ſubjectum, quod ad ſententiam minoris numeri ſic accederet, ut pro rata haberi vellet: in altera verò D. de B. cenſurâ notatum quod vellet minorem numerum pro potiori haberi. Sanè hic actus poteſtatis in cenſurâ, aut notatis aut notantibus, non fuit actus poteſtatis clavium nec ligandi & ſolvendi quæ ad ſolos verbi Dei Miniſtros pertinet, cum fieri potuiſſet, ut minor numerus, & ſanior eſſet & potior, ſed hic actus fuit poteſtatis analogæ poteſtati Magiſtratûs, cujus legibus, vis & robur accedunt non ab eorum bonitate, æquitate & juſtitia, ſed vel à majori

Synode du Tonins à 1614. art. 16. & au Synode de Privas art. 12.

Digitized by Google

330

jori parte ſuffragio:um, vel à voluntate decernentis.

Hæcce illuſtriora palam faciam per reputationem duplicis generis actuum, qui ſunt effectus duplicis poteſtatis, quæ conſpicitur in omni cœtu & ſocietate hominum: alii enim ſunt actus functionis, ſcientiæ, artis & peritiæ, alii Juriſdictionis: primum genus actuum peragitur declaratione ſenſuum cujuſque, & ſententiæ, ſed neminem attinentis præter eum quem pervicerit: actus poteſtatis ſecundi generis non expectat modum obſequii à convictis & perſuaſis & volentibus cum etiam agat in nolentes. Hoſce ſecundi generis actus producit poteſtas Magiſtratûs, aut poteſtas poteſtati Magiſtratûs analoga, cum intra, tum extra cœtum. Per poteſtatem primi generis Plinius dicit integrum cuique eſſe diſſentire in ſenatu à majori parte: at per actus poteſtatis ſecundi generis, eundem hominem teneri tueri quod pluribus placuit, etiam quod ſibi non placuit: nam & vim legis & ſenatuſconſulti imprimit quandoque definitioni cui aſſenſum ſuum non præbuit.

Denique per primum genus actuum homines ſententiam dicunt, ut Theologi, Juriſconſulti, Mercatores, fabri, Mathematici, architecti, textores, agricolæ; medici, grammatici, ut viri functione præditi, periti in ſua arte, ſcientiâ, diſciplinâ, ut Chriſtiani, fideles; imo ut Epiſcopi, Paſtores & verbi Dei Miniſtri, at per ſecundum genus actuum ſententiam dicunt ut Juriſdictione præditi quæ de

Digitized by Google

de jure Communi exercetur ab omni cœtu hominum, ſenatu, Synodo, Collegio, Academia.

Reverendus Vir Edoardus Stilling-fleet S.S. Theologiæ Doctor, haſce duas poteſtates dilucidiſſimè diſtinguit, adeoque totam rationem exponit utriuſque poteſtatis quæ exercetur in Eccleſia, unius, quæ eſt Paſtoris, alterius quæ eſt Magiſtratûs.

Irenic. part. 1. c. 2. p. 41.

" Diſtinguere debemus inter poteſtatem
" externam ſeu objectivam, circa materiam
" Religionis, & internam & formalem, hanc
" vocant elicitivam & poteſtatem ordinis, il-
" lam imperativam ſeu Juriſdictionis quæ eſt
" poteſtas Eccleſiaſtica, ut altera eſt circa Ec-
" cleſiaſtica: hæc & altera diſtinctè à Con-
" ſtantino apud Euſebium, una τῶν ἐκτὸς al-
" tera τῶν ἔσω τῆς ἐκκλησίας. Interna formalis
" & elicitiva poteſtas quæ eſt ordinis, conſi-
" ſtit in authoritate & exercitio functionis
" miniſterialis in prædicando & adminiſtran-
" dis ſacramentis, at externa objectiva, ſeu
" imperativa quæ eſt Juriſdictionis, conſiſtit in
" proviſu, defenſione & protectione, ac pro-
" pagatione Religionis, prima ad ſolos Mi-
" niſtros pertinet, ſecunda ad ſupremum Ma-
" giſtratum; per eam diſtinctionem intelligere
" poſſumus & ſolvere hanc quæſtionem tanto-
" perè agitatam circa mutuam ſubordinatio-
" nem poteſtatis civilis & Eccleſiaſticæ, nam
" ut ait Petrus Martyr hæ duæ poteſtates ſunt
" quodam modo ἀντιςροφαὶ, & variis modis
" circa unum verſantur, neque enim eſt Pa-

ſtorum

" ſtorum jus dicere & juſtitiam adminiſtrare,
" ſed jus & juſtitiam declarare ut ritè admini-
" ſtretur. Vice verſa non debet Magiſtratus
" concionari & adminiſtrare ſacramenta ſed
" curare debet, ut non deſint qui illis muneri-
" bus defungantur.

Potuiſſet addere quod Petrus Martyr non nullibi docet, poteſtatem Eccleſiaſticam ſubjici & ſubordinari poteſtati Magiſtratûs modo Politico: at contra poteſtatem Magiſtratûs ſubjici poteſtati Eccleſiaſticæ, quæ judicat de omni æquo, bono, juſto & peccato, modo Eccleſiaſtico, nam eatenus illæ duæ Poteſtates ſunt ἀντιςρεφὰ. Cæterum noſter Stillingfleet videtur aſſirmare poteſtatem dictam Eccleſiaſticam pertinere ad Magiſtratum, non ad Paſtores: tum paulò minus poteſtatis aſcribere Paſtoribus Evangelicis, quam velim & æquum putem, nam præterquam quod integram illis poteſtatem tribuam quæ eſt functionis & ordinis: inſuper æquam & eandem (quæ eſt Juriſdictionis) aſcribam illis poteſtatem quæ ſacerdotibus attributa erat, non quidem quâ ſacerdotibus & functione ſacra præditis, ſed quâ principibus populi, liberis capitibus, juris Divini & humani Imprimis conſultis, & quibus cum ſint familia, fundi, reditus, jus civitatis, æquum quoque jus debet eſſe, in regimine cum reipublicæ tum maximè Eccleſiæ cum Principibus Laicorum.

Et eatenus Magiſtratus eſt caput & fons illius poteſtatis, quam dixi eſſe ſecundi generis, quæcunque tandem eam ſuſtineat, ſive Eccle-

Eccleſiaſtica, ſive laica perſona: nam conſtanter aſſirmamus eandem rationem, aut eſſe aut eſſe debere œconomiæ Evangelicæ, atque fuit legalis, ut Paſtor Evangelicus poſſit aut debeat ad exemplum ſacerdotum etiam actus illos ſecundi generis producere, eodem temperamento ſub Evangelio atque ſub legali œconomia, nam in Synagoga aut ſynedrio, imo extra ſynedrium ſuper ordinando cultu Divino, judicio lepræ & ceremonia aliqua, proferebat ſacerdos actus primi generis quatenus ſacerdos & functione ſacra præditus, at quatenus alter de grege Principum populi & veſtitus poteſtate Magiſtratûs, vel poteſtate aſſumptâ per diſciplinam confœderatam, ut ſub Ethnicis, de iiſdem legem ſanciebat, imperabat, vetabat, puniebat, leprâ correptum amandabat procul à conſortio hominum, licet non vi aut virtute ſacræ functionis. Nam ne Medicus, faber, aut mercator in cœtu medicorum, fabrorum & mercatorum (imo ne in cœtu Magiſtratuum ubi de ordinandis rebus medicorum fabrorum & mercatorum agitur) ſe gerit ut medicum, fabrum & mercatorem, niſi quatenus ſenſa ſua profert & declarat ut in arte ſua peritus: namque hæc eſt perpetua lex naturæ, gentium, œconomiæ, ſeu legalis, ſeu Evangelicæ, ut, in omni cœtu hominum (ſummo Magiſtratu, aut non curante aut non attendente) duplicis poteſtatis actus inſint, exerantur, exerceantur.

Atque hic intellectus, tum diſcrepantiæ quæ intercedit inter poteſtatem Paſtorum &

pote-

poteſtatem Magiſtratûs, tum duplici generis actuum poteſtatis, conſpicui in omni ſocietate, adeoque in cœtu Paſtorum, edocet quatenus & quâ ratione hinc verbi Dei Miniſtri, ſunt Paſtores, rectores, Epiſcopi, ἡγέμονες Eccleſiæ & populi Chriſtiani; inde verò ſummus Magiſtratus & terrarum Domini, ſed quibus res Eccleſiæ ſunt cordi, ſunt etiam ipſi Paſtores, rectores, capita, ἡγέμονες, imo Epiſcopi Eccleſiarum intra ſepta ſui territotii. Quatenus Eccleſia eſt cœtus Chriſtianorum & fidelium, ut illi præſunt ſoli Paſtores Evangelici (nec eatenus alii præſidere debent,) ut præcones verbi Dei, legati, cælitus miſſi, exerentes actus poteſtatis illius quam dixi eſſe primi generis; Sic ejuſmodi Eccleſia, non agnoſcit aliud caput, alium rectorem, Dominum & ſummum Epiſcopum animarum præter Chriſtum, cui vicariam operam præſtant Paſtores Evangelici, quibus ſubſunt omnis ordinis & ſtationis homines, Reges, Principes & altiora ſubſellia prementes in hoc vitæ humanæ theatro, orbeque Chriſtiano.

At quatenus Eccleſia eſt nationalis, puta, Britannica, Belgica, Helvetica, multis Eccleſiis particularibus conſtans & per delegatos ſuos, vel in Conſiſtoria, vel in Synodos cogitur ſub Magiſtratu amico & orthodoxo, ut de fide de diſciplina deliberet, ſtatuat, imperet, vim legum civilium, imo Eccleſiaſticarum definitis à Synodis imprimat, & quatenus poteſtatem ſuam exerit per modum Juriſdictionis per illos actus poteſtatis ſecundi

gene-

generis, tunc nullus eſt dubitandi locus, quin Magiſtratus ſummus, ſit iſtiuſmodi Eccleſiæ, rector, ductor, caput, ἡγεμὼν, imo Epiſcopus, cujus locum ſupplet ſub Magiſtratu, aut infenſo, aut non curante, Eccleſiæ diſciplina confœderata, & per mutuum conſenſum aſſumpta & conſtituta, ut ſolenne fuit in conditione Eccleſiæ, cum ſuberat Aſſyriis, Perſis, Græcis & Romanis.

Namque idem modus imperii circa ſacra adhibendus eſt à ſummo Magiſtratu in Eccleſia quam affert circa Academica, militaria, fabrilia, nautica, mercaturam in cœtu fabrorum, medicorum, mercatorum, &c. neque enim in cœtu medicorum & dum hi promunt de ſe actus illos quos dixi eſſe primi generis, Rex eſt caput medicorum, quibus, non Regi, ut cuique in ſua arte, ſcientia, negotio perito credendum eſt, ſed eatenus eſt caput & illorum, quatenus in cœtibus ſuis producunt actus ſecundi generis & omnia ordine faciunt.

Par ratio eſt imperii quod Magiſtratus exercet in Eccleſia & in Eccleſiam quatenus perinde cœtus eſt Politicus & civilis, ac Collegium mercatorum textorum & medicorum, ut ſit eatenus rector, caput, imo Epiſcopus, horum & illorum, nempe quoad exercitium actuum ſecundi generis, ſed maximè in Eccleſia mereatur nomen Epiſcopi, non quidem ſenſu S. Scripturæ, ubi Epiſcopus, Presbyter, Paſtor & diaconus, promiſcue ſumuntur, nec ratione ſacerdotii ſeu Miniſterii Evangelici,

quod

Digitized by Google

quod Epiſcopus Commune habet cum Presbytero, quod cum ſit functio, non tantum merè ſacra, & ſpiritualis, ſed ſeorſim habita, ita nulli aut Regi aut Magiſtratui ſubjicitur: ſed ratione προστασίας & ὑπεροχῆς Epiſcopalis jure humano introductæ.

Profectò duplici jure & nomine, ſive illa Epiſcopalis ὑπεροχὴ & prælatio ſtatuatur eſſe juris Divini, ſive tantum humani juris cenſeatur; ſummus Magiſtratus eſt Epiſcopus in Eccleſia, imo tam congruè & propriâ locutione, quam ille qui Presbyteris præeſt, & id nominis tanquam ſuum ſibi vendicat: nam demus Epiſcopalem προστασίαν tam Juris Divini eſſe, quam ὑπεροχὴν paternam in liberos, maritalem in uxorem, aut deſpoticen in ſervos, attamen nulla harum Poteſtatum poſſet ſe ſubducere ab obligatione, ſe ſummæ ſeculari Poteſtati ſubjiciendi, non tantum quâ Pater habet Juriſdictionem in liberos, ſed etiam quâ Pater, nam & ipſe ſummus Magiſtratus eſt Communis Pater Patriæ & Reipublicæ, ac proinde pari Jure eſt Epiſcopus, Inſpector & προεστὼς Eccleſiæ, nam Conſtantinus referente Euſebio, ſe Eccleſiæ Epiſcopum vocabat in illis quæ ſunt τὰ ἐκτὸς, quæ dixi eſſe ſecundi generis, & in quibus ipſa perſona Eccleſiaſtica προστασίᾳ Epiſcopali veſtita eſt; non verò in illis actibus, qui ſunt primæ Claſſis, in quorum exercitio, non nego virum Eccleſiaſticum verè & proprie dici Epiſcopum. At eo ſenſu ut non exercet & non exerit ullum actum Juriſdictionis, ita quâ talis non

ſubjacet poteſtati ſeculari. Epiſcopus quatenus ſacram functionem exercens quæ illi Communis eſt cum Presbytero, non ſubeſt Magiſtratui, ſed quatenus Juriſdictionem exercet in Presbyteros.

Jam ſi aliquo jure & ratione Juriſdictionis & illorum actuum ſecundi generis qui in Eccleſia exercentur, perſona Eccleſiaſtica exercet aliquam Magiſtraturam (nam verè eſt Magiſtratura) in Presbyteros tantò potiore jure ſubjicietur illi qui ad clavum imperii ſedet, & cui omnis Magiſtratura & poteſtas, ut paterna, maritalis, civilis, Politica, Eccleſiaſtica ſubjici debet: atque itidem tantò potiore jure Magiſtratus, quam Paſtor Evangelicus propter illos actus ſecundi generis nuncupabitur Epiſcopus, ut id per quod unumquodque tale eſt, illud magis eſt tale.

Neque enim perſona Eccleſiaſtica magis Juriſdictionem exercet in Presbyteros vi ſacræ functionis aut ſacerdotii quam ſummus Magiſtratus, quandoquidem illa προστασία in Presbyteros non ſit magis ſacra functio quam προστασία ſummi Magiſtratûs in Epiſcopos: quod cum ita ſit, quis non videt tam propriè Magiſtratum dici Epiſcopum in Eccleſia, quam ille qui ſibi illam ἐπισκοπὴν tanquam ſuum jus vendicat, imo potiore jure, ut Juriſdictio ſumma magis propriè dicitur Juriſdictio quam ſubalterna & inferior, & Juriſdictio de Jure Divino, ut eſt Magiſtratûs in Epiſcopos & Presbyteros juxta, habita: & in fonte, magis eſt Juriſdictio, quam quæ duntaxat eſt

per

per participationem & delegationem, atque in rivulo, ut eſt prælatio Epiſcopi in Presbyteros.

Eoque potiori jure quod latius pateat Epiſcopatus Magiſtratûs quam Epiſcopi, cum hujus προστασία ſit tantum in Presbyteros, nec in Eccleſiam niſi quatenus hi & illi Communi Miniſterio defunguntur, & ex æquo paſcunt Eccleſiam ut docet S. Paulus Actorum Viceſimo; non leve eſt quod cum nulla ſit formalis ratio Eccleſiæ niſi particularis, illiuſque quæ in unum locum coit ad auditionem verbi & participanda ſacramenta, extra quam coitionem Synodus aut Conſiſtorium Paſtorum ſit merus cœtus Politicus, planè conficitur verbi Dei Miniſtros in Synodis & Conſiſtoriis ſedere non qua tales ſed vices Magiſtratûs obire aut delegati aut aſſumpti per diſciplinam confœderatam, ac proinde non verbi Dei Miniſtrum ſed Magiſtratum partes Epiſcopi implere in Synodo.

Huc pertinet quod maximè facit ad Epiſcopatum ſummi Magiſtratûs, quod hic in ſua republica ſit perpetuus & conſtans Epiſcopus, rector, inſpector, & ἡγεμών: at qui eſt Epiſcopus particularis aut urbis, aut dioceſeos, deſinat extra ſuam Juriſdictionem eſſe Epiſcopus, recidatque in conditionem Presbyteri, cujus munus aut officium, nullis finibus aut limitibus concluditur in orbe Chriſtiano; nam licet ille non ſit ubique ſuo & certo loco affixus, retinet tamen ubique characterem Miniſterii Evangelici & poteſtatem ad actus ſa-

cerdotales, ſine nova ordinatione, ut is ſit legitimè Baptiſatus ab eo qui extra ſuum curiale beneficium excurrit, quod de Epiſcopo dioceſano nemo dixerit, cui ſaltem opus eſt novo titulo, & cui excurrenti extra ſuam dioceſim, idem evenit quod Prætori aut Proconſuli vadenti extra ſuam provinciam, ut hic & Epiſcopus ſua poteſtate exuantur & ſint κωφὰ πρόσωπα; nec hic, nec ille quemquam habeat cui jus dicat; certè Epiſcopus extra ſuam dioceſim, neminem poſſit ordinare, cum tamen poſſet manens in Presbyterio, ſiquidem perinde ſit conſortibus Epiſcopi in χειροθεσίᾳ ex qua dioceſi deſumuntur Presbyteri: ut jam Epiſcopus quâ προστασίᾳ & Juriſdictione veſtitus, ſit potius Miniſter Magiſtratûs quam Chriſti, cujus diſcipuli, Apoſtoli, Evangeliſtæ, Miniſtri, Seniores, verbi præcones idem nominis & officii ubique terrarum ſaltem in orbe Chriſtiano retinent, quod Epiſcopis non convenit, quorum Juriſdictio certis finibus cohibetur & in certas perſonas exercetur, ut eſt Juriſdictio Prætoris, aut Magiſtratûs ſummi: qua in re noſtri Epiſcopi magis referunt imaginem aut ſpeciem Magiſtratûs, quam Paſtoris Evangelici. Certè in ordinatione Epiſcopus implet munus Magiſtratûs, quæ cum ſit actus poteſtatis ſecundi generis, conſentaneum eſt, ut ſit actus poteſtatis ſecularis.

Cumque omnis authoritas ſit aut perſuaſionis aut coactionis, hæc pertineat ad Magiſtratum, illa ad Paſtorem Evangelicum, non poteſt Epiſcopus ullam coactionis authorita-

335

ritatem exercere, niſi ad nutum Magiſtratûs, atque huic imprimis competat munus & nomen Epiſcopi, & id ſit magis tale per quod unumquodque eſt tale.

Hæc quoque conſideratio multum facit ad Epiſcopatum Magiſtratûs: quod cum Epiſcopi ſedentes in Synodis ſuſtineant perſonam, vel Miniſtrorum Evangelicorum, Presbyterorum ſacerdotum, verbique Dei præconum, vel Epiſcoporum, ſeu virorum qui Juriſdictionem habent in Presbyteros, omnino dicendum ſit, ſi Epiſcopi in Synodis ſedent tanquam retinentes perſonam priorum, omni tum Juriſdictione exutos eſſe, ſed duntaxat ea facultate eſſe præditos exercendi actus quos dixi eſſe primæ Claſſis, adeoque omnem poteſtatem, Juriſdictionemque in Synodis quæ ſe prodit per actus poteſtatis ſecundi generis, penes ſolum Magiſtratum eſſe, cujus ſolius eſt Synodum, aut indicere, aut abrumpere, ordinem inſtituere, componere, definitis vim Canonum & legum imprimere, quin præſidem (quanquam virum Eccleſiaſticum) non Paſtoris Evangelici partes ſuſtinere, ſed locum poteſtatis ſecularis implere.

At ſi Epiſcopi ſedent in Synodo tanquam Epiſcopi & προστασίαν habentes in Presbyteros, tum non minus illi vicem obibunt Magiſtratûs, ſaltem illius poteſtatis ſecundi generis, in omni cœtu, ſeu civili ſeu Eccleſiaſtico ſe exerentis: nec refert quod quidam velint προστασίαν Epiſcopalem eſſe Juris Divini; nam perinde eſt; nec per id quicquam acciditur de

Epiſcopatu Magiſtratûs, ſiquidem illius actus, ut ſunt poteſtatis paternæ & maritalis, jure Divino habitæ, nec derivatæ à Magiſtratu, non minus ſubjiciantur ejus poteſtati, quam ſi de Jure humano eſſent: Cum enim Juriſdictio Magiſtratus tam ſit Juris Divini quam Juriſdictio Epiſcopalis, planè rationi rectæ congruit ut Juriſdictio Divina, ſed inferior, ut eſt Epiſcopalis, ſuperiori & perinde Divinæ ſubjiciatur, ut eſt poteſtas magiſtratûs.

Jam ſi Epiſcopi ſedentes in Synodis, quatenus potiſſimum producunt actus poteſtatis ſecundi generis ſubſunt Magiſtratui, ut Juriſdictio inferior ſuperiori, multò magis id dicendum eſt de præſide cœtus Eccleſiaſtici, ſive ejus Juriſdictio aut προστασία in Patres Synodi derivata eſt ab ipſis Patribus, ſive à Magiſtratu, eóque magis Synodi præſes erit, non Chriſti, ſed Regis vicarius.

Sed meo Judicio toto cælo errant, qui credunt Epiſcopos ſedere in Synodis, tanquam προστασίᾳ & Juriſdictione pollentes in Presbyteros, cum potius ibi ſedeant tanquam permanentes in Presbyteratu ſeu ſacerdotio & functione Paſtorum Evangelicorum, quorum omnis authoritas eſt in ſolos volentes, & munus eſt paſcere verbo & oratione. Cum enim ut affirmat Hieronymus, illa προστασία fuerit in Eccleſiam introducta ad medendum ſchiſmati coorto inter æquales Presbyteros, ad quem uſum tandem & cui morbo medendo illa in Synodo Epiſcoporum προστασία: ubi Epiſcopi tam ſunt æquales, quam ſi non alii

quam

Digitized by Google

quam Presbyteri inibi ſederent? indicio & argumento validiſſimo poteſtatem & prælationem Epiſcopalem non requiri in Synodis, ſed ſcientiam Divini humanique juris, ingenium ſubactum rerum uſu,& per multa experimenta edoctum, quæ dotes tam cadere poſſunt in Hieronymum, quam in Auguſtinum.

Cumque ſola Magiſtratûs poteſtas ſufficiat ad convocandam Synodum, ordinandam, vim legum & Canonum imprimendam definitionibus Epiſcopalibus, quid opus eſt tot Epiſcoporum authoritates & προστασίας adjungere quaſi ſuppetias laturas, poteſtati ſummæ, tanquam per ſe invalidæ, & tot faculas accendere quarum lumine ſol ille reipublicæ illuſtretur? ſanè ſi Conſtantino Magno notum fuiſſet 318. Epiſcopos in Synodum Nicænam coactos vi & virtute ſuæ προστασίας in Presbyteros, adeoque in Eccleſias, plus ſatis munitos fuiſſe authoritate condendi & imperandi Canones toti imperio Romano per ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam: non id egiſſet quod Eutychius Arabs de eo narrat, nempe educto gladio, menſæque impoſito, unà cum annulo & ſceptro ad Patres hæc verba feciſſe, *do hodie vobis poteſtatem Canones condendi.*

Porro ſi Paſtor Evangelicus in Synodo jus dicens, ac legem Eccleſiaſticam & Canonem ſanciens & imperans fidelibus; eatenus non ſuſtinet partes Paſtoris Evangelici, ſed Magiſtratûs, ſaltem ejus poteſtatis, quam dixi eſſe ſecundi generis, multò minus ſuſtinens partes præſidis obibit munus Paſtoris Evange-

Digitized by Google

lici per ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam; nam illius qui hoc affirmaret, tam abſurdus eſſet ſermo, quam ejus qui diceret, illum qui præſidet Collegio Medicorum, Collegis præeſſe pro ſua Juriſdictione Medica, & itidem in Collegio fabrorum, aliquem aurifabrum, toti gregi fabrorum præeſſe virtute poteſtatis ſuæ fabrilis. Nam eſſe præſidem & os cœtus, tum ejus nomine, ſancire, ferre & jubere legem, non eſt actus Theologi, Medici aut fabri, denique non eſt actus functionis ſed Juriſdictionis. Jam ſi durante Synodo ſumma poteſtas eſt verus Epiſcopus Epiſcoporum (ut eſt Patrum familias Pater) quis non extra Synodum eos ſubjiciat Magiſtratui, eoque potiori jure, quam Patres familias quâ tales ſubjiciuntur Regi, de quibus nemo ambigit poteſtatem retinere, nec derivatam, nec collatam à Magiſtratu, licet illi ſubmiſſam, ut inferior poteſtas ſuperiori ſubjicitur? quemadmodum etiamnum hodie alternis judiciis dubitatur an Epiſcopatus Chriſto, an verò Regi debeat ſuam προστασίαν, de qua tamen nemo hæſitat an Regi ſubjacere debeat eadem ſubjectione quâ Prætor ſummo Magiſtratui ſubeſt.

Per hæc diſcimus quid ſtatuendum ſit de effato, quod creditur eſſe indubitatæ veritatis à quibuſdam, nempe faſtigium Regium ad ruinam eſſe pronum, niſi Epiſcopali mitra & προστασία ſupportetur. Id pro axiomate habitum eſt in Anglia à nonnullis, poſtquam Baronibus regni deſciſcentibus à Rege, hic viſus eſt protectus & defenſus ab Epiſcopis qui partes Regias tuebantur. Ego

Digitized by Google

337

Ego exiſtimo hoc dictum, licet falſitate laborans, habere tamen contiguam veritatem, ut veri & falſi breve eſt continium, nempe apud eos qui volunt poteſtatem Papalem in Anglia derivatam & decubuiſſe in Regem ſecluſo Parlamento: nam eatenus verum eſt, ut Epiſcopatus ſuſtinet Papatum Romanum, ita & Anglicanum, & tam ad ruinam eſſe pronum Papatum Anglicanum in Regem devolutum, cui non ſupponitur Epiſcopatus Anglicanus quam foret Romanus, ſi προστασία Epiſcopalis è medio tolleretur. Sed ſi per Regem intelligitur Rex ad clavum reipublicæ & Parlamenti ſui, tunc falſiſſimum eſt Epiſcopatum Anglicanum, aut quemcunque facere ad faſtigii Regii firmamentum, verum eſt etiam apud ubique vindices vel προστασίας, vel ἰσοτιμίας Paſtorum, ſed ex æquo retinentiores Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, minorem eſſe metum Regi rerum novarum ab Epiſcopis quam à clero, cui non præſunt Epiſcopi: at apud illos qui eam Juriſdictionem explodunt perinde eſſe ad tutamen Regium, utrum hæc aut illa obtineat apud illos qui non aliam præter Regiam Juriſdictionem agnoſcunt, nec admittunt; & utrum Rex in regimine Eccleſiæ deleget ſuam Juriſdictionem viris de clero, an verò aliis imperii adminiſtris de gente laica.

Verùm luctuoſo exemplo & maximo damno, cum Eccleſiæ, tum poteſtatum ſecularium, comprobatum eſt tempore Conſtantini Magni & aliorum Imperatorum, qui poſtmodum rerum

rerum ſunt potiti, delegari poteſtatem, aut aliquam aut ullam viris Eccleſiaſticis in regimine Eccleſiæ, quamque, quando tribunalia Eccleſiáſtica conſtituerunt, ſi viris Chriſtianis de gente laica potius attribuiſſent, nunquam ab his fuiſſet periculum poteſtatem habitam & collectam ab Imperatoribus derivandi à Chriſto, & poteſtate ligandi & ſolvendi, quæ miniſterio Evangelico competit: quæ injuſta vendicatio, à viris Eccleſiaſticis, citò tranſiit in imperium Papale ædificatum in imperio alieno: cui periculo ut obviam eatur à Magiſtratu reformato, non alia expeditior ratio foret, quam ſi in adminiſtratione reipublicæ, cum Principibus populi in ſocietatem operis, advocaret primores de clero: nam qui aut priores, aut ſaltem æquas partes habent in republica, nunquam ſibi ſeparatum imperium, Eccleſiaſticum & regnum in regno ædificabunt. Et revera injuria quam fecerunt Magiſtratus in reformatione viris Eccleſiaſticis, ſubmovendo eos ab adminiſtratione reipublicæ, in cauſa eſt, cur hi ad ſolatium (aut potius in ultionem) ſibi ſeorſim aſſumpſerint Juriſdictionem Chimericam, de qua nunquam cogitaſſent, ſi à primò, Magiſtratus reformatus, verbi Dei Miniſtros (ut ſolenne erat inter Judæos) in ſocietatem civilium curarum vocaſſent.

Sed quæ tandem ſit aut falſitas, aut veritas iſtius axiomatis ſub Magiſtratu reformato, tantum abeſt ut verum ſit apud Reges, qui nomen dederunt Romanæ Religioni, ut

contra

contra nihil magis concutiat aut evertat Regiam poteſtatem quam Epiſcoporum prælatio, ſive retineatur Jure Divino, ſive habeatur jure humano: nam ſi humano, tum facile delabuntur Epiſcopi ut eam derivent à Papa, adeoque ædificent imperium terrenum in imperio ſuorum Dominorum juxta terreno: at ſi Divino, tum Epiſcopi regnum ſibi perinde ſeparatum à ſuo Rege extruent, per quod diviſum imperium hujus, tantò minus robore erit validum: ut jam utrobique & quocunque jure imperantes Epiſcopi Presbyteris, non ſe agnoſcant ſubditos Regis, ſed aut Chriſti aut Papæ.

Sed nec verum eſſe poteſt hoc axioma apud Reges, qui Papæ jugum excuſſerunt, quibus non poteſt accreſcere quicquam roboris ab Epiſcopali προστασίᾳ, quandoquidem omnis Juriſdictio Epiſcopalis, ſeu Jure Divino ſeu humano, habita & retenta, vel ei ſubjiciatur, vel ab eo derivetur, cumque ut ſunt res humanæ, Epiſcopalis prælatio, non accipiat pretium à Miniſterio Evangelico, licet functione omnium nobiliſſima, ſed à Juriſdictione Regia congeneri, planè ſtatuendum eſt nihil ab Epiſcopis accedere firmamenti Regi, ſed contra à Rege conciliari authoritatem Epiſcopali poteſtati.

Denique id axiomatis tam facile in auras evaneſceret quam bulla ex aqua ſaponis ad minimum contactum, ſi omnes & Magiſtratus & Theologi arctè tenerent, poſtquam deſiit conſuetudo, ut Epiſcopi & Presbyteri eſſent

eſſent ejuſdem ordinis, gradus & Miniſterii, ſed alter Juriſdictionem, eamque cogentem in alterum haberet, tum demum hanc Juriſdictionem cogentem non pertinere de Jure ad Miniſtrum Evangelicum, ſed vel derivari à Poteſtate ſeculari, vel ei ſubjici: ac proinde Epiſcopum hodiernum quâ Epiſcopum & Juriſdictionem cogentem habentem in Presbyteros, non eſſe Miniſtrum Chriſti ſed Magiſtratûs: adeoque huic, cum proprie & verè ſit dictus Epiſcopus, non eſſe metum à quoquam Epiſcopo, niſi à ſeipſo, eoque quem ipſe conſtituerit.

Sed ne ulterius ingratum multorum auribus argumentum proſequar de Epiſcopatu ſummi Magiſtratûs, ſatis erit ſi ſaltem aſtruo eum eſſe caput Eccleſiæ, quod tamen eòdem recidit, quodque cum ratione probaverimus cum illa concordare, ſupereſt ut id capitis, authoritate & Teſtimoniis firmem.

Agmen ducet Iſidorus, ex quo locus deſumptus, non habet in tota antiquitate illuſtriorem probationem ad docendum duas Poteſtates in Eccleſia haberi, unam doctrinæ, quam dixi eſſe ſacræ functionis & poteſtatem primi ordinis, quæ in volentes duntaxat agit, quæ perſuadendo, monendo, minando judicia Dei pœnaſque æternas; tum declarando jus Dei, ſententiamque quæ magis cum Jure Divino congruere, aut ab eo maximè diſcrepare videtur, ſe exerit. Cæterum licet erga morigeros, tantis ſit viribus, ut ei reſiſti nequeat, attamen erga immorigeros & rebelles imbe-

imbecillem eſſe & invalidam, ad hominem externum cogendum nec prævalere poſſe, niſi ad ſubſidium vocetur poteſtas cogens, quæ eſt poteſtas Magiſtratûs, quæ quidem altera eſt poteſtas, quæ ſe exerit in omni Eccleſia, tum nationali, tum particulari, atque in omni conventu Eccleſiaſtico, Conſiſtorio, Synodo, convocatione; etiam ubi ſummus Magiſtratus non curat res Eccleſiæ: nam tunc ipſa Eccleſia proprias res ſatagit, erigens ſibi in ſuo ordine, poteſtatem ſeu diſciplinam confœderatam, quæ vices & locum Magiſtratûs implet: nam ubi ille curam non ſuſcipit Eccleſiarum, tum ejus poteſtas, vel actu, vel potentiâ, aut virtualiter & eminenter reſidet in omni Eccleſiaſtico cœtu. Utut ſit, aut Rex, aut Magiſtratus, aut conſimilis poteſtas dominatur in omni cœtu Eccleſiaſtico, ubi imperat, vetat, punit; & ſine ea Eccleſia, aut Synodus, non eſt magis ſubjectum capax, coercendi, vetandi, & imperandi, quam Collegium aut fabrorum aut Medicorum, quatenus illi ſunt fabri aut Medici, huic quidem illi quorum eſt, Medicinam facere & exhibere, ſumere volentibus, gladium aut ollam cudere petenti, ut eſt Theologorum porrigere Medicinam ſpiritualem, ſi non volentibus, ſaltem illis quos ex nolentibus volentes præſtiterint. Verba ſunt Iſidori, cedro uſque adeo digna viſa à Synodo Pariſienſi VI. aliiſque Synodis & ſcriptoribus, ut illa reponere & commendare poſteritati vellent.

"Prin-

Cauſa 23. qu. 5. c. 20. " Principes ſeculi nonnunquam intra Ec-
" cleſiam Poteſtatis adeptæ culmina tenent,
" ut per eandem poteſtatem, diſciplinam Ec-
" cleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccle-
" ſiam Poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi
" quod non prævalet ſacerdos efficere per do-
" ctrinæ Sermonem, poteſtas hoc impleat per
" diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum ter-
" renum, cæleſte regnum proficit, ut qui in-
" tra Eccleſiam politi contra fidem & diſci-
" plinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum
" conterantur; ipſamque diſciplinam, quam
" Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet,
" cervicibus ſuperborum poteſtas principalis
" imponat; & ut venerationem mereatur;
" virtutem Poteſtatis impertiat: Cognoſcant
" Principes ſeculi Deo ſe debere rationem red-
" dere propter Eccleſiam, quam à Chriſto
" tuendam ſuſcipiunt: nam ſive augeatur
" pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Prin-
" cipes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem
" exiget qui eorum Poteſtati ſuam Eccleſiam
" credidit.

Sanè niſi ſummæ Poteſtati attributa eſſet à Deo circa ſacra & in latione & in applicatione diſciplinæ, ſumma authoritas, tanquam ejus authori & vindici, tum principali ductori, capiti ἡγέμονι, non exigeret ab eo rationes alienæ adminiſtrationis quam volunt potiſſimum recumbere, aut in Papam aut in clerum.

Id clamat tota antiquitas, tum Judaica tum Evangelica, imo Ethnica; cum Religio apud

apud Ethnicos ſemper habita fuerit omnis ſocietatis vinculum & firmamentum, ſitque ſummus Magiſtratus & caput & anima ſocietatis, ita rectè cenſuerunt potiſſimum & imperium & curam Poteſtatum ſecularium verſari circa ſacra. Rectè Plutarchus, contra color. *Εὐσέβεια συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα.* Id clamat Judaica, quando habuit de ſua gente Reges & Judices. Clamat Evangelica ſub Chriſtianis imperatoribus; concinit Papa, dum jus Imperatorum ad ſe traxit, ſeque voluit vocari caput Eccleſiæ, etiam ſecluſo Chriſto, ut ait Bellarminus; quo in titulo nulla eſt impietas, nec in Papa, nec in Imperatore, quod ſpectat poteſtatem ſecundi generis in Eccleſia: at ſumma eſt impietas, quoad actus poteſtatis quam dixi eſſe primi generis, & quæ non aliud præter Chriſtum agnoſcit caput, ſed hæc obiter.

Id agnoſcunt Pontificii aliqui de Judaica Eccleſia, atque idem fieri debere in Chriſtiana, nominatim Petrus de Marca nuper Archiepiſcopus Pariſienſis, qui grave fert & eo nomine queritur, quod in regimine Eccleſiæ paria jura non contingant Principibus Chriſtianis, atque Regibus in Juda & Iſraële. *Inſignis fit injuria Principibus Chriſtianis, ſi eam in Eccleſia poteſtatem illis denegamus, quam Reges Judæorum, quam Reges Judæorum in Synagoga obtinebant:* in qua tantum abeſt ut ſummus Pontifex eſſet caput & ſupremus gubernator & ἡγεμὼν Eccleſiæ, ut nequidem conſtans eſſet præſes ſynedrii, ut agnoſcunt Lib. 2. c. 4. de concord. p. 181. in 4.

Marca

Marca 10. l. 2. c. 5. Marca & Montacutus ex Maimonide. *Pontifex Maximus rerum Sacrarum Juriſdictione vi Pontificatûs non potiebatur; ſed tantum ut unus ex Collegio magni ſynedrii.*

Ibidem notat plurima quæ concordant cum noſtro diagrammate duplicis poteſtatis & generis actuum exercendorum in Eccleſia, exemplo Eccleſiæ Judaicæ & Pontificis Maximi, qui unus de Principibus populi jus dicebat, ſi tamen ad id allectus fuiſſet, alioquin ſoli ſacræ functioni vacabat, quæ non erat opus Juriſdictionis, *niſi à Collegio admiſſus fuiſſet, judicia rerum ſacrarum, nec civilium attingebat. Et ut noſtris verbis res Judaicas explicem, quæ erant ordinis exequebatur, non quæ erant Juriſdictionis.* Id eſt exequebatur actus primi generis, non ſecundi.

Hic habemus in Eccleſia Judaica productionem actuum & functionis ſacræ & Juriſdictionis, cujus quidem Rex caput erat, illius ſummus ſacerdos, atque hic ſermo magni viri eadem loquitur, quæ nos de duplici poteſtate in uno quoque cœtu conſpicua, altera functionis, altera Juriſdictionis, cui præeſt Magiſtratus ut alteri ſummus ſacerdos.

Nec Toſtatus abit à Petro de Marca, aut potius, hic non abit ab illo, ut qui multò poſterior, in tribuenda duplici poteſtate cœtibus Eccleſiaſticis Judaicis ad noſtrum modum, quarum altera erat functionis altera Juriſdictionis; altera quæ ad ſolos ſacerdotes pertinebat, altera quæ ex æquo ſuſtinebatur à Principibus populi & ſacerdotibus; his quidem,

Digitized by Google

quidem, non virtute functionis ſacræ, ſed officii virorum, qui & ipſi eſſent Principes populi, Patres familias, tum conſpicui eruditione, prudentiâ & rerum uſu. *Inter ſacerdotes in veteri Teſtamento non reperitur aliqua poteſtas Juriſdictionis collata ſacerdotibus: concludere ergo neceſſe quod tota Juriſdictio erat laicalis, ſed Juriſdictioni ſacerdotali nullæ erant leges poſitæ: dicendum quod in veteri Teſtamento unica erat Juriſdictio, ſcilicet laicalis: ſive præſidens illi Juriſdictioni eſſet laicus, ſive ſacerdos: ſemper fuit Juriſdictio unica, & eodem modo gubernata, ſcilitet laicaliter idem princeps laicus habuit Juriſdictionem ad deponendum Abiatharem de ſummo ſacerdotio & ad occidendum eum.* Etiam veritas victrix prodit ſe in ore Pontificiorum & infenſorum. Nam, Ecce unica Juriſdictio in conventibus Eccleſiaſticis & civilibus, cujus caput eſt Rex, at nulla Juriſdictio collata in viros Eccleſiaſticos virtute ſacerdotii. Primo Paralip. c. 18. qu. 41.

Toſtato concinit nuperus author, Anglus, is eſt Parkerus in Puritanos commotior, tractatu contra tolerationem præterquam Patriæ Religionis.

"Licet in reipublica Judaica officium ſacerdotis propter rationem peculiarem illi ſtatui congruentem, ſeparatum eſſet à Regio munere: attamen poteſtas & Juriſdictio ſacerdotis ſubdita erat ſummo Principi; Regibus eorum ſupremam ſemper exercentibus in omnes perſonas & cauſas Eccleſiaſticas. p. 32.

Digitized by Google

Hic damnatur tantopere celebrata diviſio Juriſdictionis in Eccleſiaſticam & civilem: ſaltem en documentum & luculentum argumentum, illam eſſe de fabrica Papæ, nec quidem auditam in veteri Eccleſia Chriſtiana, ut idem Toſtatus aſſerit, & cum eo Paulus Sarpius. *Nella primitiva Chieſa non fu la diſtinctione del foro.*

Hiſt. conc. Trid. l. 3.

Ratio aſtipulatur, non tantum parem eſſe rationem unius Juriſdictionis habendæ ſub Evangelio atque ſub lege, ſed & potiorem multò eſſe rationem, ut Juriſdictiones diviſæ eſſent ſub lege (cum tamen non fuerint) quam ſub Evangelio, nempe quod potuiſſet congruere in Iſraële ut (cum ſub lege ſic eſſent diviſæ functiones, ut nec Rex adolere, nec offerre poſſet, nec ſacerdos munia Regis exequi) Juriſdictiones æque diviſæ eſſent ac functiones: at planè ſit incongruum dividere Juriſdictiones ſub Evangelio, ſub quo nequidem ipſæ functiones ſunt ita diviſæ ut verbi Miniſter non poſſit eſſe Rex, nec Rex, verbi Dei Miniſter. Quid? quod cum Paſtores ſint Miniſtri Chriſti, quatenus Chriſtus eſt Rex Eccleſiæ, Paſtores Evangelici non ulterius ſunt ejus Miniſtri, quam quatenus ejus vices obeunt pervincendo corda & captiva pertrahendo ad obſequium crucis, quod quidem Miniſterium nihil affine habet cum regimine ſeu Eccleſiæ ſeu reipublicæ, ut erant Judaicæ quæ in unum corpus confluebant; in quo regimine tam ſub lege quam ſub Evangelio, ſeu in Synagoga, ſeu in Synodo, vis non accreſcit legibus à functione

ctione ſacra, ſed à poteſtate communi viris Eccleſiaſticis & laicis.

Jam in Eccleſia Evangelica non alius eſt modus regiminis ab eo qui obtinuit in Eccleſia Judaica. In hac & illa, ubi deerat ſummus Magiſtratus qui eſſet caput Eccleſiæ, ſupplebat ejus vices diſciplina confœderata, cujus cum ulterius non eſſet uſus; ſimulac Imperatores adoraverunt Chriſtum; vel ſummum circa ſacra imperium incubuit humeris Imperatorum, vel hi partem ſuæ Juriſdictionis ſuique imperii communicaverunt cum Epiſcopis. Id dicunt Eutychius author Arabs & acta Concilii Nicæni: nam hic fuit Conſtantini ſermo in ipſo Concilii exordio ad Patres. " *Siquidem* ſola authoritate perſuaſionis non " poteſtis perducere populos ad obſequium, " nec veſtra authoritas ſatis nervorum habet " per mera monita & hortationes, conſilium " eſt hodie vobis impertire peculiarem Juriſ" dictionem, eamque Eccleſiaſticam civili " digniorem; in cujus rei teſtimonium ſumite " vobis ad tempus, ſceptrum, annulum, & " gladium meum, cum quibus nonnihil vo" bis de mea poteſtate attribuo.

Nota quod paulo ante, cum Ethnicorum tribunalium iniquiora eſſent judicia in Chriſtianos, voluerit Conſtantinus, ut Chriſtianorum Cauſæ, majori cum libertate & æquitate deciderentur coram Judicibus, cum Chriſtianis, tum amicis, per erectionem tribunalium Epiſcopalium, paſſim in toto imperio Romano, non eo conſilio ut Juriſdictio

Eccleſiaſtica à civili eſſet diſtincta, aut cauſæ Eccleſiaſticæ coram Epiſcopis, civiles coram Judicibus Ethnicis dirimerentur: ſiquidem illa tribunalia Eccleſiaſtica, de omni cauſa Judicia ferrent & pronunciarent: ſed ideo dicta ſunt Epiſcopalia tribunalia & curiæ Eccleſiaſticæ, quia illarum Judices erant Epiſcopi & viri de clero & Chriſtiani.

Atque hæc eſt prima origo Juriſdictionis Eccleſiaſticæ per erectionem tribunalium Eccleſiaſticorum, unde non mirum ſi ex tanta indulgentia, poſtmodum concidente Imperio & Papa inter has ruinas ſuum ædificante, ſub fuco ſpiritualis imperii & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſpecioſam ille arripuerit anſam, non ſolum duplicem Juriſdictionem aſtruendi Jure Divino & humano, ſed & alteram ſibi vendicandi; tum ſe & ſuam Juriſdictionem Eccleſiaſticam per legem Conſtantini digniſſimam & nobiliſſimam, ſeorſim ac ſeparatim, habitam, præponendi Juriſdictioni Regum hancque ſuæ mancipandi, ſeque ut caput ejus iſti Juriſdictioni affigendi.

Sed priuſquam Papa ad clavum Eccleſiaſticæ Juriſdictionis ſe inſerret & dum hanc urſam imperii Eccleſiaſtici lambit, ſumma imperii circa ſacra fuit penes Imperatores per plura ſecula: Socrates præfatione in librum 5. Hiſtoriæ; *Ex quo Conſtantinus rerum potitus eſt, cœperunt Eccleſiæ negotia ex Imperatoris nutu pendere: uſque adeo ut maxima Concilia de eorum ſententia & convocata fuerint & adhuc convocantur* ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο Βασιλεῖς τὰ

τῆς

τῆς Ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν μέγισαι, σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασι ϗ γίνονται. Sanè cum ut ait Optatus Eccleſia ſit in republica, non viciſſim, non poteſt aut Imperator aut Rex eſſe caput & rector reipublicæ quin itidem ſit caput & rector Eccleſiæ. Sic loquuntur Imperatores Theodoſius & Valentinianus anno D. 439. *præcipua cura Majeſtatis eſt Religionis indago*, & novella 6. ad Horſmidam anno 535 *inquiſitio veræ Religionis præcipua eſt ſolicitudo Imperialis*. Idem dicit Carolus Molinæus oratione Tubingæ habita anno 1554. *Sancta Eccleſia Catholica obedivit Imperialibus legibus latis non ſolum quoad res Politicas & externas, ſed etiam quoad fidem & Religionem.*

Quin & ipſa Gallia diu non aliud agnovit, caput, rectorem & *ἡγέμονα* Eccleſiæ Gallicanæ præter Regem; teſtibus Gregorio Turonenſi, Faucheto, Pithoeo, Tilleto, Ranchino, de Clodovæo primo Rege Chriſtiano ſic loquuntur, *illum in turba conſiliariorum agnitum fuiſſe caput in terris Eccleſiæ regni ſui, cui ideo obtulerunt Canones Concilii Aurelianenſis.* Ranchinus dicit, *Eccleſiaſticos viros ſuam Juriſdictionem non derivare à Papa ſed à Rege, licet Jeſuitæ aliter ſentiant.* In Conciliis Reges ſemper locuti ſunt pro imperio, *Sancimus, decernimus, & ſtatuit piiſſimus Imperator*, vel quando non alii quam viri Eccleſiaſtici loquerentur aut definirent: & in Concilio Pariſienſi VI. dicunt Patres *Chriſtum ſuam Eccleſiam quam ſuo ſanguine redemit commiſiſſe Lothario & Ludovico, regendam, tuendamque.*

Fauhet traitè des libertez de l'Egliſe Galicane.

Reviſ. l. 6. c. 5.

Syn. Franç. Can. 4.

Ibid c. 2. aiunt Regis Miniſterium eſſe populum Dei gubernare: & ſubjiciunt ſuos Canones Imperatori, *ut ſi quid culpandum in perſona aut Miniſterio corrigendum inveniret Domino auxiliante corrigeret.* Ibidem vocatur *Eccleſiæ Rector.*

l. 3. anno 829.

Nec minus in Anglia agnitus eſt Rex caput Eccleſiæ longè ante reformationem à Papiſmo ſub Edoardo VI. ne quis miretur titulum quaſi novum & inductum; extat oratio Regis Edgari Angliæ Regis, *Meæ ſolicitudinis eſt gregibus Monachorum, Choris Virginum, & neceſſaria procurare, & quieti eorum conſulere, de quorum omnium moribus ſpectat ad nos examen.* Non ſi ſe Eccleſiæ caput vocat: tamen ſibi agenda aſciſcit quæ dantaxat attinent eum qui eſt Eccleſiæ caput, rector & ſummus gubernator. Guilielmus I. vocatur, *vicarius ſummus Regis, ut regnum & populum Domini ſuper omnia ſanctam Eccleſiam regat & defendat.* Hic Rex non eſt Papa, ſed Rex Regum, Dominus Dominorum in æternum benedictus: Bone Deus quantum dicta hactenus diſcrepant à vulgari ſermone Baronii, Bellarmini & Becani, qui de Rege in Eccleſia non faciunt caput, ſed manum aut pedem qui ſe movere debeant ad nutum capitis quod eſt Papa, ſic loquitur Becanus in Præf. monitoriam Regis Jacobi, *quid faciunt Reges circa Eccleſiam & Religionem? dicam verbo; debent illam tueri & defendere, non ut Domini, ſed ut Miniſtri neque ut Judices ſed ut Executores.*

Bibliot. Coton.

Juell. de part. 6. Seld. not. ad Eadmerum p. 168. Cook re-porte S. 5.

Alterius eſt loci & longioris tractationis enarra-

344

enarrare, quatenus illa latè & altè infixa opinio de duplici Juriſdictione ſic in valuerit apud Proteſtantes in reformatione à Papiſmo, illos imprimis qui ſub Magiſtratu Pontificio vivunt, ut voluerint ſuam diſciplinam confœderatam retineri per poteſtatem Jure Divino diſtinctam à Juriſdictione Magiſtratûs, & virtute clavium & poteſtatis ligandi & ſolvendi, in ſolos Paſtores Evangelicos collatæ. Excuſatius ſanè & peccant Eccleſiæ reformatæ in Gallia ſub Magiſtratu Pontificio, & peccarunt Chriſtiani ſub Imperatoribus Ethnicis, cum ſibi arripuerunt Juriſdictionem & diſciplinam proprio jure & virtute clavium & poteſtatis ſuæ ligandi & ſolvendi, ac proinde ſeparatis judiciis & legibus à Magiſtratu habendam: at nullo ſchemate veri, recti & rationis, idem fieret ab Eccleſiis & Paſtoribus reformatis ſub Magiſtratu amico & orthodoxo. Sed ſperamus fore ut per lectionem noſtræ diſſertationis harum & illarum Paſtores ſuo errore exolvantur. Id faxit Deus,

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Regem Magnæ Britanniæ inter omnes toto orbe Chriſtiano Poteſtates ſeculares, quæ à ſuis cervicibus depulerunt jugum Papæ plus imperii circa ſacra retinere: atque reipsâ & de facto eſſe & debere dici caput Eccleſiæ, Tum omnium Regum Chriſtianorum ἀνυπευθυνότατον & αὐτοκράτορα, cæteris Regibus qui obſervant Papam precario duntaxat regnantibus.

TItulus ſanè pene ipſo capite prolixior: cæterum argumenti adeo obvii & expoſiti, ut in eam materiam excurrere, ſit facem accenſam ſoli admovere, ut inde illuſtretur; namque vidimus ſuperiori capite Regi magnæ Britanniæ in turba aliorum deberi titulum capitis, rectoris, imo Epiſcopi Eccleſiæ: cumque ſit maximus & potentiſſimus Regum, qui Papæ jugum excuſſerunt, ei imprimis competit elogium capitis & rectoris, qui cum ſummo imperio de Jure & de facto ſedet ad clavum Eccleſiæ intra limites ſui imperii, ſibique eadem jura, privilegia & modum imperii circa ſacra aſſumit quem olim Papa injuſtâ & iniquâ occupatione ſibi vendicabat in Anglia & in Angliam: unde conficitur, ſiquidem majus ſemper fuerit Papæ imperium circa ſacra in Angliam quam in alias Principum ditiones quæ Papæ ſuberant, etiam majus eſſe debere, utpote idem in Regem devolutum, nec ulla parte ſui acciſum: Id nulli melius

Digitized by Google

melius notum, quam turbæ reverendorum præſulum eorumque qui componunt hierarchiam Anglicanam, quique non ſolum hunc capitis titulum Regi ſereniſſimo tribuunt, ſed & per Eccleſiam Anglicanum volunt intelligi non populum ipſum Anglicanum, unà cum Regni ordinibus, quatenus Religionem à Papiſmo repurgatam profitentur, ſed ſolitarium Regem ad caput Convocationis, quæ conſtat præſulibus & primoribus de clero juxta Canonem qui eſt centeſimus trigeſimus nonus inter illos qui dicuntur Regis Jacobi Canones, *quiſquis dixerit & affirmaverit, Synodum tum Chriſti nomine & mandato Regis congregatam, non eſſe repræſentativam Eccleſiam Anglicanam, excommunicetur, nequaquam abſolvendus priuſquam reſipuerit.*

Iidem, (inter alios Joſephus Hallus) ſtatuunt ſereniſſimum Regem eſſe fontem & caput Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Juriſdictionem illam ereptam Regi à Papa, redditam vero ſuo poſſeſſori & Domino; tum omnem poteſtatem convocandi in cœtus, Canones condendi, tribunalia erigendi, viſitandi, multandi, incarcerandi, ſaltem Excommunicatum capiendi in re Eccleſiaſtica derivari à Rege; non ab eo ſedente in Parlamento; nolunt enim Parlamentum cognoſcere de Synodorum decretis, nec quicquam juris habere in Synodos.

Hæc ſunt virorum reverendorum placita quæ non adoptamus ipſi, ut qui credimus omnem Juriſdictionem Eccleſiaſticam tam

grande nomen eſſe quam rem inanem ut eſt Tranſubſtantiatio, cui ſolum litera (R) deeſt ut graviter ſonet auribus, & quæ juxta ac Excommunicatio merum eſt avium terriculamentum, & qui affigimus caput Regium uni & eidem Juriſdictioni, quæ cum ſummo imperio, tam rempublicam quam Eccleſiam regit, & abſurdum cenſemus duo corpora intra unum territorium, uni capiti affigi; eoque abſurdius, quod cum ut ait Optatus Eccleſia ſit intra rempublicam, non poſſit Rex eſſe caput reipublicæ, niſi itidem ſit caput Eccleſiæ; ſed hæcce eâ gratiâ afferimus, ut pateat Regem fatentibus & volentibus ſuis ad id faſtigii & poteſtatis circa ſacra ordinanda & regenda conſcendiſſe, quod nemini contigit, cæteroſque Reges qui quoque Papæ jugum excuſſerunt, longis ſpatiis relinqui, ut paria, aut æqua privilegia poteſtatis circa ſacra poſſideant; uſque adeo ut ſui eum conſtituant ſeparatum corpus à republica, cui additus ſit non ut perſona laica, ſed ut ſacra, uncta & Eccleſiaſtica; nam ſic loquitur Petrus Helynus libro contra Fullerum, pertenditque Juriſdictionem Eccleſiaſticam ſoli Regi, nullâ turbâ procerum, aut ſenatorum ſtipato ſubjiciendam eſſe, tanquam ejus promo condo, fonti & origini, etiam (ut credibile eſt hanc eſſe ejus mentem) ſecluſa convocatione cleri. Nam Richardus Hookerus ſolum Regem nominat lib. 8. de Politia Eccleſiaſtica.

"Duo genera adverſariorummilitant con-
"tra ſupremam Regum poteſtatem circa ſa-

“ cra: quidam enim pertendunt poteſtatem “ in cauſis Eccleſiaſticis per totum terrarum “ orbem Jure Divino pertinere ad Papam, alii “ eam poteſtatem in unaquaque nationali ad “ clerum inibi in cœtum coactum; nos qui “ hos & illos oppugnamus, aſſerimus eam “ poteſtatem unicuique Regi intra ſuum Do- “ minium deberi.

Et Archiepiſcopus Whitgift apud Fullerum ad annum 1585. Epiſtolâ ſcriptâ ad Reginam aſſirmat penes Reginam eſſe conſtitutiones Eccleſiaſticas jam conditas reſcindere & novas edere propriâ authoritate; nec clero in Concilium, aut conſilium advocato. Eadem videntur eſſe ſenſa graviſſimi præſulis Joſephi Halli, ſaltem in illo diagrammate, quo exſcribuntur in uno territorio duæ reſpublicæ collaterales, una Eccleſiáſtica, altera civilis ſub uno capite. Cujus verba non pigebit exſcribere oratione quam ultimò habuit ad Proceres in Parium camera conſidentes, anno 1640.

“ Date hanc veniam, Domini, ſubjiciendi “ veſtræ memoriæ praxim quæ continenter “ obtinuit in Eccleſia Chriſtiana, à prima Sy- “ nodo quæ fuit Apoſtolorum Act. 15. uſque “ ad hodiernum diem; in qua præſuppono “ nunquam palam fieri poſſe, ullos Eccleſia- “ ſticos Canones ab Epiſcopis & clero, in “ Synodis generalibus, nationalibus & pro- “ vincialibus conditos, oblatos Parlamentis, “ aut expectatum ut ab illis conſeſſibus con- “ firmarentur & rati haberentur: non alii

“ un-

"unquam præter Imperatores & Principes "poteſtatem ſuam largiti ſunt, rathihabendis "& exequendis illis canonibus. Et ſi vultis "ferre oculos ad retro acta tempora quæ ſub "memoriam cadunt, imo ultra memoriam "ſunt: quænam Parlamenta confirmaverunt "conſtitutiones quæ Linwood dicuntur, aut "injunctiones Elizabethæ. Canones Regis "Jacobi nunquam confirmati ſunt à Parla-"mentis, cum tamen ſic obtinuerint hacte-"nus, ut per eos Eccleſia gubernata fuerit.

Paulo poſt.

"At aiunt nos condidiſſe Canones, cum "tamen id à nobis nunquam ſit factum, non "magis condimus Canones quam illi leges. "Canones ſic relati ſunt ad Eccleſiam, ut le-"les ad rempublicam. Illorum non eſt ſan-"cire & ferre leges: hæ partes ad Regem "pertinent, conſimiliter noſtrùm eſt Regi "repræſentare quæ exiſtimavimus eſſe ido-"neam materiam conſtitutionum & Cano-"num. Regis eſt cum aniſamento (ut lo-"quuntur) ſui conſilii mortuis noſtris pro-"poſitionibus vitam & vim dare Canonum & "conſtitutionum: quemadmodum ergo le-"ges ſunt Regis leges, ſic Canones ſunt Regis "Canones.

Obiter annotabo non eſſe verum quod dicit Hallus, nempe nunquam conſtitutiones Eccleſiaſticas oblatas Parlamentis & regni aut reipublicæ conſeſſibus & curiis, ut ab illis ratæ haberentur, & obtinerent vim legum civilium. Cum etiam iis in locis (ut in Gallia) ubi

Digitized by Google

Papa regnat, invalidæ ſint Synodorum conſtitutiones, imo bullæ Papales antequam in acta publica & commentarios civilium curiarum referantur, ut taceam appellationes ut vocant ab abuſu, ſeu provocationes à Judice Eccleſiaſtico ad civilem. Adde quod per plura ſecula, nec dum ullibi Papa pleno Jure regnante, uno & Concilio & conſilio Eccleſia & reſpublica gubernarentur, ipſæque Synodi, tam de vænalibus in foro quam de fide & diſciplina in Eccleſia ſtatuerent & leges ferrent, ut eadem Poteſtas ſecularis; quicunque demum & quotcunque, cum ſummo imperio ſederent ad clavum reipublicæ confirmaret, & canones Synodales & conſtitutiones civiles, certè Camera Imperialis, etiamnum hodie vel ſancit, vel confirmat conſtitutiones Eccleſiaſticas. Id fecit non ita pridem conventus ſolennis Monaſterienſis ut videatur Hallus in his planè hoſpes.

Sed miror quod in eo diagrammate exſcribendo duarum rerumpublicarum in æquo ſtantium, clariſſimus Edoardus Stillingfleet operam ſociet cum Joſepho Hallo in ſuo Irenico, ubi de Concilio virorum Eccleſiaſticorum & de Parlamento ſeu conventu procerum, Cap.4. adeoque virorum de gente laica loquitur tan- part.1. quam de duobus corporibus collateralibus ex p.46. aquo ab uno capite (Rege) dependentibus, quaſi Regis ad clavum Eccleſiæ aut concilii poteſtas eſſet leges Eccleſiaſticas condendi & ratas habendi, quemadmodum ejus eſt cum caput eſt Parlamenti leges civiles ſancire; ſic enim

Digitized by Google

enim loquitur: *Magnus uſus Synodorum & conventuum ex Paſtoribus is eſt, ut par ſit ratio Concilii Eccleſiaſtici collati ad Regem in rebus quæ ad Eccleſiam pertinent, atque Parlamenti ad Regem in rebus civilibus:* quæ quidem docent Regem tam eſſe caput Eccleſiæ, quam eſt caput reipublicæ: hanc & illam ſeorſim habere ſuas leges, ſua tribunalia, ſuos judices. Sed planè deſtruunt, convellunt & evertunt, omnes hypotheſes quibus totum ædificium Irenici ſuperſtruxit: in quo omnem poteſtatem legiſlationis & Juriſdictionis adeoque coactionis abjudicat à cœtu Paſtorum, ut illam in Regem ut eſt caput reipublicæ conferat: at hiſce verbis quæ ex Irenico allegavi, parem poteſtatem Concilio in Eccleſiaſticis, atque Parlamento in civilibus tribuit, cujus omnes norunt poteſtatem eſſe legiſlativam tam circa Eccleſiaſtica quam civilia, ſanè poteſtatem Eccleſiaſticam leges Eccleſiaſticas condendi & ferendi affixam & Regi & conventui Eccleſiaſtico, conſtanter non ſolum affirmo chimeram eſſe in vacuo ſaltantem, ſed & cum toto reverendi viri ſyſtemate pugnare, ubi nullam facit legem Eccleſiaſticam, niſi *materialiter*, eo ſenſu quo dantur leges nauticæ, fabriles, mercatoriæ, militares, cum omnes ſint *formaliter* leges civiles, & tam Eccleſiaſticæ ſint de civilium numero quam leges militares, aut fabriles, aut quam præcepta decalogi: adeoque robur ſuum accipiant non à conventu virorum Eccleſiaſticorum fabrorum aut ducum, ſed à conventu ordinum regni

ſeu

ſeu procerum Regi aſſidentium; verba ejus ſunt, *licet objectum conſtitutionum ſit Eccleſiaſticum, tum perſonæ quæ eas definiunt ſint Eccleſiaſticæ, attamen robur & fundamentum obligationis illis parendi planè civile eſt.* P.47.

Ibidem. allegat Petrum Martyrem ut ſua ſenſa exprimentem, *nam quod ad poteſtatem Eccleſiaſticam attinet, ſatis eſt civilis Magiſtratus, is enim curare debet ut omnes ſuum officium faciant.* In 1.Sam. 8.loc.com. claſſ.4.S.5. S.11.

Paulò poſt robur Eccleſiaſticis cenſuris detrahit quod à Magiſtratu non habent; quem quidem Magiſtratum nunquam divellit in Anglia, nec à Parlamento nec à curiis Juridicis. *Nemo niſi Magiſtratus poteſtatem habet puniendi, loquor de pœnis ejuſmodi legibus annexis quæ attinent Eccleſiam: jam cum nulla poteſtas coërcitiva pertineat ad Eccleſiam quatenus Eccleſia eſt; omnis vis ejuſmodi legum, quæ ſpectant externam Eccleſiæ politiam derivari à civili Magiſtratu*, quibus fidem aſtruit à neceſſitate, ut omnis vis obligandi ut pareatur Eccleſiaſticis legibus imprimatur à Magiſtratu.

1. *Quia non poſſunt dari in una natione duæ ſupremæ poteſtates.*

2. *Quia non poteſt quis ſimul obligari duabus poteſtatibus, ut per unam teneatur non parere, per alteram teneatur parere.*

3. *Quia hoc ſi eſſet unâ actione & committeretur peccatum & officium boni viri impleretur, hoc quidem uni poteſtati obtemperando, illud verò alteri poteſtati non parendo*, quæ quidem argu-

argumenta obelo configunt ſcripturam duarum poteſtatum quam modò Vir reverendus nobis exhibuit.

Jam ſi collatio fiat modi Imperii qui à Rege. Angliæ habetur ad eum modum quo gaudent Reges qui Papæ ſubſunt, hos dixeris, mancipia Papæ & precariò duntaxat regnare; illum vero verè eſſe ἀνυπεύθυνον & αὐτοκράτορα, quantumvis latifundiis videantur Reges Galliæ & Hiſpaniæ præſtare Regi Angliæ. In qua collatione aliqua admiratio animum meum ſubiit, cur Rex Galliæ & vicinior & magis metuendus Papæ, hactenus compedes ſuas, quibus à Papa vincitur non fregerit ad exemplum Regis Angliæ: ſed diu non fui in eo ſtupore apud me reputans, majorem quidem reverentiam, terrorem & metum ſemper fuiſſe Regi Angliæ à Papa quam Regi Galliæ; Sed quantò Regi Angliæ terribilior fuit olim Papa, ut major eſt ſemper è longinquo reverentia, tantò minus nunc metuendum illi, cui ſemel compertum eſt ſuos eſſe inanes terrores, fruſtra timeri eum cujus arma & tela ex tam diſſitis locis non attingerent Anglos, nedum fulmina vaticana, quæ impunè contemnuntur ab illis qui contra animum obfirmarunt.

Quid? quod quo quis compedibus arctius conſtringitur, remotiorque ſuo cuſtode, ut ea ſemper fuit ſors Regis Angliæ, tantò acrius tentat ſuas numellas abrodere, eoque magis ſi ſemel excuſſis nullus eſt metus à ſuo excubitore; cum contra cui catena eſt longior & portis

portis imminet ſui Ergaſtularii, ut jam per plura ſecula obtigit Regi Galliæ, minus eſt animi ut ſe in libertatem aſſerat; hunc animum ſe in libertatem aſſerendi minuente metu vicini adverſarii.

Sed quis, hinc Regem Angliæ, qui Papæ Jugulum excuſſit αὐτοκράτορα eſſe; inde verò Reges qui Papæ ſubſunt ejus mancipia eſſe & precariò regnare non dixerit, aut non affirmaverit, poſtquam viderit Angliam immunem ab illis tributis & æruſcationibus quibus Papa, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, Galliam & Belgii partem expilat & exhaurit per collatitiam ſtipem: præventiones, commendationes, indulgentias, diſpenſationes, ordinis, ætatis irregularitatis, vitiique corporalis, gratias expectativas, devolutiones, cauſas matrimoniales, expeditiones in forma congrui, legitimationes, indulta, collationes, inveſtituras, pallium, provocationes Romam; conſecrationes fabricarum, datas, annatas, & ejuſmodi artes, quæ non ſunt tantum compendioſæ Papæ, ſed & tam tributarium & vectigalem præſtant Regem, puta Galliæ quam cenſus olim actus in Gallia, Britannia, Germania, Numidia, Cappadocia, Judæa, Syria, Aſia, mancipabat inibi Regulos Imperatori Romano, ut nunc conſueto more Papa, ut olim Imperatores Romani, habeat Reges inſtrumenta ſervitutis.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De controverſiis circa miſſionem Paſtorum, & eorum ordinationem, quibus Romanenſes diſtinent Proteſtantes ut abducant eos à Jugulo Cauſæ; hortatio ut hi velint vitam Papæ eripere per eum Jugulum, relictâ operosâ via confutandi ſigillatim Romanenſes doctrinas.

PRofectò cum labor hactenus inſumptus in confutandis chimeris & deliriis, ut ſunt pleræque Romanenſes doctrinæ, non ferat operæ pretium, ſiquidem argumentum ſit ad tædium, & ravim, hinc à Proteſtantibus, inde à Pontificiis tritum, exiguo perquam emolumento: lectoribus pertæſis crambes repetitæ & recoctæ, planè proponendum eſt illis ſubjectum, nondum à quoquam tractatum quodque novitate ſuâ placens alliciat ad illud quodcunque eſt attingendum, & utilitate ſua juvet, quale eſt argumentum hujus diſſertationis.

De exiguo emolumento quod accedit ex labore confutandi ſigillatim doctrinas Romanenſes, de quibus litigant Proteſtantes & Pontificii dictum eſt primo capite. Cæterum ſolenne eſt Romanenſibus ut nos abducant à Jugulo Cauſæ diſtinere circa controverſias, de authoritate Eccleſiæ, de Judice controverſiarum, aliiſque ejus farinæ ſubjectis; tum circa interrogationes, ad quas aiunt neminem noſtrorum parem eſſe reſpondendo; ut ſunt,

ubi

350

ubi locorum extitit veſtra Religio ante Calvini tempora, & qua authoritate muniti fuiſtis, ut citra authoritatem Eccleſiæ Romanæ & extra ordinem, vocaretis Paſtores ad Miniſterium qui Religionem veſtram quaſi de mortuis, tum ignotam & inauditam ſuſcitarent, ut veſtra confeſſio agnoſcit factum fuiſſe? quas interrogationes inſiſtendo meis hypotheſibus minimo negotio diluo, ut qui negem Eccleſiam quamcunque, multò magis Romanam eſſe ſubjectum capax & idoneum leges condendi, ſanciendi & imperandi, poteſtatem conferendi in quemquam, prædicandi & ſacramenta adminiſtrandi: tum affirmem Eccleſiam Romanam nomine tenus eſſe Eccleſiam, cum ſit imperium terrenum, cujus clavo qui admovetur nomine tenus eſt, aut Papa, aut Epiſcopus, cum reipsâ ſit Imperator occidentis qui ſucceſſit in Pontificatum, jura, privilegia & imperium Conſtantini, aut potius Auguſti; cui non alio vinculo alligantur Reges & populi, quam eo quo ſubditi obnoxii ſunt Domino ſuo feudali: quo poſito, inutilis, vana, & futilis redditur omnis quæſtio ſeu controverſia de Judice controverſiarum, de authoritate Eccleſiæ & ejus infallibilitate, niſi illum judicem & ſummum arbitrum affirmemus eſſe qui acutiori gladio eſt accinctus, cujus modus imperii eſt in voluntate, cujus legum validitas & authoritas, ut omnium terrenorum Principum, non ſunt poſitæ, in eo quod ſint bonæ, veræ & Juſtæ, ſed quia latæ ſunt ab eo qui ſedet ad clavum poteſtatis terrenæ, pluſque

Digitized by Google

valet machinis bellicis. Et eatenus Papa, ut eſt Rex Galliæ, eſt infallibilis quatenus non eſt ſubditorum inquirere in juſtitiam, æquitatem, veritatem & bonitatem ſeu utilitatem legum à ſumma Poteſtate latarum; nec eas interpretari; ſed illis ſe ſubmittere vel per patientiam, vel per obedientiam.

Satis nobis Proteſtantibus eſt rationis & authoritatis Divinæ, ut etiam hujus & illius ſuperſit nobis ad confutandas Romanenſium doctrinas: ſed quid valet bonum, juſtum & æquum, inter ſtrepitus & fragores armorum in exercitu Marii? quid ratio, mens ſana, veritas, bona cauſa & conſcientia oppoſitæ ori tormenti bellici, quod diſploſum diſſipet, ruat, evertat quicquid obvium eſt, imo ipſam pietatem, cujus nunc nec locus, nec merces in terris eſt: argumentis & rationibus vincimus Romanenſes, ut in Apologo Gallus gallinaceus felem, ſed hic unguibus fortior eſt, ut jam ſi alter leo jubeat animantia carentia caudâ exulare è finibus ſuis, etiam vulpes unà cum ſimio debeat ſolum vertere, ſi leo eam velit numerare inter illa quæ carent caudâ; ſitque vana ratio apud potentem, qui non fert ſubditos & invalidos, qui ſua imperia interpretantur, non exequuntur.

Quod attinet interrogatum illud ubinam locorum fuit veſtra Religio ante Calvinum? futilis & evanida eſt illis quorum Religio nupera eſt, & demum cœpit poſt tempora Calvini, nec ante clauſulam Concilii Tridentini: nam reſponſio ad interrogatum de incœpto no-

noſtrorum, immittendo extra Eccleſiam Paſtores, eget ulteriori explicatione; nam primùm ſi noſtri Paſtores novi eſſent homines & fures ingreſſi per oſtium, quid hic Clodius accuſat Mæchos, Catilina Cethegum? cum Eccleſia Romana (ſi tamen Eccleſia) demum cœperit tempore Concilii Tridentini: non poteſt dari Paſtorum aut vocatio aut ordinatio legitima, imo ne ulla in corpore quod nomine tenus fuit eſtque etiamnum Eccleſia, & cujus non millies interrupta fuit ſucceſſio vera & legitima, per ſimoniam, hæreſim & injuſtam Papalis throni occupationem.

At de vocatione Paſtorum reformatorum facilis & expedita eſt ratio per quam obturemus ora Pontificiorum. Non ſi viri ſancti qui authores ſunt noſtræ confeſſionis agnoverunt, *interrupto Eccleſiæ ſtatu, neceſſe fuiſſe nonnullos extra ordinem Divinitus excitari qui Eccleſiæ collapſæ ruinas inſtaurarent*, inde conficitur vocationem illam fuiſſe inauditam & extraordinariam Paſtorum qui admoti fuerunt regimini Eccleſiarum reformatarum à Papiſmo, nempe iſte non fuit novus & inductus modus Paſtores creandi, nec extra præſcriptum Divinum, ſed tantum extra ordinem poſtmodum conſtitutum inter Eccleſias reformatas, poſtquam illis facta eſt poteſtas & indulgentia à Poteſtatibus ſecularibus in cœtus Synodos & Conſiſtoria coeundi per diſciplinam confœderatam, ſibique corpus nationale conficiendi: nam licet millies ejuſmodi ordo interruptus fuiſſet, ſartum tamen & tectum,

manſiſſet præceptum aut potius promiſſum Divinum, ut quando in mundo tres erunt Chriſtiani Dei & veræ Religionis cultores non defutura ſit Eccleſia, habeantque facultatem & poteſtatem de ſuo Collegio, unum in Paſtorem eligendi, ſibique præficiendi, non expectato quoquam, aut Concilio, Epiſcopo, aut Presbyterio, à quibus iſte Paſtor, verus Dei Miniſter & Jeſu Chriſti renuncietur & ordinetur, & ſine quibus irrita foret ejus ordinatio & vocatio, multò minus deducta ordinatione à Paſtoribus Eccleſiæ Romanæ.

Hæc eſt vocationis Divinæ Paſtorum vera ratio, penè à toto Lutheranorum grege comprobata, nominatim à Melanchtone, Chemnitio, Gerardo, Chytræo, à quibus nonnulli è noſtris ut fuit Tilenus, Meſtrezatius & Amyraldus, non diſcedunt, cum volunt formalem ordinationis rationem conſiſtere potiſſimum in electione Paſtoris facta ab Eccleſia; cæterum, ſeu Epiſcopum, ſeu Presbyteros in Presbyterium coactos in ordinatione id tantùm agere ut electo ab Eccleſia benè precentur, & ſi quam in eo agnoſcunt vocationem Divinam publicè teſtentur: porro non vetamus benè precandi munus ad indicium animi tanto ferventioris nobilitari, manuum impoſitione, ita tamen ut cenſeatur hic ritus adhiberi potius ad decus, quam ad integritatem & neceſſitatem, aut vocationis Paſtoralis, aut orationis ad Deum.

De Miniſter. Eccleſ. S. 12. S. 139. Gerardi verba ſunt, *negamus ordinationem*, (intelligit impoſitionem manuum) *eſſe neceſſa-*

ceſſariam alicujus Divini præcepti ratione.

Chytræus in Exodum 29. *ordinatio eſt vocationis Divinæ declaratio & teſtificatio nomine totius Eccleſiæ.*

Chemnitius, *vocatio Divina eſt eorum qui voce Eccleſiæ ſunt vocati.* Exam. Concil. Trid. de Sacramento ordinis.

Melanchton, *nihil aliud eſt ordo quam electio eorum ab Eccleſia, qui doceant, qui baptiſent.* Loc. com. Argent. fol. 91.

Meſtrezatius tractatu de Eccleſia lib. 2. cap 14. pluribus docet jus miſſionis & ordinationis pertinere ad corpus Eccleſiæ, ſive adſint Paſtores, ſive non.

Et Amyraldus ait ordinationem eò ſpectare ut notitia fiat palam de electione palam facta ab Eccleſia. Lib. 5 de vocatione Paſtorum.

Tilenus ait, *per ordinationem Eccleſiam ſuffragari vocationi Divinæ, neque ulterius Epiſcopum aut Paſtorem alium ordinare quam quatenus teſtimonium perhibet de vocatione Divina & benedicit electioni ab Eccleſia factæ.* Diſp. 25. part. 2. theſi. 9. & 10.

Ipſe Calvinus ordinationis & legitimæ vocationis rationem ponit in electione ab Eccleſia peracta, atque docet manuum impoſitionem magis ad decorum uſurpari quam quod ſit neceſſaria. Et Epiſtolâ ad Regem Poloniæ anno 1554. damnat Papiſtas in ordinatione poſthabentes quod longè præcipuum eſt, nempe electionem, qua in re concinit Patribus, imprimis Cypriano Ep. 35. qui totam ordinationem ponit in electione ab Eccleſia facta. Firmilianus apud eundem, *Poteſtas omnis & gratia in Eccleſia conſtituta eſt.* In Act. 6.

Qu. 48. in c. 15. numer.

Concinit & Toſtatus qui pluribus docet jus eligendi Paſtores reſidere in Eccleſia & communitate. Profectò tantum abeſt, ut ad conſtitutionem alicujus Eccleſiæ particularis requiratur, ut qui ei præſunt aliunde quam ab ipſa quærant & petant ſuæ aut ordinationis aut vocationis rationem, ut etiam abſque Paſtoribus ei nihil deſit eorum quæ conſtituant veram Chriſti Eccleſiam. *Differentiam*, (inquit Tertullianus) *inter ordinem & plebem conſtituit authoritas & Eccleſiæ honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo: ubi ordinis Eccleſiaſtici non eſt conſeſſus & offers & tingis, & es ſacerdos tibi ſolus, ſed ubi tres ibi Eccleſia eſt, licet laici: unuſquiſque enim ſuâ fide vivit, nec eſt perſonarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores legis Juſtificabuntur ſed factores.*

De Exhor. ad Caſt.

Qui tantopere urgent neceſſitatem ut Paſtores ordinentur, quaſi de manu in manum, atque etiam per manum Epiſcopi allegant Hieronymum dicentem, quid facit Epiſcopus quod non faciat Presbyter, excepta ordinatione? ſed nec per eum locum infertur neceſſitas ordinationis ſeu impoſitionis manuum ab Epiſcopo, imo, nec à quoquam per ordinationem. Cum per ordinationem haud dubium Hieronymus intellexerit œconomicam poteſtatem regulandi, vel dirigendi Eccleſiæ actus atque perſonas, quantum ad exercitium Divini cultûs in templo, unde ab antiquis legum latoribus vocantur œconomi reverendi: nam ſic exponit Hieronymum Marſilius Patavinus

diſt. 2. c. 15.

tavinus, ſed utut ſit potuit Hieronymus loqui de eo quod facit Epiſcopus, non quod facere debeat; nec negat vim ordinationis in Eccleſia eſſe, eamque nomine Eccleſiæ fieri.

Sed propius inſpicienti in mentem Hieronymi, patebit ea verba officere & ordinationi aſcriptæ ſolis Epiſcopis Jure Divino & προςασίᾳ Epiſcopi in Presbyteros. Locutus eſt Hieronymus de conſuetudine ſuorum temporum, in quibus Epiſcopus non tantum ſibi vendicabat partes ordinandi, ſed &, quod omittit Hieronymus, concionandi & Sacramenta adminiſtrandi, ut nulli Presbytero liceret quemquam actum Miniſterii peragere, niſi precariò & ad id operis delegato ab Epiſcopo: nam hæc injuſta occupatio cœperat tempore Tertulliani, dicentis Baptiſmum dandi jus non eſſe penes Presbyterum, niſi veniâ & authoritate Epiſcopi; quocirca non alia vis ex ſermone Hieronymi exculpi poteſt, quam hæc, eam eſſe per omnia ἰσοτιμίαν & æqualitatem Miniſterii, ut nulli actus ſint unius qui non ſint alterius, niſi quod hodie ſolam authoritatem ordinandi ſibi reſervet Epiſcopus, pari injuſta occupatione quâ Epiſcopus ſibi ſoli poteſtatem confirmandi tribuebat. De Bap. c. 17.

Porro injuſtam fuiſſe occupationem ut ſolus Epiſcopus ordinaret, liquet ex praxi Apoſtolorum & ex Synodo Ancyrana, in qua lex non fuiſſet lata ut Presbyteris non liceret, ordinare ſine præcepto Epiſcopi ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ Balſamon habet ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ, niſi id moris fuiſſet, ut Presbyteri abſque Epiſcopo ordina- Can. 13.

dinarent, aut ſaltem æquas cum eo in ordinatione haberent partes; id dicit Euſebius tempore Dionyſii Epiſcopi Alexandrini de Presbyteris interdicentibus Epiſcopo ne Presbyterum ordinaret. Epiſcopum verò obnixè rogaviſſe ut hunc ſolum χειροτονεῖν permitterent.

Lib. 6. c. 42.

Quod ſpectat praxim Apoſtolorum exemplum & authoritas Titi, (quem volunt fuiſſe Epiſcopum & vi illius προστασίας ordinaſſe Presbyteros in Inſula Creta) docent eum ordinaſſe ſeu Epiſcopos, ſeu Presbyteros, in quantum hi & illi in eodem Miniſterio permanebant: nam capite 1. verſ. 7. poſtquam de conſtitutis vicatim in Inſula Presbyteris verba fecit, deſcendit ad mores, quos in illis requirit, vultque ut Epiſcopus (nempe ejuſmodi quem in Creta Titus ordinaverat) ſit vitæ caſtigatæ & inculpatæ: hanc praxim eſſe Apoſtolicam agnoſcit Witakerus (paria cenſens de Epiſcopatu Timothei ac Titi) diſputans contra Bellarminum. *Hic locus contra adverſarios facit maximè; ex hoc loco enim intelligimus fuiſſe Timotheo manus impoſitas à Presbyteris, qui tunc communi conſilio Eccleſiam regebant.* Hic rogarem an Timotheus renunciatus fuit in Epiſcopum à Presbyteris an vero in Presbyterum? item an Timotheus nova ordinatione factus eſt Epiſcopus? à quibus & à quo? reſpondentibus ubique anguſtiæ, niſi ſtatuitur aut Epiſcopum ordinaſſe Epiſcopum Timotheum, aut eundem Timotheum ordinatum fuiſſe Presbyterum ab alio

Centr. 2. qu. 8. c. 5.

ſeu

ſeu Presbytero, ſeu Presbyterio: nam Sacra Scriptura nullam facit mentionem iteratæ ordinationis in Timotheum collatæ, primæ in Presbyterum, ſecundæ in Epiſcopum. *Epiſcopi & Presbyteri* (inquit Hilarius in Ep. ad Timoth.) *una eſt ordinatio, uterque enim ſacerdos eſt:* nec aliud voluit Aerius cum dicit Epiſcopi, & Presbyteri μίαν eſſe τάξιν & ἀξίωμα. Magiſter ſententiarum, *non lego quod primitiva Eccleſia alios ordines præter Presbyteratum & diaconatum habuerit.* Richardus Armachanus exiſtimat, *Epiſcopum nihil de novo in conſecratione accipere quoad poteſtatem ſacramentalem, ſed ſolum Epiſcopum habere regiminis poteſtatem, nec tamen hanc reſtrictionem fuiſſe in primitiva Eccleſia juxta ſcripturam.*

Qu. 20. art. 2.

Ad qu. Arm. lib. 1. c. 2. & c. 5.

Quæ quidem ſunt ſenſa Marſilii Patavini in expoſitione Hieronymiani pronunciati: *quid facit Epiſcopus, quod non faciat Presbyter excepta ordinatione.*

Quid quod ordinatio, ut adminiſtratio ſacramentorum, oratio ad Deum, concio ad populum, actus eſt non προστασίας ſeu prælationis Epiſcopalis, ſed ſacerdotii & Miniſterii Communis & Epiſcopo & Presbytero. *Impoſitio manuum ſeu ordinatio* (Inquit jus canonicum & Hilarius in I. ad Timoth.) *nihil aliud eſt quam oratio ſuper hominem.* Eſtque hic actus non ſuperioris, ſed æqualis & ſacerdotis, ſeu Miniſtri Evangelici, conferentis alteri idem munus, uti doctor creat doctorem, Medicus Medicum, faber fabrum: Eſt enim ordinatio

natio, collatio ejuſdem gratiæ & juris quo conferens erat prædītus; veluti quando lumen de lumine accenditur, Epiſcopi ſit ordinare Epiſcopum, Presbyteri Presbyterum, Epiſcopus ordinans Presbyterum communicet de ſuo Presbyteratu: at ordinans Diaconum de ſuo Diaconatu: nam & id fit in generationibus univocis, cum homo hominem, equus equum generat, denique Epiſcopus non ordinat virtute *προστασίας* ſed ſacerdotii. Cæterum de ordinatione ſic loquimur ut propriis telis configamus Romanenſes, nam non aliam legitimam ordinationem agnoſcimus, quam quæ fit ab unaquaque Eccleſia particulari.

Hoc excurſu docui non eſſe infirmandam vocationem Paſtorum reformatarum Eccleſiarum, quam non deducunt, aut à Romanenſibus, aut ab ordinantibus Epiſcopis aut Presbyteris, aut Paſtoribus qui non ſunt de Eccleſia, cui Paſtores ſufficiuntur; redeo in viam.

Hiſce controverſiis de miſſione noſtrorum Paſtorum enodatis, de quibus nobis lis eſt cum Pontificiis, minor labor erit in confutandis Romanenſibus doctrinis, quibus omnis authoritas conciliatur à Papæ imperio fulgore ſuo, pompâ & divitiis ideo retinente in obſequio Principes, tum quia terrenum eſt & florens ut eſt Turcicum & Perſicum, tum quia fucatum eſt vocabulis Eccleſiaſtici & ſpiritualis, ut nunc omnis opera, cura, ſtudium, induſtria & labor noſter debeant eſſe eam larvam eripere Papæ, idque tectorii eluere:

eluere: ut Papa veris & ſuis coloribus ſe prodente terrarum Dominis, poſtquam aſcititius ille color & inductus amotus fuerit, acribus ſtimulis fodiantur ad æmulum & conſortem ſubvertendum.

Supereſt (quod facimus ſequenti capite) ut edoceamus quibus argumentis, tum Pontificius Doctor retineret ſuum Regem in Religione & obſequio Papæ, tum Doctor alienus à Papa, eundem moveret & permoveret ad excutiendum Papæ jugum.

CAPUT XXIII.

Detectio argumentorum & præceptorum quibus terrarum Domini, Reges, Principes & Dynaſtæ, hinc à Jeſuitis & Pontificiis doctoribus perſuaderentur ut perſeverent in obſequio quod Papæ exhibent; inde à Proteſtantibus permoveri debent ut Papæ jugum excutiant.

INcipiam ab illis præceptis & arcanis, quibus ſolenne eſt Jeſuitæ aut Miſſionali animos Regum obfirmare, ut perſtent in obſequio Papæ ejuſque Religione.

1. Mundum duplici Juriſdictione regi, unâ Eccleſiaſtica, alterâ civili, illâ quidem quam ſic definiunt: *Poteſtas Eccleſiaſtica Juriſdictionis in foro exteriori, eſt poteſtas Eccleſiaſtica coërcitiva, quæ valet exercere in alterum, etiam invitum ad dirigendum ſubditos in finem beatitudinis, velut in finem proximum* Gerſon. conſid. 4.

mum & principaliter intentum. Hanc poteſtatem (inquit Gerſon) *contulit Chriſtus Matth.* 18. *cum dicit Petro vice omnium, ſi peccaverit, &c.*

2. Ad clavum Juriſdictionis Eccleſiaſticæ viros Eccleſiaſticos ſedere judices, rectores, & gubernatores: ad clavum verò civilis, Reges, Principes, Imperatores & Dynaſtas mundi, qui ſunt Poteſtates ſeculares.

3. Inæqualitatem imperatam à Deo Paſtorum, ut Magiſtratum, ut detur in Eccleſia ſubordinatio Magiſtratuum Eccleſiaſticorum; quemadmodum datur civilium in republica.

4. Unamquamque Juriſdictionem ſeparatim ſuum tribunal habere, ſuum forum, ſuos judices, ſuas leges, ſuam authoritatem cogentem & cenſuris ſuis adigentem ad obſequium ſuos ſubditos.

5. Æquum eſſe & cum Jure Divino concordare, ut quemadmodum unaquæque Eccleſia particularis, habet ſuum tribunal Eccleſiaſticum, diſtinctum à civili, ſic Eccleſiæ univerſali & Catholicæ præſint tot viri Eccleſiaſtici, ſeu Epiſcopi, ſeu Paſtores Evangelici, quot opus eſt ad totius Eccleſiæ ſtatum & corpus referendum & repræſentandum.

6. Quandoquidem cum ratione & Jure Divino concordet, ut illis viris Eccleſiaſticis, ſeu Paſtoribus ſeu Epiſcopis & Præſulibus, quibus tribunal ſummum & ſupremum Eccleſiæ Catholicæ eſt conflatum aliquis præſit, qui totius cœtus & tribunalis ſit caput, rector, guber-

gubernator, & moderator, præſeſque & qui extra cœtum ſit os totius Eccleſiæ Catholicæ, non alium aptiorem & magis idoneum ſuffici potuiſſe, quam Papam, qui ſtante imperio Romano agnitus fuit primus Epiſcopus imperii.

7. Cum Juriſdictio Eccleſiaſtica ſit nobilior civili; æquum eſſe hanc ſubordinari illi; adeoque Regum Majeſtatem, poteſtatem, tribunalia, coronam, vitam, negotia, leges, ſubditos ſubjici imperio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, tum imprimis illius qui iſtius Juriſdictionis, fons, origo & caput eſt.

8. Eoque æquius, quod, cum Juriſdictio Eccleſiaſtica, tam latè pateat quam Eccleſia Catholica, & tam latè pateat Eccleſia Catholica, quam totus terrarum orbis, nullumque altrinſecus extet imperium terrenum Catholicum toto orbe diffuſum; ſit conſentaneum, ut Chriſtiani, ſeu Eccleſiaſtici, ſeu laici, potius obtemperent legibus & mandatis Eccleſiæ Catholicæ ejuſque Monarchæ ſpiritualis & perinde Catholici; quam audientes ſint imperiis privati Domini, & qui non tantum, merè terrenus eſt, adeoque longè infra dignitatem Domini Eccleſiaſtici poſitus, ſed & anguſtiſſimis imperii limitibus concluſus eſt; ſi ejus comparatio fiat ad ſpatium & tractum Eccleſiæ Catholicæ; cujus rationes, leges, imperia infinitis paraſangis anteſtant rationibus & imperiis potentiſſimi in terris Monarchæ, & cujus dominium nullis finibus circumſcribitur.

9. Cumque Papa ſit caput tribunalis quod

Eccleſiæ Catholicæ præeſt, habeatque ſibi ſubditos, cujuſcunque ordinis Chriſtianos, imo Reges & mundi Monarchas & dynaſtas, æquum eſſe huic Domino Principi, agminis duci officia ſua deferre, obnoxia capita ſubmittere, tributa ſolvere, ad eum provocare, non ſolum à Judiciis civilibus, ſed & ab Eccleſiaſticis; nam ut ait Bellarminus lib. 1. cap. 2. de Conciliis, Papa velut ſummus Eccleſiæ Princeps & Monarcha omnium Epiſcoporum ſententiam & judicium poteſt retractare.

Sequuntur argumenta non minus adamantina quibus Doctor reformatus pervinceret terrenum Dominum, perſuaderetque ut Papæ jugum excutiat.

1. Mundum, nec debere nec poſſe, nec unquam gubernatum fuiſſe per duas Juriſdictiones cogentes & collaterales unam Eccleſiaſticam, alteram civilem.

2. Hanc ſemper habuiſſe imperium, in omnes homines cujuſcunque demum eſſent ordinis, functionis, ſcientiæ, & artis, ut de omni cauſa, lite, perſona ſeu Eccleſiaſtica, ſeu laica, cognoſceret, & in eam ſtatueret & leges ferret, juberet, imperaret, cogeret, puniret.

3. Dari tamen præter poteſtatem cogentem, authoritatem verbi per miniſterium Evangelicum, (quod eſt regnum Chriſti intra regnum Poteſtatum ſecularium) tam latè patentem quam civilem, ut de omni peccato, tum de omni æquo, juſto & iniquo cognoſcat

noſcat & ſententiam dicat potius quam ferat.

4. Eam authoritatem Eccleſiaſticam qualemcunque Paſtores exercent, eſſe quidem nobiliorem civili & politica, utpote ſpiritualem & quæ maximè ad res æternas & cæleſtes dirigitur: cum altera ad externa & fortuita pertineat, ſed merè authoritatem eſſe functionis, perſuaſionis; hortationibus imperiiſque Divinis inculcatis, permovendo ad obſequium fidei, non cogendo corpora, ut Juriſdictionis eſt perperam dictæ Eccleſiaſticæ; quæque eſt de fabrica Papæ, cujus omnes actus ſunt actus poteſtatis ſecularis.

5. Cæterum Juriſdictionem à Gerſone deſcriptam, eſſe vanam, illuſoriam & chimericam. 1. Quia vera poteſtas Paſtorum neminem cogit qui cogi non vult: 2. Nec Matthæi 18. agitur de vera poteſtate Paſtorum. 3. Imo nec de ulla: 4. Adeoque nec de poteſtate perperam dicta Eccleſiaſtica. 5. Ut nec de ulla poteſtate in arctum cogente partem lædentem & læſam ad concordiam. 6. Neque de Eccleſia quæ eſt cœtus, aut fidelium aut Paſtorum. 7. Nec de cauſa Eccleſiaſtica, ſed de ejuſmodi cauſa quæ verſatur in foro civili. 8. Ad quod ideo Chriſtus remittit partem & læſam & lædentem per verba hæc, *ſit tibi velut Ethnicus, &c.* poſtquam nulla ſpes eſt ut pars lædens faciat ſatis parti læſæ.

6. Et cum Jure Divino omnes Paſtores ſeu Epiſcopi, ſeu Presbyteri, ſint æquales & pa-

Z res

res dignitate, Papam Romanum extra limites & cancellos, ſuæ, ſeu Parochiæ, ſeu Provinciæ, compellendum eſſe, nec in alienam Juriſdictionem ut excurrat permitti debere, multò minus ut in imperio & territorio Poteſtatum ſecularium, aliquam Juriſdictionem exerceat, quocunque tandem nomine veſtitam.

7. Secundum quæ omnino ſtatuendum eſt. 1. Papam in alieno territorio jus dicentem, cauſas ad ſe trahentem, tributa exigentem, reipſa poſſidere imperium in alieno imperio. 2. Reges Papæ addictos & illam injuſtam imperii in ſuo vendicationem & occupationem permittentes, precariò duntaxat regnare, ſaltem ſocium & conſortem imperii habere Papam.

8. Jam hocce arcano cognito, detecto & evulgato, tum imprimis terrarum Dominis Regibus & Principibus, qui hactenus nomen Papæ ejuſque Religioni dederunt patefacto, nempe Papam, non tantum, per injuſtam & iniquam occupationem poſſidere terrenum imperium conſimile ipſorum imperio, ſed & illud infucare & incruſtare (ne imperii iniquitas & injuſtitia diſpaleſcant) titulis Eccleſiaſtici & ſpiritualis, non longâ ac potenti ad perſuadendum accommodata oratione opus fore ad Regem puta Galliæ, ut velit Papæ jugum excutere. Et ſanè ſi Regibus compertum eſſet, in ſuo imperio, Papam ſub involucro poteſtatis Eccleſiaſticæ revera imperium terrenum habere, adeoque ejuſdem imperii eſſe

ſocium

Digitized by Google

ſocium & conſortem, mori mallent quam ſic precariò imperare. Porro ſemel excuſſo Papæ imperio, non diu in ſuis dominiis locus erit Romanenſi Religioni, ut quæ à ſolo Papæ imperio divite & fulgente, gratiam, vitam & ſpiritum ducat.

Ego ſanè non puto ex quaquam ſeu Communi notione, ſeu hypotheſi tam evidenter poſſe demonſtrari & deduci ab Euclide longam concluſionum catenam, cui nemo refragetur, quam ex una aut altera hypotheſi admiſſa in hac & illa ſerie argumentorum aut Papa aſtruitur, aut tollitur, ut de utraque catena quod de Stoicis Cicero lib. 5. de finibus pronunciare poſſim, *mirabilis contextus rerum, reſpondent extrema primis, media utriſque, omnia omnibus, ut in Geometria prima ſi dederis, danda ſunt omnia.*

Nam hinc duabus duntaxat hypotheſibus admiſſis, quod Jure Divino mundus regi debeat, per duplicem Juriſdictionem, alteram quæ Eccleſiaſtica dicitur & quæ tam latè patet quam Eccleſia Catholica, alteram civilem, quæ intra cujuſque privati Domini territorium coërcetur, & quod Jure Divino datur inæqualitas Paſtorum, ut alter in alterum Juriſdictionem exerceat; non ſolum Jeſuita, ſed & Sorboniſta, imo quivis Papæ minus æquus nos duceret ad Papam & neceſſitatem Papam habendi ſummum rectorem & gubernatorem, qui cum ſummo imperio præſit toti Eccleſiæ Catholicæ. Etenim per duas haſce ſcalas Paſtorum inæqualitatem & duplicem

Digitized by Google

Juriſdictionem ſimul junctas & per extrema colligatas, ſcalâ Paſtorum inæqualitatis terram contingente, Papa pervenit ad culmen imperii quod nunc inſidet & occupat.

Inde verò Proteſtans per æqualitatem Paſtorum & ruinam poteſtatis Eccleſiaſticæ funditus everteret & Papam & ejus imperium, & unà omnes Doctrinas Romanenſes peſſumdaret: Cæterum in hoc diagrammate & ex collatione argumentorum & virium horum & illorum, quibus, hinc Jeſuita Regem Papæ vinctum & alligatum retineret: Illinc verò Proteſtans ſolutum præſtaret perſuadendo ut Papale jugum excutiat, edocemur maximo compendio quod conſulit & bonitati & utilitati, operæ pretium futurum Proteſtanti Regem aggreſſuro ſi animum ejus, vel nutantem vel obfirmatum in ſua ſententia & conſilio perſtandi in Communione Eccleſiæ Romanæ, ſic permoveat ad defectionem à Papa, ſaltem percellat, & à ſententia deſtinata dimoveat, ut non fatiget caput ejus polemicis aut libris aut Sermonibus, quibus fides reformatæ Religionis aſtruitur contra Tranſubſtantiationem, purgatorium, cultum imaginum & ejuſmodi Romanenſes Doctrinas, quarum fides eſt conſcientiæ moderatoribus apud Reges avidos duntaxat regnandi & imperium ſuum ulterius porrigendi, & ſollicitos ne quid de ſua authoritate accidatur, ſed inſtillet illi Regem precariò regnare, qui imperii, aut conſortem aut arbitrum habet Papam, qui jura Regalia permittit à Papa aut invadi, aut decurtari:

353

curtari: ſuumque regnum per prohibitiones, diſpenſationes, & caupaunationum mille artes & modos expilari. Illum ſub ſpecie juramenti jura & privilegia Eccleſiæ tutandi & ſarta & tacta tuendi, reipſa Jurare in verba Papæ, eique ſolenni ritu profeſſionem addicti clientis edere: nam de hiſce, vel leviter & in tranſcurſu, auditis & intellectis, nunquam ſequetur alienam fidem, ſed arrectis, pronis & propriis auribus, arripiet, quicquid vel Turca ſuggereret, in re quæ arcana imperii, vel tentat vel docet, nec in alium diem ad exemplum Felicis remittet Doctorem ſuum, verba facientem, non de fide, temperantia, ſubjecto ingrato illorum auribus, quibus plus cordi eſt vita præſens, quam æterna, & Pariſii quam Paradiſus: ſed de rationibus ſe liberandi & expediendi compedibus, quibus captivus attinetur: in ſumma de imperio parando, cujus amor prima eſt tunica quæ aſſumitur à terrarum Dominis, & ultima quæ exuitur & deponitur. Denique cum Papa imperium merè mundanum & terrenum adeptus fuerit per vias & rationes Politicas, pari ratione à Principibus mundi debet everti, dirui & peſſumdari, ſed tantò æquiori jure, quod nulla fraus, nulla impietas foret in Principibus ſe à Papa abſtrahentibus, inſiſtendo viam illam quam monſtravi, & Politicam veteratoriam per honeſtam ſubruendo.

Per hanc viam immenſum quantum facilius Papa, ejuſque imperium, & unà totius Eccleſiæ Romanæ hierarchiæ, Religionis & do-

Digitized by Google

ctrinarum complexus, evertuntur: nam ſtante Papa, ejuſque imperio perſonato, enodantur & amputantur controverſiæ, de Papæ & Eccleſiæ authoritate, de cultu imaginum, de invocatione ſanctorum, ut jam de Papa ejuſque imperio poſſit uſurpari illud Eraſmi de Imaginibus, quod facilius removeri poſſint, quam ratio & modus earum cultûs definiri.

CAPUT XXIV.

De ſucceſſu qui ſperari debet ex concertatione inter duos nobiliſſimos ſcriptores, alterum Arnaldum Sorboniſtam, alterum Claudium Paſtorem Eccleſiæ Pariſienſis, in controverſia de Tranſubſtantiatione.

VIdeo arrectos animos expectatione circa ſucceſſum & eventum qui tandem futurus eſt à partibus, ſeu Claudii, ſeu Arnaldi: hic inclareſcet eâdem ingenii laude, quâ illi qui ſcripſerunt encomia febris quartanæ, & Neronis: auro, argento & margaritis obducet poſtem putridum, diſtinebitque animos legentium, oratione ſplendidâ; idem faciens, quod Papa, dum iniquitatem imperii terreni, uſurpati in Reges & Principes, veſtivit myſterio hoc eſt magnificis vocabulis, *Eccleſiæ, Eccleſiaſtici* & *Spiritualis*, ne iniquitas diſpaleſcat. Uterque, & Papa & Arnaldus contrarium faciunt quod fecit Moſes, qui vitam ſanctam & Communicatione cum Deo coruſcantem, velo, hoc eſt obſcuritate texit ne

ne revelata façie Iſraëlitarum oculos perſtringeret & Scotomate percelleret: at Papa vitam ad omnia ſcelera projectam, alieni injuſtam occupationem, doctrinamque impiam, velo fulgente obduxit, & incruſtavit vocabulis, *Eccleſiaſtici*, *Spiritualis*, *Sanctitatis*. Sic Arnaldus monſtrum horrendum ingens, ut eſt Tranſubſtantiatio pigmentis Rhetorum & Phaleris oratorum operuit, ne deformitas ejus appareret.

Altrinſecus Claudius ingenio eruditione & elegantiâ ſermonis paria & æqua faciens cum Arnaldo, dum ubique ſe prodit virum ſubacti ingenii & doctrinâ reconditum, cum larvis luctando, chimeraſque oppugnando, videtur ſceptro aureo fodicare fimum, & lenti infundere unguentum.

Ut de Arnaldi molimine primùm verba faciam, cui conſilium eſt perpetuitatem fidei Romanenſis monſtrare in doctrina de Euchariſtia, id ſanè incœptum, tam credet qui non eſt abreptus præjudiciis, nec excæcatus imperii Papalis fulgore, provehi poſſe ab eo quò vult, quam Lunam de cælo demitti in terram: nam demat Arnaldus à ſcriptis ſuis, orationem aptè cadentem, & auribus inſidiantem, prolixos excurſus, flores, paribus numeris librata Iſocola, figuratos morſus, convitia in Lutherum, Calvinum & totam reformatorum gentem: vereor ut quicquam ſit prolaturus, quod intellectum, aut feriat aut inſtruat, & in quo iiſdem artibus adhibitis, non poſſet Catonem turpem; Nero-

 nem

Digitized by Google

nem verò bonum virum & ſanctum probare lectoribus, quibus Tranſubſtantiationi colorem aliquem veri inducere conatur. Sed ſi nivem longâ oratione probare conaretur eſſe aut calidam, ut cenſuit Thomas Campanella, aut atram ut voluit Democritus, id unquam perſuadebit illi, cui iter per nives facienti frigore rigent manus, & cujus oculos ferit albor nivis, ſic nec meliori ſucceſſu probabit cuiquam ſuam Tranſubſtantiationem, ut & veram & perpetuò creditam, putet: quin potius de hoc horrendo dogmate, quod ſcriptura, ratio & traditio refugiunt pronunciet verba Colteri Jeſuitæ quibus Arnaldus concinit. *Si ad verba conſecrationis panis non eſt converſus aut Tranſubſtantiatus in corpus Chriſti, nos Romanenſes ſumus totius orbis abominandi & execrandi Idololatræ*, quibuſque aſtipularetur Auerroes, de quo dictum fertur, ſatius eſſe ut permaneat ejus anima cum Philoſophis, quam cum illis Chriſtianis qui adorant quod concedunt, & comedunt quod adorant: quod quidem Theodoretus affirmat eſſe ἐσχάτην ἀβελτερίαν.

Prudenter fecit Arnaldus, quod ad Patrocinium cauſæ ſuæ, nec ad ſcripturam, nec ad rationem, ſed ad traditionem, Concilia & Patres confugit, quos licet nunquam faventes experietur; optima tamen ſuffugia & ſenticeta de illis ſibi paravit, in quæ tanquam mures in foramina & loca anguſta ſe proripiat; namque in hoc arcto, ſpes eſt illi ut ſe extricet & fugiat comprehendentium & aſſe-

aſſequentium manus, qui in aperto aut rationis, aut ſcripturæ comprehenderetur. Sed cum traditionis illius, quam ubique & ſemper fidem vult & ſemper feciſſe Tranſubſtantiationis, non aliæ ſint apothecæ, non alia armaria, quam, aut Patres, aut Concilia, nunquam, hæc nec illos comperiet patrocinantes iſti dogmati. De Conciliis œcumenicis miror quâ fronte dicat Godellus traditionis Eccleſiaſticæ eſſe cuſtodes, certè non Tranſubſtantiationis, niſi æra iſtius dogmatis incipiat ab exordio decimi tertii ſeculi. Licet Durandus de S. Porciano, Matthæus Paris, Platina & Nauclerus pernegent, tum demum cœpiſſe, affirmentque, nec ullum Canonem conditum fuiſſe in Concilio Lateranenſi circa Tranſubſtantiationem, ſedente Innocentio III. utut hic ejus mentionem fecerit.

At de Patribus quos Arnaldus affirmat cuſtodes eſſe traditionis Eccleſiaſticæ, ac proinde Tranſubſtantiationis, miror quâ temeritate motus fuerit, Vir tanti candoris, tantæque modeſtiæ, ut huncce Sermonem haberet in lemmate tractatûs, qui aperuit certamen inter Arnaldum & Claudium; Sermonem certè, in quo ne mica aut veritatis aut candoris, *le plus ordinaire & le plus puiſſant moyen pour ramener les Calviniſtes à la foy de l'Egliſe Catholique, eſt de leur repreſenter le conſentement de tous les ſiecles, & la depoſition fidele de tous les Peres pour les dogmes qu'ils conteſtent aux Catholiques.* Hoc eſt, *ratio maxime*

xime potens & ordinaria per quam Calviniſtæ ad fidem Catholicæ Eccleſiæ reducuntur; ea eſt repræſentare illis Communem conſenſum omnium ſeculorum & fidele Teſtimonium omnium Patrum, pro dogmatibus quæ culpant & oppugnant in Catholicis.

Sed quibus ſtrophis poterit unquam eludere verba Theodoreti & Gelaſii, cum dicunt ſigna myſtica, etiam poſt conſecrationem, manere in priore ſubſtantia, natura, figura & forma; imprimis Theodoreti dicentis *Chriſtum honoraviſſe ſigna viſibilia nomine corporis, non naturam mutando, ſed naturæ gratiam addendo*, τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. Et dial. 2. οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους καὶ ὁρατά ἐστι καὶ ἁπτὰ οἷα καὶ πρότερον ἦν, *manent in priori ſubſtantia, & figura & forma, & videri & tangi poſſunt, ſicut & prius.*

Dialogo qui inſcribitur Ἄτρεπτος.

Aut Ephremi Patriarchæ Antiocheni affirmantis corpus Chriſti quod fideles rumpunt τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται *non amittere ſuam ſenſibilem naturam.*

Aut Facundi Epiſcopi Africani, *Sacramentum corporis & ſanguinis ejus quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus & ſanguinem ejus dicimus, non quod propriè corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis & ſanguinis ejus contineant.*

Aut Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum dicen-

dicentis, *panem poſt conſecrationem, non vocari amplius panem, licet natura panis in eo permaneat*, quem locum Petrus de Marca agnoſcit eſſe Chryſoſtomi.

Aut Concilii Carthaginenſis III. can. 24. quo dicitur corpus & ſanguinem Domini eſſe panem & vinum.

Aut Auguſtini dicentis non magis mutari panem & vinum in Euchariſtia quam aquam in Baptiſmo: *ſicut ſecundum quendam modum, Sacramentum Chriſti, corpus Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei* (nempe Baptiſmus) *fides eſt.* Ep. 23. ad Bonifa.

Nec ab Arnaldo poterit unquam vis illorum locorum retundi, quibus Patres nominatim Auguſtinus per Sacramentum intelligunt figuram aut ſignum rei, cujus ſit ſpiritualis ſignificatio, & manducare & bibere ſit credere, Petra ſit Chriſtus, ideſt, Petra ſignificet Chriſtum, ut *eſt* aut *erat* idem ſit quod *ſignificat*, aut *ſignificabat*: in quam rem verba ejus ſunt luculenta contra Adamantinum *Petra erat Chriſtus*: ſicut *dicit Apoſtolus, bibebant enim de Spirituali ſequente eos Petra, Petra autem erat Chriſtus; notum eſt autem filios Iſraël Petrâ percuſſâ bibiſſe aquam in eremo: de quibus Apoſtolus cum hæc diceret: nec tamen ait Petra ſignificabat Chriſtum, ſed ait, Petra erat Chriſtus: quæ rurſus ne corporaliter acciperentur, Spiritualem illam vocat, id eſt, Spiritualiter intelligi docet.* Nempe eodem ſenſu panis eſt corpus Chriſti quo Petra erat Chriſtus. Scilicet apud Auguſtinum & patres Græcos panis

Vid. Salmaſium ſub nomine Simp. verini & Mariam à Schurman ad Salmaſium.

panis in Euchariſtia eſt ἄρτος πνευματικὸς : aqua in Baptiſmo eſt λουτρὸν πνευματικὸν , Petra in deſerto Πέτρα πνευματικὴ : *nec alia ratione* (inquit Auguſtinus) *Chriſtus in cælo ſedens contrectatur in Euchariſtia quam fide*, nec niſi Spiritualiter (inquit Bernardus) in Sacramento exhibetur vera ſubſtantia carnis.

Tract. 1. in Joh. 1.

Sed qua ratione eludet Arnaldus novam diſſertationem Petri de Marca à Fageto editam , in qua diſerte & ῥητῶς docet Patres ante Chryſoſtomum & Auguſtinum non crediſſe Tranſubſtantiationem. Cæterum Paſchaſium fuiſſe de Impanatoribus, quales fuerunt Damaſcenus, Remigius Autiſidorenſis & Rupertus Tuitienſis, & primùm explicitè creditam ab Algero Scholaſtico duodecimo ſeculo, neque tamen ad modum quo hodie recipitur & creditur , ut qui fatente Bellarmino crediderit cum Guitmundo ſpecies Sacramentales non poſſe corrumpi nec rodi à muribus , & cenſuerit cum Canone qui Berengarium corripit & inſtruit corpus Jeſu Chriſti teri dentibus à fidelibus. Sanè Bellarminus dum agnoſcit hunc Algerum melius & perfectius quam quemquam de Sacramento Euchariſtiæ ſcripſiſſe, non obſcurè docet eum fuiſſe Tranſubſtantiationis architectum & ædificatorem , eique facem acerrimam prætuliſſe.

Sed nec unquam Arnaldus faciet conſona ſenſa hodierna Romanæ Eccleſiæ ſenſibus adverſariorum Bertrami & Berengarii : neque enim credit Eccleſia Romana ad præſcriptum pali-

363

Palinodiæ dictatæ Berengario; nempe, corpus Chriſti, verè & ſenſibiliter teri dentibus fidelium: nec aſtipulatur Guitmundo, neganti Sacramentum ratione ſpecierum corrumpi, aut digeri, & affirmanti indignis oblatum antequam deglutiatur, de novo induere naturam panis & vini.

Nec unquam Arnaldus mihi perſuadebit creditam Tranſubſtantiationem nono ſeculo, nominatim à Patribus Concilii Conſtantinopolitani anno 870. tempore Adriani II. cum ad pondus omnium dirarum quibus devoverunt Photium, pennam atramento tinctam in ſacrum vini calicem immiſerunt: neque enim ſi credidiſſent hoc vinum eſſe ſanguinem Chriſti unquam atramento conmaculaviſſent. Idem ait factum Baronius anno 648. §. 15. à Theodoro Epiſcopo Romano, in exaucta ratione Pyrrhi monothelitæ, effundente frequenti concilio vinum conſecratum in atramentum, atque hoc & illo tinctâ pennâ, ſuſcribente condemnationi Pyrrhi, Profectò cum nihil ab normis habuerit hæc actio admiſcere vinum atramento, horrenda fuiſſet, ſi 7. & 9. ſeculo recepta fuiſſet Tranſubſtantiatio.

Sed nec Arnaldus ubi pervenerit ad duodecimum ſeculum reperiet Hugonem de St. Victore conformem Tranſubſtantiationi, nec doctores Pariſienſes quos Hiſtoricus longè verax Vignierius anno 1140. ait decreto definiviſſe & conſtituiſſe verbum (*eſt*) in pericope *hoc eſt corpus meum* idem eſſe ac *ſignificat*; nec dogma fuiſſe receptum decimo tertio ſeculo,

Digitized by Google

culo, nec decimo quarto ab illis qui Papam adorabant: certè doctiſſimus Rocha docet hoc ſeculo nec Johannem Pariſienſem, nec totam Scholam Sorboniſticam admiſiſſe Tranſubſtantiationem, quin aſſirmaſſe, nullâ authoritate Eccleſiæ ſic firmatam & roboratam ut liberum non eſſet eam rejicere: nam qui circa illa tempora, illam non rejiciebant, ut fuerunt Durandus, Ochamus & Scotus de illa ſenſerunt ut de dogmate futili, pugnante cum Scriptura & ratione; cui à ſola Eccleſia (ſi tamen ab illa) accedit authoritas & gratia.

Sed nec decimo quinto ſeculo ubique receptum fuiſſe dogma Tranſubſtantiationis, monſtrabit Arnaldus ex Cardinale de Alliaco, Pico Mirandulano, & Gabriële Biel; ut nec circa exordium decimi ſexti, fatente Roffenſi nulla probatione Scripturæ monſtrari poſſe præſentiam realem in Euchariſtia, aut converſionem panis in corpus Chriſti; nec ſequius ſentiente Cajetano, cum agnoſcit Tranſubſtantiationem non alia authoritate niti quam Eccleſiæ Romanæ: nec placet Bellarmino ſententia Ambroſii Catharini eodem ſeculo, circa Sacramentum Euchariſtiæ, ut & ipſe videatur in eo dogmate perinde abire ab Eccleſia Romana atque in doctrinis de Prædeſtinatione, de gratia & de Juſtificatione, in quibus totum Calvinum exprimit. Certè initio hujus ſeculi 17. Faber Faventinus de ordine fratrum minorum Theologiæ Profeſſor Paduanus (lib. 4. diſt. 11. c. 3. in ſentent.) agnoſcit eam opinionem eſſe antiquam, quæ affirmat

mat materiam integram panis remanere poſt conſecrationem : atque à doctoribus Catholicis aſſertam.

Sed invenit Arnaldus argumentum commodum in quo litem de lite ferat & funem contentionis, tam perpetuæ quam perpetuitas ipſa, ducat : tum ſenſus abſcondat & involvat, diſtineatque ſuum lectorem Romanenſem tam diu quoad fruſtretur eum expectatione hacce, ut probata perpetuitate fidei Romanenſis in doctrina Euchariſtiæ eandem aſſerat & aſtruat in cateris fidei Romanenſis dogmatibus. Quin tamdiu Arnaldus Claudium diſtinebit,excutiendo quæ ſit Græcorum ſententia hodierno die, quoad ſpes ſit fore ut nunquam attingat cardinem, circa quem tota controverſia verſatur, ſcilicet qui fuerit ſenſus Patrum ante Gregorium I. in materia realis præſentiæ : nam ſedulò cavebit ne hujus argumenti, tum inducti de ſententia Græcorum ; tum illius quod eos primùm inter ſe commiſit, unquam ſit finis ; id imprimis ſatagens ut in diſputatione in longum ducta, potius obnubiletur quam limetur veritas, ubique anguillæ inſtar ſe contorquens & fallens prenſantem. Eritque latus campus evadendi, ubi ſigillatim Patres allegandi erunt, apud quos maxima eſt homonymia corporis Chriſti : Etenim ponunt non ſolum corpus naturale quod eſt ipſe Jeſus Chriſtus, tum myſticum, quod eſt Eccleſia, & ſacramentale, quod eſt panis in Euchariſtia. Sed & corpus in quo Divinitas Chriſti cum pane juncta eſt,

quæ

Digitized by Google

quæ fuit ſententia Damaſceni, ſaltem Ruperti Tuitienſis & aliorum impanatorum. Tum ubi Patres nominatim Chryſoſtomus & Cyrillus expatiantur declamatorum inſtar in allegoricas & figuratas locutiones. Loquuntur de fragmentis & particulis corporis Chriſti; dicunt panem in Euchariſtia eſſe Chriſtum crucifixum pro nobis: aiunt Altare ſanguine diffluere, dentes in Chriſti carnem infigi, vulnera ipſa Chriſti attrectari, tum ſanguinem ſugi, ut quando Cyrillus ταῦτα μαθὼν καὶ πληροφορηθεὶς ὡς ὁ φαινόμενος ἄρτος, οὐκ ἄρτος ἐστὶν εἰ καὶ γεύσει αἰσθητὸς ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ καὶ φαινόμενος οἶνος οὐκ οἶνος ἐστὶν εἰ καὶ γεῦσις τοῦτο βούλεται ἀλλὰ αἷμα Χριστοῦ. Et in hunc modum rethoricantur, ut ejuſmodi emphatico dicendi genere à rebus terrenis & corporalibus ad cæleſtia & ſpiritualia cogitationes hominum traducerent.

Sed vel in eo dumeto, in quod ſe corripit Arnaldus multò melior eſt conditio Claudii quam Arnaldi, cum enim nullus locus ſit Patrum qui in ſpeciem videatur favere Tranſubſtantiationi, dum dicunt Chriſtum eſſe præſentem in Sacramento, loquuntur de elementorum in corpus, carnem & ſubſtantiam Chriſti converſione, quæ Theodoreto eſt μετάλλαξις, Cyrillo μεταβολὴ; Nyſſeno μεταποίησις, Theophylacto μεταστοιχείωσις tranſelementatio. Aiunt panem μετουσιοῦσθαι & συνουσιοῦσθαι in corpus Chriſti: cum inquam, nulla ejuſmodi locutio extet, apud Patres, quam Claudius dilucide non probet, non juvare quicquam Tranſubſtantiationem, ſiquidem iidem dicant in

in cœna & Baptiſmo juxta, fieri converſionem, ut aquæ in ſanguinem Chriſti, populi in carnem Chriſti, in ejus corpus, ipſumque Chriſtum: at altrinſecus nullum pateat ſuffugium Arnaldo iis in locis Chryſoſtomi, Auguſtini, Theodoreti, Cyrilli, Ephremi, ubi affirmarit ſubſtantiam & naturam panis integram in Euchariſtia remanere, etiam poſt conſecrationem.

In aliud quoque dumetum ſi proripiet Arnaldus ex occaſione aliquot locutionum adhibitarum à Domino Jeſu Johannis 6. ad exprimendum Capernaitis per manducationem carnis, & potationem ſanguinis Chriſti ipſum eſſe verum animæ & cibum & potum, quas quidam noſtrorum transferunt ad inſtitutionem Euchariſtiæ, quaſi fideles in cœna credendo in Chriſtum, aut ſumendo ore ſacra ſigna veſcerentur carne & ſanguine Chriſti: quos modos loquendi dum ſubinde objicit noſtris Arnaldus putat ſe aſtruxiſſe veritatem à partibus eſſe Romanenſium; in quas Proteſtantes vi & fulgore iſtius veritatis victi quandoque concedant; & eadem, ſi non ſentiant, ſaltem loquantur. Fateor Bullingerum in quadam Epiſtola ad Bezam culpaſſe hos loquendi modos in Euchariſtia, *manducare carnem Chriſti*, *bibere ejus ſanguinem*, *veſci ſubſtantiâ corporis Chriſti*, tanquam firmantes Pontificios in ſua Tranſubſtantiatione. Sed cum ipſi Pontificii, ut Innocentius III.

Pius II. & Thomas Aquinas agnoſcant Joh. 6. per has locutiones nullam Tranſubſtantiationem intellectam, non poteſt magis, vel ἀκυρολογία, vel agnitio Tranſubſtantiationis imputari quibuſdam noſtrorum has locutiones uſurpantibus, quam Innocentio III. & Thomæ, qui nos docuerunt haſce locutiones non inferre Tranſubſtantiationem.

Sed nihil luculentius docet Claudium & causâ & armis plus valere, atque Romanenſem integris animis legentem, cum Arnaldi, tum Claudii ſcripta ab hoc pervincendum eſſe, quam hæc reputatio, quod cum nihil tam exoptet Claudius quam ſua legi à Romanenſibus, id maxime vereatur Arnaldus, ne Claudii ſcripta hi attingant: ac proinde ab eorum lectione arceat lib. 11. pag. 161. ultimi & ſpiſſioris voluminis in Claudium.

Tandem ſi non inſtruit Arnaldus, lectorem illi delicias faciet, oratione illuſtri, comptâ, ſplendida, quæ ſpeciem candoris facit: nam vix ferret ullum candoris Schema, multò minus veri, ſi perpetuitatem fidei docere vellet, in dogmatibus purgatorii, cultus imaginum, Invocationis ſanctorum, communionis ſub una ſpecie, & indulgentiarum; in quibus non eſt effugii locus, nec parta licentia, Patres detorquendi quò velit, in materia, cujus eſt apud eos altum ſilentium: nam hic maxime Arnaldus laboraret infirmitate

Digitized by Google

tate non ingenii, aut eruditionis, ſed cauſæ, quâ quidem infirmitate cauſæ laborare Arnaldum teſtatur nuperum & ſpiſſum volumen ejus in Claudium, de quo opere uſurpari poſſunt verba Ariſtotelis. lib. 3. rhetoric. cap. 14. *malam cauſam habentibus ubicunque melius verſari quam in cauſa*, cum enim cauſæ cardo ſit conſpectus ſententiæ Patrum ante Gregorium I. non verò Græcorum neotericorum in re Euchariſtica, id poſtremum & unum perſequitur Arnaldus: nam & plura alia teſtantur Arnaldum laborare infirmitate cauſæ, ut cum Proteſtantium anteſignanos nequiores facit Papa Johanne XII. atque reformationem à Papiſmo exagitat ut opus tenebrionum, quorum non eſt ſanum ſinciput, & quorum doctrina de moribus ſeu Ethica abominanda eſt & deteſtanda.

De clariſſimo Claudio pauca dicam, doleo vicem tanti viri, qui altum & ſublimem intellectum, ingenium acre & comptum, eruditionem reconditam, facundiam maximis oratoribus parem, orationem nervis ſucco & ſanguine plenam, impendit irritis acuminibus retundendis, detegendis Sophiſmatis, Strophis & mendaciis, fuco veri obductis removendis, ſpinis extricandis, larvis & tectoriis auferendis: nodis, vel ſolvendis vel amputandis, unde nihil in ſumma rei apertiorem veritatem cuiquam faciet, niſi aut Pontifici, aut illi qui nec Blondellum, nec Al-

bertinum, nec quemquam noſtrorum ſuper hac materia legerit: neque enim Herculis Clavâ, ut eſt Claudii, tum eruditio, tum eloquentia, vita eſt eripienda eſt ejuſmodi culicibus, argumento eatenus frivolo: non quod doctrina de Euchariſtia non ſit longè graviſſimum ſubjectum, ſed quod tam ſit operam ludere, in veritate probanda, rei claræ, tum obviæ & expoſitæ, etiam rudiorum intelligentiæ, quam ſpiſſo volumine probare crudelitatem eſſe fugiendam; nam id eſſet magnis motibus parvas res agere, quanquam nemo bonus bonas horas bene collocaviſſe non exiſtimet, legendo quicquid Vir judicii adeo ſubacti illinit chartis, in quo elucere videat, Judicium, eruditionem & orationem, & à cujus lectione nemo non recedat, aut doctior aut melior: ſi non ob ſubjectum principale: ſaltem ob eruditos excurſus & materiam ſubinde novam inductam.

Denique de Arnaldo Pontificio & Claudio Proteſtante, paria judicia ſunt ferenda atque de Cæcilio Ethnico, & Octavio Chriſtiano apud Minutium Felicem, quorum hic falſa proferebat ſimilitudine veri obducta propter verborum lenocinia: ille recta, ſed pari quidem ſtilo adornata, at qui non eſt quæſitus ſed naturali pulchritudine exurgit: verba ſunt Octavii apud Minutium, *in toto genere diſputandi plerumque pro diſſerentum viribus & eloquentiæ poteſtate etiam perſpicuæ veri-*

veritatis conditio mutatur : id accedere per-notum eſt auditorum facilitate , qui dum verborum lenocinio à rerum intentionibus avocantur , ſine delectu aſſentiuntur dictis omnibus ; nec à rectis falſa ſecernunt , neſcientes ineſſe, & in incredibili verum, & in veriſimili mendacium : certè ſermo Arnaldi, ut Cecilii eſt ſiliqua ſonora & eloquentiæ tumor : at Claudii ut Octavii rerum ipſarum ſoliditate libratus, nec tamen impar elegantiâ.

Digitized by Google

EPILOGUS.

ATque hactenus toto hoc opuſculo demonſtravi.

1. Per ſolam poſſeſſionem imperii, tum terreni, ac divitiis, robore pompâ ac fulgore florentis, tum fucati mangonio vocabulorum Eccleſiaſtici & ſpiritualis, conciliari authoritatem Papali Eccleſiæ, Religioni & doctrinis, quæ fuerunt cauſa defectionis tempore Lutheri.

2. Cum per ademptionem tectorii quo Papa fucat ſuum imperium, debeat ſe prodere, conſortem, ſocium aut Dominum imperii terreni, habiti à Principibus & Regibus qui Papæ nomen dederunt, hoſce non diu laturos in ſuis territoriis æmulum, ſed ad exemplum Henrici VIII. Regis Angliæ excuſſuros ejus jugum.

3. Eoque jugo excuſſo, non diu locum aut fidem habituram Romanenſem Religionem apud Reges & populos qui juraverunt in verba Papæ.

4. Ac proinde cum ademptione fuci quo Papa ſuum imperium incruſtat & obducit, hoc futurum ſit ad ruinam pronum, & cum eo totum ſyſtema Romanenſium doctrinarum, planè confici eum eſſe jugulum cauſæ quem petant Proteſtantes, ut exolvant Reges & Dominos eo errore fucoque, quo obducit ſuum

impe-

Digitized by Google

imperium: non verò ut ſigillatim ejus doctrinas, Religionemque, cum impietatis, tum falſitatis & futilitatis arguant. Unde mihi certa fiducia eſt me hactenus preſſiſſe quod elegi, nec in eligendo erraſſe, ut (quod Plinius ait Regulo malo oratori eveniſſe) genu aut tibia, aut talus non Jugulum Cauſæ eſſet.

Ex probatione primi corollarii reliquorum veritas meridianâ luce clarior comparet, nempe quod per ſolam poſſeſſionem Imperii Papalis, terreni, divitiis robore & pompâ florentis, fucatique vocabulis Eccleſiaſtici & ſpiritualis, conciliatur authoritas & gratia Romanenſibus doctrinis, Eccleſiæ & Religioni, nam de iſtius effati veritate nemo dubitaverit, qui apud animum ſuum reputaverit extitiſſe omni ſeculo à tempore Gregorii VII. intra Communionem Romanam, quamplurimos viros altioris intellectûs & ſubacti ingenii; cæterum addictiſſimos Papæ imperio, dignitati, ejuſque utilitatibus, qui in ea ſententia fuerunt.

1. Epiſcopum Romanum per plura & priora ſecula agnitum fuiſſe particularem Epiſcopum, Poteſtatibus ſecularibus ſubditum; tum conſortes, Collegas & æquales habuiſſe Conſtantinopolitanum, Alexandrinum & Antiochenum.

2. Cumque toto eo tempore fuerit electus ſuffragiis cleri & populi Romani, non eſſe putandum, huic illi jus fuiſſe dandi caput totius orbis Eccleſiæ.

 3. A con-

3. A conditione humiliori & vitâ caſtigatiore degeneraviſſe concidente imperio in occidente, & eô faſtigii quod occupat perveniſſe per fraudes, falſas decretales & donationes, ſuppoſititios Canones & ementitam ἀναμαρτησίαν.

4. Papas omnium hominum fuiſſe peſſimos, vitâ ſuâ infami, impurâ & ſceleratâ.

5. Omnes aut pleraſque Romanenſes doctrinas, ob quas Lutherus à Papa defecit, aut futiles, aut novas eſſe, ſaltem comparatas fuiſſe ad offundendas tenebras, & creandam ignorantiam, ad congerendas divitias, & ad augendam dignitatem Papæ & cleri.

6. Sed imprimis, hinc Romanenſem Religionem & cauſam peſſumdat, ſaltem detrahit authoritati Papæ & Religionis Romanæ, inde juvat cauſam Proteſtantium, imo veritatem & bonitatem Religionis quam profitentur vindicat, aſtruit & in ſolido locat, quod non detur ullum ſanum dogma, creditum à Proteſtantibus, cui non aſſentiatur unus aut alter Pontificius doctor celebrioris notæ: altrinſecus nullum male ſanum extet & propter quod Proteſtantes deſciverunt à Romana Eccleſia; quod non etiam à nonnullis horum improbatum & damnatum fuerit.

Unde palam fit, ſi quæ fides eſt & authoritas Romanenſibus doctrinis, tum Papæ, Religioni & Eccleſiæ Romanæ, apud Principes & populos, deberi potenti, diviti & magnifico imperio Papali, amore, aut terrore

vene-

venerationem concilianti & ſubditos ſibi mancipanti, judicium, voluntatem & rationem rapienti ad aſſenſum & obſequium, propter excæcatum intellectum, vel à fulgore imperii, quo fit ut homines revereantur quicquid eſt magnificum, & in alto poſitum, vel à commodis mundanis, ut eſt incrementum honorum & rei familiaris, unde fit ut ipſa virtus, aut pietas ſordeſcat, nec intelligatur, ſi aut humi jacet, aut ſordido amictu ambulat: at futilia quæque, ut eſt Tranſubſtantiatio, purgatorium, cultus imaginum, reliquiarum, & indulgentiæ Papales, honorentur, & in pretio ſint propter honores & commoda mundana quibus aptantur, ut bractea ſuppoſita vili gemmæ ei ſplendorem & pretium addit.

Secundum & tertium corollarium aſtruit hoc argumentum longè validiſſimum, probans ad detractionem larvæ, quâ Papa tegit ſuum imperium terrenum, caſurum eſſe hoc imperium, & unà totum doctrinarum Papalium & Romanenſium ſyſtema; quod non poſſint Reges & populi, ſemel eſſe exoluti, grandi illa fraude imperii perſonati, quin ſtatim reputent, ut qui hactenus circumſcripſit eos in uno eoque longè præcipuo Romamanenſi dogmate, ut eſt Papæ imperium, uſurpatum, occupatum & habitum, ut jure Divino in omnes Chriſtianos, quod Bellarminus vocat totius Religionis, (ſaltem Romanenſis) caput & cardo, pariter eos in cæteris

Re-

Religionis dogmatibus, quæ commendat, jubet & imperat, fefellerit. Certè ſi (quod Hilarius dicebat de Tertulliano) Montaniſtarum error, quem imbiberat detraxit fidem verbis ab eo prolatis, multò magis grandis & craſſa illa deceptio, imperii terreni vocabulis Eccleſiaſtici & ſpiritualis fucati, quâ Papa Reges & populos in fraudem illexit & ſuo ſervitio mancipavit, ſemel comperta & agnita fidem detrahet falſis ab eo traditis ut ſunt omnes doctrinæ Romanenſes, de quibus lis eſt cum Proteſtantibus.

Quarti Corollarii veritas ultro exſurgit ex veritate aſſerta & comperta ſuperiorum. Siquidem ſi Jugulum Cauſæ quod indicavi, eſt *Noli me tangere*, quod Romanenſes reformidant ne attingatur, multò magis ut ſollicitius attrectetur, ut primus & pene ſolus docuit Petrus Sarpius, conficitur ea ſola parte debere Proteſtantes Paſtores Papam aggredi & invadere, & ſecundum illam curam, quam debent promovendæ ſaluti propriæ & aliorum, omne ſuum otium tempus & ingenium, omnem operam & induſtriam locare, in exolvendis, ſaltem Regibus & mundi Dynaſtis qui Papæ & Religioni Romanæ nomen dederunt ea fraude Poteſtatis Eccleſiaſticæ; quo fuco & tectorio probat & acceptum reddit ſuum imperium terrenum, divitiis, pompâ & robore mundano firmiſſimum & illuſtriſſimum, quod in illos ædificavit, & quo conciliavit authoritatem, futilibus quibuſque Romanenſi-

nenſibus doctrinis, poſthabito inutili labore, illas ſingulatim confutandi. Namque conſtanter affirmo, imo pertendo, inchoatam quidem feliciter reformationem à Luthero, Zuinglio & Calvino, inſiſtendo illi rationi, quæ potius confutat ſigillatim doctrinas Romanenſes, ut ſunt Tranſubſtantiatio, ſacrificium miſſaticum, purgatorium, cultus imaginum, & ejuſmodi, quam per detectionem fraudis quâ Papa fucat ſuum imperium terrenum, populis & terrarum Dominis, ſed exinde, viam illam primam ulterius attentatam id effeciſſe, ut non ſolum in primo incœpto ſubſiſteret reformatio, nulloſque progreſſus faceret, ſed & retro iret, ut jam ſit arenæ ſemina mandare & Siſyphi Saxum, aut Plauti piſtrinum volvere, quod faciunt viri ſancti in debellandis chimeris & figmentis humanis ſeu doctrinis Romanenſibus, intacto illo figmento, Poteſtatis Eccleſiaſticæ: quo tamen ſolo in auras diflato, ruat neceſſe eſt Imperium Papæ floreutiſſimum, & unâ ruinâ involvatur totum ſyſtema Papiſmi, Eccleſiæ & Religionis Romanæ: certe malo & conſilio & animo, nec minus maligna mente retineretur poteſtas à Proteſtantium Paſtoribus, quæ ſi non eſt perniocoſa, ſaltem, vel in nullum uſum eſt comparata, vel ejus uſus & utilitas non ſunt tanti ut comparari queant ad grande illud commodum quod ex ejus ruina accedet orbi Chriſtiano, ut eſt excidium Papæ, Papalis impe-

imperii totiuſque Religionis & Eccleſiæ Romanæ.

Quocirca apud me altè imbibi, ſi Deus hanc bonam mentem daret Reverendo Claudio, ut per eam quam monſtro viam Papam aggrederetur, futurum, ut plus unâ, aut hora, aut ſchedulâ efficiat ad evertendum totum Romanenſem apparatum, omneſque Eccleſiæ Romanæ doctrinas confutandas, adeoque Tranſubſtantiationem: quam pluribus annis proficeret, ſi ſolum hocce dogma, cui jam pluſculos annos tanquam ſcopulo adhæret, licet non illidatur ſuperare vellet: evulgatis jam de eo argumento tot eruditis & facundis lucubrationibus, quarum lectione, non puto quemquam aut Proteſtantium confirmatum fuiſſe in veteri ſententia, aut Pontificiorum ad partes reformatorum tranſiviſſe.

Sed nec tam proficeret Claudius, quod eruditione, ingenio, judicio, oratione multum valeat, aut quia impeteret Papam, ea parte quâ ſolum eſt penetrabilis & mortalis, quam quia Vir eſt de ordine Eccleſiaſtico, cui Curt. 4. 10. ſemper major fuit fides (ut vatibus quam ducibus ſuis melius paret multitudo) & erit apud mundi Monarchas, populoſque qui Papam adorant, quam cuiquam viro de gente laica, etiam paribus armis & dotibus Papam aggredienti; eam potiſſimum ob cauſam quod Vir de clero de more retinentiſſimus ſuæ poteſtatis Eccleſiaſticæ, cui tota moles

les imperii, Eccleſiæ, Religionis & miſſæ Romanenſis innititur, tantò magis fidem faciet candoris, dum ultro & contra amorem imperii & affectum cuique innatum ſuæ cuique utilitatis, hanc deponit; illum verò devincit & ſuperat majoris utilitatis gratiâ, ut eſt ruina univerſi iſtius apparatûs Papæ, Eccleſiæ & Religionis Romanæ, per ſolius poteſtatis Eccleſiaſticæ ruinam.

Verùm, qui tantam felicitatem ut Claudius me voti faciat compotem ſperare non audeo, neque id deſperare debeo, ut jam inter ſpem metumque poſitus, nullius animi fiduciam habeam præterquam virorum laici ordinis; illorum imprimis qui ſedent ad clavum Rerumpublicarum, quæ Papam non agnoſcunt; ut quod Claudius recuſat præſtare ſuo calamo, id viri illi Principes ad effectum perducant ſua authoritate quâ plurimum valent, cum apud ſuos æquales Romanenſes, tum apud ſubditos ſuos ordinis laici: nam fide pene certa mihi polliceri poſſum, ſi viri de gente laica ut fuit Gombaldus, aut Ablancurtius judicio perinde irretorto & ſubacto, nec ullis præjudiciis excæcato, pronunciaret & ſcriberet de noſtra nova Ratione, quâ hic catechetica, ille conſiderationes de Religione attigit (& ad quorum lectionem amore, approbatione & admiratione de mea poteſtate exivi) non alios de quoquam ordine hominum, ſi non majori cum eruditione, ſenſibuſque gravioribus & acrioribus,

certè

certè æquius judicaturos de nova noſtra Ratione, eamque ad ulteriorem utilitatem provecturos. In quam fiduciam, conſilium eſt priuſquam lectorem meum abſolvo compellare Epiſtolâ quam hîc ſubjungo viros illuſtriores de natione & laica & reformatâ, illam imprimis quæ culmina imperiorum tenet.

EPI-

Digitized by Google

372

EPISTOLA
PARÆNETICA
AD
Chriſtianos Reges, Dynaſtas, Magiſtratus & viros Principes & illuſtres de gente laica, qui Papæ jugum excuſſerunt, ut ſeriò velint promovere, Rationem propoſitam opere, cujus titulus eſt, *Jugulum Cauſæ*.

ID unum molior, Illuſtriſſima & Clariſſima capita, ut in apertum proferam veritatem, hactenus, nec cuiquam compertam, nec à quoquam patefactam; ſed quæ dignitate, claritate, evidentiâ, utilitate, & facilitate ejus rationis prodendæ, cognoſcendæ & expediendæ, primum locum tenet in choro omnium veritatum utilium, ſecundum Principem illam quæ eſt myſterium Pietatis, ſeu Deus patefactus in carne pro ſalute peccatorum, & fide apprehenſus: veritatem, inquam, patefacio per claram intelligentiam myſterii iniquitatis, de quo S. Paulus

lus loquitur, capite ſecundo ſecundæ Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, cujus myſterii natura ſemel intellecta à vobis probaretur, probata arriperetur; denique arrepta vos moveret, imo permoveret, ad perducendum ejus utilitates ad effectum; quarum utilitatum agmen ducit ruina Papalis imperii & unà totius Romanenſis apparatûs miſſatici, Religionis & Eccleſiæ: opus quod, & unius periodi ambitu exſcriberetis, & unius horæ ſpatio peragеretis: quam utilitatem longè plures excipiunt, quæ ex intelligentia myſterii iniquitatis, quam edimus, ſunt redundaturæ in Eccleſias à Papiſmo reformatas; imo in omnes Chriſtianos. Nam cum penè ab ipſis incunabulis Eccleſiæ Chriſtianæ, diverſis, imo contrariis ſtudiis decertatum fuerit, hinc ab ordine Eccleſiaſtico pro imperio, illinc à Magiſtratu pro libertate; Papa inter hæc ſibi imperium ſtruente in Reges & nationes; nec unquam orthodoxis & ſanctis viris de ordine Eccleſiaſtico concordibus inter ſe, circa authoritatem Paſtorum & Synodorum, & modum aut imperii, aut obſequii, qui Magiſtratui debetur circa ſacra; per noſtram novam rationem, intellectam, probatam, & arreptam Papa ruet, & unà totum ſyſtema Romanenſe, Eccleſiæ, Religionis & miſſæ corruet: mutua erit συγκατάβασις Lutheranorum & Calviniſtarum; concident, ut exiguo pulveris jactu apum examina, privatæ ſtimulationes & lites inter Paſtores ejuſdem ſectæ & or-

Digitized by Google

& ordinis, imo apud omnes Chriſtianos: denique optimè Paſtores cum Magiſtratibus ſuis congruent: quod liquidò conſtabit exhibitâ vobis verâ naturâ myſterii iniquitatis, ſuppeditatiſque modis & mediis, quatenus mundi Monarchæ qui Papæ jugum excuſſerunt, æquales ſuos terrarum Dominos & una conſecutione populos à Papa abſtrahant: finemque tandem imponant, tum diſſidiis & litibus, quibus Paſtores reformati ſui territorii inter ſe colliduntur, circa modum aut imperii aut obſequii qui exhibendus eſt Poteſtatibus ſecularibus in ſacris, tum querelis quas de more eo nomine ſtruunt ſacris illis capitibus.

Cum ergo hic mos ſemper fuerit omnium gentium, etiam apud populum Dei, ut functio ſacra omni poteſtate cogente & coercente exueretur, eaque functio diverſa quidem eſſet à functione civili; ſed eædem perſonæ, uno imperio, una poteſtate, uno in ſynedrio, ſenatu & cœtu leges conderent & ſancirent, in ſacris & civilibus juxta, nec judicibus curiis & legibus imperium circa ſacra diſcreparet ab imperio circa civilia: denique Eccleſia & reſpublica in unum corpus confluerent; neque in conſilio publico, ut nec extra conſilium publicum, Sacerdos, Propheta aut Levita jus diceret, leges conderet, cenſuras infligeret, imperaret, vetaret, etiam

in ſacris, vi aut virtute functionis ſuæ ſacræ, ſed ut unus de Principibus, judicibus & capitibus familiarum, & pro jure, viris & de ordine ſacro & de laica gente communi.

Cum ergo res ita ſe haberent ante exortum myſterii iniquitatis, id fuit longè maximum opus & molimen Satanæ & fabricatorum myſterii iniquitatis, cujus jacta ſunt primula fundamenta tempore St. Pauli, hanc imperii uno conſilio ſacra & civilia pariter ordinantis compagem diſſolvere, inſtillando Chriſtianæ plebi mundum regi debere per duplicem Juriſdictionem, poteſtatemque, ſeparatis judiciis, judicibus, curiis & legibus, ut imperium circa ſacra recumberet in viros ſacri ordinis, ſeu Eccleſiæ Paſtores, Epiſcopos & antiſtites, at circa civilia in viros de gente laica & Magiſtratus.

Quocirca, cum myſterium iniquitatis apud St. Paulum conſtet iniquitate & myſterio: *iniquitate* quidem ſeu imperio terreno ædificat[illegible], primò à clero, mox à Papa in pleb[illegible] Chriſtianam; myſterio verò, cum, ne frau[illegible]ſ[illegible]aleſceret, illud, imperium tum clerus tum Papa obduxerunt & incruſtaverunt cœmento & tectorio Poteſtatis Eccleſiaſticæ; incœptum eſt illud myſterium iniquitatis, quando Paſtores ſibi in greges Chriſti imperium paria faciens cum imperio Poteſtatum ſecularium vendicaverunt: at auctum eſt, quando unus de grege Paſtorum

Digitized by Google

ſiorum eandem ſibi poteſtatem in Collegas & ſymmyſtas aſſumpſit per ὑπεροχὴν Epiſcopalem, quam totus Paſtorum grex modò ſibi vendicaverat in Chriſtianum populum: tandem illud myſterium iniquitatis ulterius provectum eſt, imo ad culmen ſuum perductum eſt, quando non ſolum poteſtas perperam dicta Eccleſiaſtica ſibi civilem ſubjecit, ſed & Papa ad illius clavum ſedit.

Verùm cum hic ultimus gradus aſcensûs ad Papatum fuerit multorum ſeculorum opus & molimen, plura partim per incogitantiam, partim per fraudes & ambitum ſuperbiamque præſulum magnarum ſedium primis centuriis Eccleſiæ Chriſtianæ, intervenerunt, quæ equum illum Poteſtatis Eccleſiaſticæ curatius appararent priuſquam Papa in ejus tergum inſiliret, non eo conſilio ut Papale imperium, ſed proprium promoverent; qualia fuerunt, aſſumpta ſub Ethnicis Imperatoribus diſciplina per confœderationem; tum erecta ubique in imperio Romano tribunalia Eccleſiaſtica ſeu Epiſcopalia à Conſtantino Magno, unde facile arrepta eſt ab Epiſcopis authoritas & ſententia retinendi Jure Divino, quod vel per diſciplinam confœderatam ſeu Communem conſenſum, vel diplomate Imperatorio habebant; & ſibi ſeorſim vendicandi imperium idque ſeparatum à curiis Imperialibus, virtute poteſtatis ligandi & ſol-

 vendi

Digitized by Google

vendi & clavium in manus Paſtorum traditarum; hanc & authoritatem & ſententiam per fraudem & injuſtam occupationem habitam, confirmantibus decretalibus nono ſeculo fabricatis, & quibus non ſolum poteſtas perperam dicta Eccleſiaſtica validiſſimè conſtituebatur, imperabaturque, ſed & ejus humeris Papa ut caput Eccleſiæ & Jurisdictionis Eccleſiaſticæ imponebatur & affigebatur.

Hiſce gradibus & artibus, cùm imperium, ſeu Eccleſiaſticum, ſeu Papale altè animis penè omnis ordinis hominum ſediſſet; & per grande nefas Imperatores Reges & populos ſibi ſubjeciſſet per tot ſecula quot numerantur à St. Paulo ad tempora Lutheri & Calvini, factum eſt ut idem Papiſmus, ſeu imperium Eccleſiaſticum in reformatione retineretur & tranſmitteretur, ad Eccleſiarum reformatarum Paſtores; annittente imprimis magno & Sancto Viro Johanne Calvino; qui ut ait in quadam Epiſtola, voluit ut judicium Eccleſiaſticum diſtinctum eſſet à civili; cum antea à Farello nulla introducta eſſet Genevæ Judiciorum diſtinctio: atque huic fabricæ duplicis imperii magis inconſideratè quam malo animo Poteſtates ſeculares, ſuccollandæ humeros præbuerunt, utpote quæ viros de ordine Eccleſiaſtico ab omni Magiſtratura & cura rerum civilium arcuerunt, ſub hoc ſpecioſo obtentu ut al-

tior-

315

tiori otio & defœcatiori animo, orationi & doctrinæ incumberent, unde viri Eccleſiaſtici cum viderent ſic ſe capite diminui & jure civico exui, quod juxta Principibus familiarum & ſacerdotibus in Iſraële attribuebatur, hanc injuriam ulturi, non mirum ſi in hoſtimentum, ſibi illud ſeu chimericum, ſeu Eccleſiaſticum imperium retinuerunt aut potius de novo fabricaverunt; tum viros de grege Principes, quos ſeniores vocant in ſocietatem regiminis Eccleſiaſtici ſibi adjunxerunt, qui nec eſſent verbi Divini Miniſtri, nec durante ſeniorum munere ſimpliciter laici, imo nec deputati aut à Magiſtratu ab Eccleſia, quatenus eſt corpus liberum & Politicum; cum tamen, nec Scriptura Sacra, nec vetus Eccleſia noverit ejuſmodi viros Eccleſiaſticos, quibus regimen Eccleſiæ concreditum eſſet, citra provinciam navandi operam precibus & Prædicationi: nec mirum ſi diſciplina Eccleſiarum reformatarum tum poteſtas Paſtorum, Synodorum & Conſiſtoriorum ſuperſtructa fluxo & lubrico fundamento, (ut eſt imperium Eccleſiaſticum ſeorſim habendum & diſtinctum à civili) ſemper fuerint ad ruinam pronæ; ſaltem cauſam dederint perpetuis litibus, diſſidiis, ſchiſmatis, contentionibus, quibus, tum Paſtores laboraverunt & certaverunt inter ſe, tum eo nomine querelas ſuis Dominis ſtruxerunt. Certè

Digitized by Google

toto tempore Calvini perpetua fuit lis inter Magiſtratum Genevenſem & cœtum Paſtorum, de perſonis ad quas pertineret jus Excommunicandi, & appellandi ultimo & ſummo judicio: ſemperque ſuper his ſenſa Genevenſium, hoc eſt unius Calvini, abiverunt à ſententia & praxi Tigurinorum & Bernenſium, nominatim Martyris Bullingeri, Muſculi & Gualteri quos Calvinus fatetur in quadam Epiſtola in ea ſententia fuiſſe non eſſe neceſſariam Excommunicationem ſub Magiſtratu Chriſtiano, multò minus ſub reformato & amico: apud quos abſque illo Excommunicationis terriculamento, ſatis cautum eſt per leges, impietati, ſceleribus, imo ſchiſmatis & hæreſibus: inde eſt quod inter Eccleſias Helveticas minus ſemper fuerit diſcordiæ inter Magiſtratum & Paſtores, ut & in Palatinatu, circa imperium in ſacris; ſi quidem iis in locis, uno propemodum imperio & conſilio, Eccleſia & reſpublica regerentur: at non ſic in Belgio, in quo jam ſeculum integrum diſſidium eſt inter Paſtores & Magiſtratum, circa jus appellationum; id juris in ſacris Wallæis & Voetiis abjudicantibus à Magiſtratu; at ſibi adjudicantibus: ut jam planè ſtatuendum ſit; nunquam, concordibus animis Paſtores & ſecum & cum Magiſtratu coalituros, quoad eadem ratio quam edoceo adhibendam ad everſio-

nem

nem Papæ, obtineat & uſurpetur apud Eccleſias reformatas ad firmamentum & munimentum, tum fidei, tum diſciplinæ receptæ.

Quocirca oro, obteſtor vos ſacra & illuſtria capita, ut dignemini perpendere, juſtitiam, bonitatem, æquitatem & facilitatem, meæ novæ Rationis expediendæ: per quam non ſolum exolvatis æquales veſtros qui juraverunt in verba Papæ, grandi & craſſa illa fraude Poteſtatis Eccleſiaſticæ, ſub cujus fuco, tectorio & mangonio, jam pene mille annos Papæ imperium terrenum in mundi Monarchas, habuerunt, tenuerunt, poſſederunt: Sed & perinde illa fraude Poteſtatis Eccleſiaſticæ liberetis veſtros ſubditos, imprimis viros de ſacro ordine; redditâ illis ſuâ civica libertate, delegatoque illis eo Poteſtatis & Juriſdictionis modo, ut cæteris Magiſtratibus ſubalternis, ſine quo, ut in republica nulla pax & juſtitia, ſic in Eccleſia, nec fides illibata, nec vita caſtigata, non diſciplinæ robur; non pax inter ſymmyſtas, nec horum cum Dominis ſuis obtineri queunt: neque enim quicquam velim immutari in diſciplina hactenus ubique inter Proteſtantes conſtituta, niſi in modo Poteſtatis, quem cum non habeant Paſtores, ullo Chriſti mandato, niſi in volentes, nec quemquam compellendi & cogendi ad obſequium & officium, vimque

afferendi externo homini immorigero, & pertinaci, illum deinceps retineant ut à Magiſtratu delegatum: nam id volunt fieri Iſidorus & Patres Synodi Pariſienſis VI., *Intra Eccleſiam Poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi quod non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ Sermonem, Poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem.* Id innuit Conſtantinus Magnus, cum aliquando vocavit ſe Epiſcopum ad extra, & quando referente Eutychio, Hiſtorico Arabe (gnarus Epiſcopos & Paſtores non alia à Chriſto authoritate præditos quam ſuadendi) in ipſo exordio Concilii I. Nicæni, porrectis ſuo annulo, ſceptro & gladio, hæc verba habuit ad Patres. *Communico vobiſcum hodie aliquid de mea Poteſtate, per quam Canones condatis & imperetis populis de Imperio Romano*; ad cujus exemplum æquum eſt vos Paſtoribus & ſenioribus veſtrarum Eccleſiarum imperium ſuppar impertire, ut in poſterum alternis judiciis non ambigant, ſuamne à Chriſto, an verò à vobis derivatam poteſtatem retineant, illis diſtricte edicendo, vel præſupponendo illam poteſtatem quam ſibi adjudicant, tam eſſe de Jure Divino quam eſt poteſtas paterna & maritalis, juſtum & æquum eſſe ut perinde ſubjiciatur poteſtati Magiſtratûs, ut ſubalterna ſummæ, quantò magis, ſi poteſtas Paſtorum extra poteſtatem verbi cenſetur humani juris; ac proinde æquum & juſtum

juſtum eſſe ut Excommunicatio (ſi quæ retinetur) reputetur non lex Chriſti, nec poteſtatis ligandi & ſolvendi, ſed Magiſtratûs.

Verùm cum idem modus Poteſtatis cogentis, non debeat adhiberi in ſacris atque in civilibus; nec ubi magis peccatur per ignorantiam & vitium intellectûs cognitione non illuſtrati, quam per pervicaciam & voluntatem ultro errantem, commendarem vobis temperamentum propoſitum à Petro Molinæo Ethicorum libro undecimo cap. 12. quod viri Principes ſequantur.

Bonus Princeps conſecrabit ſuam Poteſtatem *illi à quo eam accepit; Dabitque operam ut populus, cui Deus eum præfecit, Deum purè colat: non tamen coget tormentis, crucibus & proſcriptionibus, eos qui in Religionis negotio ab eo diſſentiunt. Religio eſt quæ ſuadetur, non verò quæ cogitur, & datur invitis. Religio non ſpontanea, non eſt Religio, ſed ſub perſona, dira & dura ſervitus, per quam Deo illuditur & hominibus imponitur; ſed dabit operam, ut ii quibus docendi populum cura commiſſa eſt, ad id ſint idonei & ſeduli & exempla diſciplinæ, vitæque caſtigatæ. Sævus ſit in blaſphemos & Dei contemptores, credens injurias quæ Deo fiunt ad ſe pertinere.*

Sed, cum id imprimis nova noſtra Ratio moliatur ut Papam per Jugulum petat,

trat, id quoque maximè flagito, rogo & peto à vobis, ſacratiſſima capita, ut novæ meæ Rationis rationem velitis, non ſolum viris de Eccleſiaſtico ordine veſtri territorii incolis, qui quam diſtantiſſime à Papa abeunt, ſed & mundi Monarchis veſtris æqualibus & comparibus qui Papæ veſtigia lambunt, commendare & probare: quam quidem rationem date veniam antequam finio iterum hocce verborum ambitu apud vos exſcribere.

Quod accedat authoritas, cum adeptioni & occupationi ſedis Papalis per impias vitas & artes Paparum, per fraudes, ambitus, prenſationes, privatam gratiam, ſcelera, Tyrannidem, Simoniam, rerum ſacrarum nundinationem, cædes & lanienas; tum Eccleſiæ & Religioni, nec non doctrinis Romanenſibus, tam impiis, inſipidis & futilibus quam eſt Alcoranus: quod inquam hæc authoritas, accedat apud Reges & nationes à poſſeſſione terreni imperii (ſed ne fraus diſpaleſcat fucati vocabulis Eccleſiæ, Eccleſiaſtici, Spiritualis, infallibilitatis & Sanctitatis) at imperii ſuis divitiis hinc devincientis Papali ſedi Romanum clerum: at illinc robore, pompâ & fulgore ſuo terrorem aut amorem nationi laicæ in nullam partem prædæ venienti, incutientis.

Cujus veritatis ſic exſcriptæ & cujus tot ſunt rerum pondera & momenta quot verba, hæc ſunt conſectanea.

1. Ec-

Digitized by Google

1. Eccleſiam Romanam nomine tenus eſſe Eccleſiam, ſed reipſa imperium eſſe tam terrenum quam fuit Auguſti & Conſtantini.

2. Et quod niſi obductum eſſet vocabulis Eccleſiaſtici & ejuſmodi, ad fucum faciendum, Monarchæ qui ſunt in Communione Papæ, jam pridem evertiſſent; ac proinde

3. Reges ea fraude vocabulorum exolutos, non diu laturos comparem (an potius Dominum) Papam, ſed ſtatim everſuros ejus imperium.

4. Quo concidente eâdem ruinâ involutum iri totum ſyſtema Eccleſiæ, Religionis, doctrinæ, infallibilitatis & miſſatici apparatûs Romanenſis.

5. Nec per horum ruinam unà cum imperio diu manſuros in eo errore & vacui capitis deliramento, nempe non eſſe ἀσύστατα, ſed probè convenire infallibilitatem, ſeu Papalem ſeu Romanenſem cum illa adeptione & occupatione ſedis Papalis per impia facta quæ modò recenſui.

6. Non eſſe ſperandam everſionem & ruinam Papalis imperii per confutationem ſigillatim factam, ut ſolenne eſt, dogmatum Romanenſium, ut ſunt Tranſubſtantiatio, purgatorium, cultus imaginum, ſed per detractionem larvæ & tectorii vocabulorum, puta Eccleſiaſtici & ſpiritualis, quibus Papa πότιμον & acceptum reddit

ſuum

ſuum imperium mundi Monarchis.

Atque hæc ſunt, viri omni modo Principes & illuſtres, cum imperio, tum virtute, ſapientiâ, ingenio, judicio; atque rerum uſu docti de gente laica, quæ habebam exponenda vobis, in ſpem futurum, ut hanc veritatem Ratione meâ novâ comprehenſam, calculo veſtro comprobetis; ejuſque uſus & fructus ad plures diffundatis.

Cæterum, quanquam mihi mea conſcientia hanc fiduciam faciat, nihil hoc opere, aut hâc Epiſtolâ protuliſſe, cujus fructus non ſint, ruina Papalis imperii accerſita & feſtinata; honor, poteſtas & dignitas Sancti Miniſterii aſſerti; jus Poteſtatum ſecularium vendicatum, Pax, cum Eccleſiarum reformatarum promota, tum orbis terrarum ulterius provecta: Sanctitas denique fidei & morum apud omnes hominum ordines conſtituta & firmata: attamen ut ſola mihi repoſita eſt ex conſcientia rei bene actæ merces, auguror fore ut apud viros, ſeu laicos, ſeu de Magiſtratura, levem; at apud Eccleſiaſticos malam gratiam ineam; ut mihi pro Symbolo apud hos ſumendum ſit hoc dictum, *veritas odium parit*, at apud illos, *veritas ut virtus laudatur & alget.* Namque gratia in Commune ſparſa, ab omnibus accipitur, à nemine redditur.

FINIS.

Digitized by Google

IN
EPISTOLIS.

PAg 81 l 1 & 2 l Eccleſiaſtica: per quam incœptum eſt myſterium p 93 l 10 l fidei p 113 l penult quæ l quas p 115 l 18 l quarum rerum reputatio p 119 l 14 l Evangelicum p 123 l 4 in titulo l Doctori & Profeſſori p 164 l 12 l iviſti p 176 l 16 & 17 l oſtez p 178 l 19 facum l fucum p 209 l 26 l paterna p 210 l 12 l quævis p 216 l 4 l detectio p 231 l 10 l ſententiæ p 233 l 10 l indicis p 240 l 11 l aſcribam l 12 l Ablancourt & l 23 l πολιτεία Chriſti p 242 l 15 l lucrum p 254 l 1 l omni p 263 l penul l cæterà p 282 l 123 in titulo l Clariſſimo & Reverendo Viro Carolo Rupiforti J.V.D. verbi Dei Miniſtro, olim in Inſulis Americæ; nunc verò Eccleſiæ Gallo Belgicæ quæ Roterodami colligitur, Paſtori. p 287 l 27 l Bezæ p 288 l 12 l que juſqu'à p 295 l antepenult, quæ l quas p 311 l 5 dele, Romanenſis.

IN

Digitized by Google

IN
JUGULO CAUSÆ.

PAg 92 l 18 l Eveſques p 93 l 8 l affirmaretur p 184 l 14 elingui l cæco p 233 l 17 & 18 l lectum fuit & probatum, ibid marg. l 2 l ultimo de gratia p 240 l 12 quo l qua p 365 l 18 l exauctoratione l 23 l abnormis p 372 l 25 *hic* l *ille* l 27 *ilie* lege *hic* p 375 l penul l huic & illi p 378 l 5 verbis l veris p 379 l 27 l pernicioſa.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google